{BnF Gallica

Libellus novus et elegans D. Erasmi Roterodami, De pueris statim ac liberaliter instituendis, cum aliis compluribus, [...]

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

{BnF Gallica

Érasme (1469-1536). Auteur du texte. Libellus novus et elegans D. Erasmi Roterodami, De pueris statim ac liberaliter instituendis, cum aliis compluribus, quorum catalogum indicabit versa pagella. 1529.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
- La réutilisation non commerciale de ces contenus ou dans le cadre d'une publication académique ou scientifique est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source des contenus telle que précisée ci-après : « Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France » ou « Source gallica.bnf.fr / BnF ».
- La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service ou toute autre réutilisation des contenus générant directement des revenus : publication vendue (à l'exception des ouvrages académiques ou scientifiques), une exposition, une production audiovisuelle, un service ou un produit payant, un support à vocation promotionnelle etc.

CLIQUER ICI POUR ACCÉDER AUX TARIFS ET À LA LICENCE

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :
- des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
- des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter
utilisation.commerciale@bnf.fr.



Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

3629 d. & art — B. —

LIBELLVS NO

VVS ET ELEGANS D. ERASMI RO/
TERODAMI, de Pueris ſtatim ac liberaliter inſti/
tuendis, cum alijs compluribus, quorum ca/
talogum indicabit uerſa pagella.

oratoris Scimmaeglorian

FRO BEN.

BASILEAE, ANNO
M. D. XXIX.

L° ScA 604

CONTENTA HOC VOLVMINE.

De pueris ſtatim ac liberaliter inſtituendis. Folio 1.
De ratione ſtudij epiſtola ad Petrum Viterium. 82.
Concio de puero Ieſu. 110.
Matrimonij Encomium. 143.
In laudem Medicinæ declamatio. 173.
De morte declamatio. 197.
Querela pacis. 218.
Virginis & martyris comparatio. 272.
Epiſtola conſolatoria in aduerſis. 300.
De contemptu mundi Epiſtola. 313.
Liturgia uirginis Lauretanæ. 383.

Omnia per autorem recognita ac locupletata.

D. Ambroſij Apologia Dauid. 409
Eiuſdem, de Dauid interpellatione. 481

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI GVILHELMO duci Cliuenſi, Iuliacenſi, Montenſi, Comiti Marchiæ, & in Rauenſpurg, &c. Eraſmus Roterodamus S. D

CONRADVS Heresbachius, uir ad unguem factus, qui magno Reipub. bono, pueritiæ tuæ formator cõtigit clariſſime Princeps, indolem tuam eruditioni pariter ac pietati natã ita mihi ſuis literis frequẽter depinxit, ut ſi complures menſes tecum domeſticam habuiſſem conſuetudinem, non eſſe poſſes notior. Idem pro ſingulari quodam erga te amore, quem undiq; ſpirant illius Epiſtolæ, magno ſtudio, multisq; argumentis illud agebat, ut aliquo monumento literario, & tibi in iſto longe pulcherrimo ſtadio ſtrennue currenti, calcar, ut aiunt, adderem, & alios adoleſcẽtes generis imaginibus claros ad æmulationem tam felicis exempli prouocarem. Ab hoc officio, adeo mihi nõ abhorrebat animus, ut beneficij loco ducerem admonitum fuiſſe. Verũ quod in annos aliquot diſtulimus officium, nihil aliud, mihi crede, fuit in cauſa, niſi quod non obtigit argumentum, quod tuæ magnitudini aliqua ex parte reſpondere uideretur. Nam ille ſic temperauit orationem ſuam, ut appareret nõ quolibet munere fore contentum. Quum igitur nõ occurreret quale uolebam, cœpit tandẽ me pudere promiſſi mei, uiſumq; eſt tenues quoſdã, ſed callidos clientes imitari, qui cum ingẽtem ſummam debeant patronis ſuis, nec adhuc ſoluẽdo ſint, hortenſibus quibuſdã munuſculis eos deliniunt, quo patientius ferant recraſtinatam ſolutionem, hoc pacto teſtantes nõ animum facultatibus, ſed facultates animo deeſſe. In Italia deliniaram opus de uerborum rerumq; copia. Adieceram exemplum eiuſdem argumenti, quàm potuit in compendiũ contracti, & eiuſdẽ fuſius copioſiusq; tractati. Is cui Romæ tradideram deſcribendũ, reddidit hanc partem mutilam, ac uix dimidiatã, ut quod ſupererat, mihi fruſtra ſupereſſet. Dein-

707

de quũ ab eruditis amicis ſubinde rogarer, ut excitandis ſtudijs, quæ iam refrigeſcere uidebãtur, opus illud abſoluerem: animũ uehementer abhorrentẽ, tamen huc perpuli, ut inſpecta diuiſione, quæ totius argumẽti propoſitiones ceu columnas habebat, denuo receptũ in manus, pertexerẽ. Puta hoc eſſe munuſculũ aliquod cerafaceũ. Adieci duos libellos nunquam antehac æditos, puta hæc eſſe duo mala Cydonia ex horto paupere ſelecta. Quæ ruſticana munuſcula nõ in hoc damus adoleſcens generoſiſſime, quod his fidẽ noſtrã liberatam uelimus, ſed ut liberandi uoluntatẽ adeſſe teſtemur. Solent aũt humani creditores minus appellare eos, qui ſubinde ueluti ſeipſos appellantes profitentur æs alienũ. Quod qui diſſimulãt, meditari uidẽtur inficiationẽ. Quanquã hæc cauſa mihi potius agenda fuerat cũ Heresbachio, qui me ex ſtipulatione poterat in ius uocare. Sed apud te malui, quẽ mihi ſciebã æquiorem fore in negocio proprio, quàm ille foret in alieno. Sic enim ille te deamat, ſic fauet, cõmodis, honori dignitatiq; tuæ, ut ſi uſquã poſſit, in his procurãdis uideatur ab illa genuina uerecundia poſſe recedere. Age Princeps ornatiſſime, perge in iſto pulcherrimo certamine, ut ille tuã celſitudinẽ optimis diſciplinis, tu illius doctrinã, fortunæ ac dignitatis acceſſione illuſtres. Libellũ non laborabo tibi commendare, niſi hoc nomine quod & nouus eſt, & totus meus. Deinde ꝙd docet multa paucis cõplecti, quod dictionis genus, nullos magis decet quàm ſummos principes. Vnicum exemplũ à nobis proditũ eſt, ex diuo Auguſtino plura ſuppetunt, qui nõnunquam pſalmum mira breuitate cõplectitur quẽ mox largiſſima rerum ac uerborũ copia differit. Poſtremo quod hæc inſtituendi ratio, principum liberis potiſſimum eſt accõmoda, quippe qui quũ maxime omniũ egeant recta inſtitutione, tamen non conuenit ſecus, quàm liberaliter erudiri. Bene uale apud Friburgum Briſgoiæ. Calend. Iulijs. Anno M. D. XXIX.

PVEROS AD

VIRTVTEM AC LITERAS LIBERALI-
ter instituendos, idq; protinus à natiuita-
te, declamatio cõtracti thematis
exemplũ per D. Erasmũ
Roterodamũ.

Propositio Absque exordio protinus ad argumẽta.

SI ME QVIDEM AV-
dies, uel Chrysippum po-
tius philosophorum acu-
tissimum, infantem tuum
ilico bonis literis instituen-
dum curabis, dum adhuc
uacuum curis ac uicijs in-
genium, dum mollis ac tra
ctabilis ætas, dũ ad quid-
uis sequax & habilis animus, interim & tenacissimus
perceptorum. Nihil enim perinde meminimus senes,
atq; ea quæ rudibus annis imbibimus. Neq; uero te
quicquam commoueant istorum uoces, qui dictitant
istam ætatem partim non esse disciplinarum satis ca-
pacem, partim ferẽdis studiorum laboribus imparẽ.
Primum enim literarum initia memoria potissimum
constant, quæ paruulis, ut dixi, uel tenacissima est. De
inde quoniam natura nos ad cognitionem genuit, nõ
potest esse præproperum eius rei studium, cuius semi-
na quædã nobis ipsa rerum parẽs inseuit. Adde quæ-

Diuisio confutationis.

dam esse grandibus etiam cognitu necessaria, quæ pe culiari quadam naturæ propensione multo tum citius tum facilius percipit ætas tenera quàm robustior. Ve luti literarum elementa, linguarũ peritiam, apologos ac fabellas Poëticas. Postremo quur existimetur ea ætas ad literas inidonea, quæ sit iam ad mores discen dos apta? Aut quid alioqui potius facient pueri iam fandi potentes, quandoquidem aliquid faciant neces se est? Quanto utilius ætas illa ludit in literis, quàm in nugis? Dices, perquàm leue momentum est quod pri mis illis annis efficitur. Quur ut pusillũ contemnitur, quod ad rem longe maximam necessarium est? Dein de quur lucrum illud quantulumcunq; , lucrum tamẽ, studiò negligitur? Iam si pusillum pusillo frequenter apponas, aceruus oritur haud quaquam aspernãdus. Interim & illud perpende, si minora discit infans, ma iora discet adolescens, ijs annis, quibus illa minora fue rant discenda. Deniq; dum hæc agit, saltem à uicijs il lis arcebitur, quibus eam ætatem ferè uidemus infici. Nulla enim res melius occupat totũ hominis animũ, quàm studia. Hoc certe lucrum contemni non debet. Cæterũ ut demus his laboribus aliquid decedere ro bori corporis, mihi damnum hoc pulchre pensatũ ui detur ingenii lucro. Nã animus moderatis laboribus redditur uegetior. Et si quid hic periculi est, potest no stra cura uitari. Adhibendus est teneræ ætati doctor,

qui

qui blandicijs illiciat, non qui sæuicia deterreat. Tum autem sunt quædam & cognitu iucunda,& puerilibus ingenijs quasi cognata, quæ discere ludus est potius quàm labor. Quanquam non est adeo imbecillis puerorum ætas, quæ uel ob hoc ferũdis laboribus magis est idonea,quod laborum sensu caret. Proinde,si cogitaris quàm non sit homo, qui literarum expers est, q̃ sit fugax hominum uita,quàm lubrica in malum adolescentia,quàm occupata iuuentus, quàm sterilis senecta,tum quàm paucis mortalium hæc contingat,non sines infanti tuo, in quo ueluti renatus superstes eris, ullam æui partem incultam abire,in qua parari queat aliquid, quod uel in omnem uitam magnum bonum adferat, uel à malis arceat. *Epilogus.*

IDEM ARGVMENTVM LOCVPLETATVM COPIA.

POST diu desperatam uxoris fœcũditatem,audio te patrẽ esse factũ,& quidem prole mascula, quæ miram quandam,hoc est planè parentũ in dolẽ præ se ferat, quæ si modo quicquã ex huiusmodi notis indicijsq̃ licet augurari, uirtutem absolutam polliceri uideatur. Itaq; tibi in animo esse,puerum tantæ spei,simul atq; grandiusculus erit factus, curare bonis literis initiandum,honestissimisq; disciplinis erudiendum,saluber

rimis philoſophiæ præceptris formandum & inſtruen
dum: Nimirum uis totus eſſe pater, & illū uis uere tuū
eſſe filium, qui te non ſolum oris figura, corporiſq; li/
niamentis exprimat, uerum etiam ingenij dotibus re/
ferat. Equidem ut amici non uulgaris felicitati ex ani/
mo gratulor, ita prudentiæ tuæ propoſitum magno/
Propoſitio. pere probo. Vnum illud audacter quidem, ſed tamen
amanter admonuerim, ne uulgi uel iudiciū uel exem/
plum ſequutus, cōmittas, ut prima infantuli tui ætas ci
tra omnem inſtitutionis frugem effluat, ac tum demū
ad diſcenda literarum admoueas elemēta, quum iam
& ætas minus tractabilis, & ingeniū ad uicia propen/
ſius, ac fortaſſis uiciorum tenaciſſimorum uepribus oc
cupatum, Quin tu mihi iam nunc uirum aliquem cir/
cumſpice, ut moribus incorruptis & commodis, ita do
ctrina neutiquam triuiali præditum, cui puellum tuū
ueluti teneræ mentis nutritio in gremium tradas, quo
literarum nectar, unà cum ipſo lacte combibat, pari/
terq; filioli curā ex æquo nutricibus ac præceptori par
tiaris, ut illæ corpuſculum quàm optimo uegetent ſuc/
co, hic animum ſalubribus opinionibus & honeſtiſſi/
mis imbuat diſciplinis. Neq; enim arbitror conueni/
re, ut uir unus omnium doctiſſimus, & idem pruden/
tiſſimus, mulierculas iſtas audias, aut uiros etiam ex/
cepta barba mulierculis ſimillimos, qui crudeli quadā
miſericordia, & inimica beneuolētia, pueros ad ipſam
uſq;

uſq; pubertatem inter matercularum oſcula, nutricũ blandicias, ancillarum ac famulorum luſus ineptiasq; parum caſtas, detinendos cenſent, ac prorſus à literis tanquam à uenenis arcendos exiſtimant, dictitantes primam ætatem, & rudiorem eſſe, quàm ut diſciplinarum ſit capax, & teneriorem, quàm ut ſtudiorũ laboribus ſit idonea. Poſtremo leuioris eſſe momẽti, ætatis illius profectum, quàm ut ea gratia ſit aut faciendus ſumptus, aut uexãda puerorum imbecillitas. Horum ſingula dum refello, quæſo ut mihi pauliſper animum attentum accommodes, reputans id quod res eſt, hæc ſcribi primũ ab homine quo uix habes aliũ tui amantiorem, tum ea de re, qua nõ alia magis ad te pertinet. Quid enim filio charius, præſertim unico, in quem etiam uitam noſtrã cupiamus transfundere ſi liceat, non modo facultates? Proinde quis nõ uideat eos peruerſe ſimul ac præpoſtere facere, qui in colendis agris, extruendis ædificijs, alendis equis ſummam adhibẽt curam, ac uiros prudentes multoq; rerum uſu callidos in conſilium adhibent: in educandis formandisq; liberis, quorum gratia cætera parantur omnia, tam nihil habent penſi, ut nec ſuum ipſorum conſulant animum, nec cordatorum hominum exquirant ſententias, ſed perinde quaſi ludicra res agatur, ineptis mulierculis, & è plebe quibuslibet homũcionibus auſcultant? Quod nõ minus abſurde fit, quàm ſi quis de cal- *Diuiſio.*

ceo magnopere ſollicitus,pedem ipſum negligat, aut ſummo ſtudio curet,ne quid uicij ſit in ueſte,de corporis ualetudine ſecurus. Non hic te remorabor uir optime locis communibus,quantum naturæ uis, quãtum pietas,quantum diuina lex,quantum humanæ conſtitutiones parentes debere uolunt liberis, per quos quatenus licet effugimus mortalitatem, ac reddimur immortales. At quidam ſibi parẽtis officium pulchre uidentur impleſſe,ſi genuerint tãtum, quum hæc ſit minima portio pietatis, quam exigit patris cognomen. Vt uere ſis pater,totus tibi curãdus eſt filius, eiq; parti debetur prima ac præcipua cura, qua pecudibus antecellit, & ad numinis ſimilitudinem proxime accedit. Quantam ſollicitudinem matrum uulgus adhibet,ne infans euadat ſtrabus aut petis oculis,ne buccis fluentibus,ne ceruice inflexa, ne protuberantibus ſcapulis, ne tibijs uaris,ne pedibus diſtortis, ne parum concinna corporis totius ſymmetria. quã ad rem præter alia faſcijs etiã ſolent uti,ac mitellis quibus ſuccingunt bucas. Habetur interim & lactis, & ciborum, & balneorum,& motus ratio, quibus proſperam corporis ualetudinẽ pueris parari multis uoluminibus medici docuerunt,nominatim autem Galenus: nec hanc ſeduli/tatem differũt in ſeptimum aut decimum annum,ſed mox exceptum ex uteri latebris ad hanc curã uocant. Et recte faciunt, ſiquidem neglecta infantia frequen/

ter

ter homines tradit morbidæ & afflictæ senectuti, si tamen huc peruenisse cõtingat. Quinetiam nondũ ædito fœtu, matrem tamen uigilat cura, non uescunt quibuslibet cibis grauidæ, cauent ab incommodo corporis motu: & si quid forte in faciem inciderit, protinus auulsum manu ad secretam corporis partẽ applicant. Eo remedio fieri multis experimentis compertum est, ut deformitas quæ in conspicua corporis parte erat futura, lateat in occulta. Nemo uocat hanc curam præproperam, quæ deteriori hominis portioni adhibet: quur igitur ea pars qua proprie hominis uocabulum sortiti sumus, tot annis negligitur? An non absurde faciat, qui pileum exornet, neglecto impexo & scabioso capite? At multo absurdius est iustam curam impendere corpori mortali, nullam habere rationẽ immortalitatis animi. Age si cui domi natus est pullus equinus, aut catulus aliquid generosioris indolis præ se ferens, an non protinus incipit illum ad usum fingere, quod eo magis facit ex animi sui sententia, quo sequacior est ad formantis uoluntatem ætas tenera. Mature doces psittacum humanas sonare uoces, non ignarus quo plus accesserit ætatis, hoc minus esse docilem, admonente hoc etiam uulgi prouerbio, Psittacum uetulum negligere ferulam. Quale est autem uigilare in aue, cessare in filio? Quid agricolæ non inertes? Nónne protinus plantulas etiamnum teneras insitione do-

cent

cent exuere ſylueſtre ingenium, nec expectant donec iam robur induruerit? Neq; ſolum cauent ne ſurgat incurua, ne quid aliud uicij contrahat arbuſcula, uerũ etiam ſi quid contractum eſt, emendare feſtinant, dũ adhuc flexilis eſt ac fingẽtis ſequitur manum. Quod autem animal aut quæ planta reſpondet poſſeſſorum aut agricolarum uotis & uſibus, niſi noſtra induſtria naturam adiuuerit? Id quo fit tempeſtiuius, hoc ſuccedit felicius. Mutis quidem animantibus plus præſidĩ ad genuinas functiones natura rerum parens adiunxit, at quoniam numinis prouidentia uni animantiũ homini rationis uim indidit, maximam partem reliquit inſtitutioni: ut rectiſſime ſcripſerit quidam, primum, medium, ac tertium, hoc eſt totius humanæ felicitatis caput ac ſummam eſſe, rectam inſtitutionem ac legitimam educationem. Quo quidem elogio Demoſthenes commendauit rectam pronunciationem, nõ ille quidem falſò, ſed recta inſtitutio longe plus habet momenti ad ſapientiam, quàm pronunciatio ad eloquentiam. Fons enim omnis uirtutis eſt diligẽs ac ſancta educatio. Quemadmodum ad ſtultitiam ac malitiam primum, ſecundum, ac tertium eſt indiligens corruptaq; inſtitutio. Hæc præcipue nobis relicta eſt. Eadem eſt ratio quur cæteris animãtibus natura tribuerit celeritatem, uolatum, aciem oculorum, molem ac robur corporis, ſquamas, uillos, pilos, laminas, cornua.

nua,ungues, uenena quibus & incolumitatem ſuã tue
ri queant,& ſibi de uictu proſpicere, ſuoſq; fœtus edu
care,ſolum hominem mollem,nudũ,& inermem pro/
ducit,uerum pro his omnibus mentem diſciplinis ha/
bilem indidit, quod in hoc uno ſint omnia, ſi quis
exerceat. Et quo quodq; animal minus eſt aptum di/
ſciplinis,hoc plus habet natiuæ prudentiæ. Apes non
diſcunt condere cellulas, colligere ſuccum,cõficere mel.
Formicæ non inſtituuntur, ut æſtate congerant in ca/
uum,unde per hyemem uictitent,ſed hæc omnia na-
turæ aguntur inſtinctu. At homo nec edere, nec ingre
di,nec fari nouit,niſi doctus. Ergo ſi fœtus,aut nullos,
aut inſipidos gignit arbor citra curam inſitionis, ſi ca/
nis naſcitur inutilis ad uenatum, ſi equus ineptus ad
uſum equeſtrem, ſi bos ineptus ad arandum, niſi no/
ſtra acceſſerit induſtria, quàm efferum, quàm inutile
animal euadet homo, niſi ſtudioſe ſimul ac mature
fingatur inſtitutione? Non hic recinam tibi nulli non
decantatum exemplum Lycurgi, quo producente in
ſpectaculum, catulus alter generoſi generis, ſed male
educatus, cucurrit ad cibum,alter ex parentibus igna/
uis ortus, ſed diligẽter educatus relicto cibo ad feram
inſiliit. Efficax res eſt natura, ſed hãc uincit efficacior
inſtitutio. Vigilant homines, ut habeant probum ca/
nem ad uenatum, ut habeant ſtrennuum equum ad
proficiſcendum,atq; hic nulla uidetur præcox diligen/

tia:cæterum ut filium habeant,qui parentibus & orna
mento sit & usui,in quem bonam domesticarum cura
rum partem transferant, cuius pietas ingraueſcentem
ætatem foueat fulciatq́;,qui generi fidum patronum,
qui uxori probum coniugem , qui Reipub . fortem &
utilem ciuem præstet,aut nullam,aut seram adhibent
curam? Cui conferunt? cui arant? cui extruunt? cui ter/
ra mariq́; uenãtur opes? Nónne liberis? At ista quid
habent uel usus,uel decoris, si is cui hæc omnia cedũt,
nesciat uti ? Immodico studio paratur possessio, pos/
sessoris nulla est cura. Quis parat citharã ignaro musi
ces ? Quis adornat insignem bibliothecam literarum
rudi? Et tot opes parãtur ei,qui rationem utendi nun/
quam didicit? Si ista bene educato comparas, instru/
menta uirtutum subministras,sin inculto agrestiq́; in
genio, quid aliud quàm nequitiæ scelerumq́; materiã
suppeditasti? Quid hoc patrum genere uecordius co/
gitari potest? Curant ut filij̃ corpus careat uicio,redda
turq́; ad uulgares actiones habile , at animum , cuius
moderatione constat omnis honesta actio,negligũt.
Ne commemorem interim,quod opes, dignitatẽ, au/
toritatem,atq; etiam prosperam ualetudinem quæ tã
anxijs uotis optant liberis suis , nulla res magis parit
homini quàm probitas & eruditio . Optant illis præ/
dam, nec dant uenabulum quo capiant . Quod est o/
mnium præstantissimum, filio dare non potes, at his
artibus

artibus potes illum instruere quibus ea parantur, quæ sunt optima. Iam hoc insigniter absurdum est, sed absurdius etiam quod domi canem habent uigilanter institutum, quod equum habent magna cura domitum atque edoctum, filium habent nulla honesta instructum disciplina. Agrum habent pulchre cultum, filium turpiter incultum. Domum habent ornamentis omnibus decoratam, filium habent ab omnibus ueris ornamentis uacuum. Ad hæc qui iuxta popularem existimationem uidentur eximie sapere, mentis excolendæ sollicitudinem, aut differunt in ætatem indocilem, aut prorsus non adhibent, & de fortuitis externisq; bonis mire solliciti sunt, etiam priusquam ædatur is, quem omnibus illis destinarunt dominũ. Quid enim non uidemus illos facere? Vxoris utero tumente iam tum accersitur genethliacus, sciscitantur parentes, masculus ne proditurus sit an fœmina. Exquirunt fatum. Si astrologus ex horoscopo dixit prolem in bello fore felicem, hunc, inquiunt, dicabimus aulæ regiæ. Si pollicebitur dignitates ecclesiasticas, Huic, inquiũt, alicunde uenabimur Episcopen, aut Abbatiã opimã. Hunc faciemus præpositum aut decanum. Hæc cura non uidetur illis præpropera, quum anteuertat ipsam natiuitatem, & præpropera uidetur quæ natorũ fingendis animis adhibetur? Tam cito curas, ut filiũ habeas belli ducem, aut

magiſtratum,& non ſimul curas,ut ille ſit dux aut ma giſtratus Reipub.ſalutaris? Ante tempus hoc agis, ut habeas filium Epiſcopum aut Abbatem, & non huc fingis,ut recte gerat Epiſcopi aut Abbatis munus? Imponis currui,nec doces gubernandi rationem. Ad/ moues clauo,nec curas ut diſcat quæ nauclerum æquũ eſt ſcire. Deniq; in omnibus tuis poſſeſſionibus, nihil habes eo neglectius,quo nihil habes precioſius, & cui cætera parantur omnia. Nitent agri, nitet domus, ni/ tent uaſa,ueſtes,ac tota ſupellex,belle docti ſunt equi, pulchre inſtructi famuli, ſolum filij ingenium ſqualet, ſordet,horret. Nactus es de lapide, quod aiunt, em/ ptum mancipium,barbarum ac uile,ſi rude eſt,obſer/ uas ad quem uſum ſit idoneum, & ad artem aliquam mature inſtituis,ſeu culinariam,ſeu medicam, ſeu agri colationis aut diſpenſationis, ſolum filium uelut ocio natum negligis. Habebit,inquiunt,unde uiuat,uerum non habebit,unde recte uiuat. Vulgò quo quiſque di tior eſt, hoc minus ſollicitus eſt de liberorum inſtitu/ tione. Quid opus eſt, inquiunt, philoſophia, ſatis ha/ bebunt. Imò quo plus habent, hoc opus eſt maiori/ bus philoſophiæ præſidijs. Quo maior eſt nauis, quoq; plus uehit mercium, hoc magis deſiderat nau/ clerum probe doctum. Quanto ſtudio id agunt prin cipes,ut filijs quàm ampliſſimã ditionem relinquant, nec ulli minus curant eos inſtituẽdos his artibus, ſine

quibus

quibus non potest recte geri principatus. Quãto plus confert, qui dat bene uiuere, quàm qui dat uiuere. Minimum debent liberi parentibus, à quibus progeniti sunt tantum, non etiam ad recte uiuendum educati. Celebratur Alexandri dictum, ni Alexander essem, Diogenes esse uellem. Id optimo iure reprehẽdit Plutarchus, quod hoc magis optare debuerit Diogenis philosophiam, quo latius imperabat. Sed turpior est illorum socordia, qui non modo non recte instituunt liberos, uerum etiam ad nequitiam corrumpũt. Hanc absurditatem quum Crates ille Thebanus perspiceret in hominum moribus, non iniuria minitabatur se cõscẽsurum æditissimum urbis locum, & inde quàm maxime uocali clamore exprobraturum ciuitati publicã dementiam, huiusmodi uerbis: Quæ uos agit dementia miseri? Tam anxiam curam impenditis parandis pecunijs, ac possessionibus, & liberorum quibus ista paratis, nullam prorsus curam habetis? Vt uix dimidiatæ matres sunt, quæ pariunt tantum nec educant, ita uix dimidiati patres sunt, qui quum corporibus liberorum necessaria ad luxum usque prospiciant, animos eorum nullis honestis disciplinis curant expolien dos. Arbores fortasse nascuntur, licet aut steriles, aut agresti fœtu, equi nascunt licet inutiles, at homines mihi crede, non nascuntur, sed finguntur. Prisci mortales qui nullis legibus, nullis disciplinis, uago cõcubitu uitã

agebant in nemoribus, feræ uerius erant q̃ homines. Ratio facit hominẽ, ea locũ nõ habet ubi affectuũ arbitrio gerũtur omnia. Si forma faceret hominẽ, & statuæ numerarent' in hominũ genere. Elegãter Aristippus Crasso cuidã ac diuiti roganti, qd utilitatis adolescẽti allatura esset eruditio, uel illud inqt, ne in theatro lapis lapidi infideat. Venuste philosophus alter, Diogenes ni fallor, meridie lucernã gestans obambulabat per forũ hominibus differtũ, rogatus quidnã rei quæreret, hominẽ, inquit, quæro. Sciebat illic esse turbã, sed pecudũ, non hominũ. Idẽ quũ die quodã ex æditiore loco cõcionem aduocasset, clamans: Adeste homines. Iamq; frequẽs hominũ turba cõueniisset, nec aliud ille diceret q̃, Adeste homines, subirati quidam reclamarũt: Adsumus homines, dic si quid habes. Tũ ille: Homines adesse uolo, nõ uos, qui nihil minus estis q̃ homines, eosq; baculo abegit. Profectò uerissimum est, hominem nec philosophia, nec ullis disciplinis instructum, animal esse brutis aliquãto deterius. Siquidem pecudes naturæ duntaxat affectibus obsequũtur, homo nisi literis ac philosophiæ præceptis formet', in affectus plusquàm ferinos rapit'. Nullũ est animal efferatius aut nocentius homine, quẽ agit ambitio, cupiditas, ira, inuidia, luxus, & libido. Proinde qui filiũ nõ ili co curat, optimis disciplinis imbuendũ, nec homo est ipse, nec hominis filius. An nõ abominandũ ostentũ habeatur

habeatur animus humanus in corpore beſtiæ? quem admodum legimus apud Circen homines ueneficijs mutatos in leones, urſos, ac ſues, ut in his tamen eſſet mẽs hominis, quod idẽ ſibi uſu ueniſſe prodidit Apuleius, neq; non credit D. Auguſtinus homines uerti in lupos. Quis ſuſtineret eiuſmodi monſtri pater appellari? Atqui mõſtrũ admirabilius eſt, beluinus animus in humano corpore, & tali prole ſibi placent homines pleriq;, qui ſibi & populo uidẽt admodũ ſapere. Vrſæ dicunt maſſam informẽ ædere, quã diu lãbẽdo fingũt formantq;: uerũ nullus urſæ catulus tam informis eſt, q̃ homo naſcit rudis animo. Hunc niſi multo ſtudio fingis ac formas, portẽti pater eris, nõ hominis. Si filius naſcat turbinato capite, aut gibbo deformatus, aut loripes, aut ſenis in manu digitis, q̃ tibi diſplices, q̃ pudet nõ hominis ſed mõſtri patrẽ appellari, cæterũ animi tã prodigioſi nõ pudet? Quàm deijcit parentũ animos, ſi quẽ pariat uxor ſtupidũ, brutæq; mentis infantẽ. Nõ em̃ ſibi uidẽt hominẽ genuiſſe, ſed oſtẽtũ, & niſi legũ metus obſtaret, neci darẽt q̃d natũ eſt. Incuſas naturã quæ partui tuo mẽtẽ hominis negarit, & ipſe tua negligẽtia facis, ut filius humanæ mẽtis ſit expers? At præſtat eſſe brutæ mẽtis, q̃ improbæ. Imò præſtat eſſe ſuẽ q̃ hominẽ indoctũ, ac malũ. Natura quũ tibi dat filiũ, nihil aliud tradit, q̃ rudẽ maſſam. Tuæ partes ſunt, obtemperantẽ & in omnia ſequacẽ

materiam

materiam in optimum habitum fingere. Si ceſſes, ferâ habes: ſi aduigiles numẽ, ut ita loquar, habes. Statim ut naſcitur infans, docilis eſt ad ea quæ ſunt hominis propria. Itaq; iuxta Vergilianum oraculum, præcipuum iam inde à teneris impende laborem. Mox tracta ceram dum molliſſima eſt, finge argillam etiamnum udam, imbue liquoribus optimis teſtam, dum rudis eſt, tinge lanam dum à fullone niuea uenit, nullisq; maculis cõtaminata. Subindicauit hoc perquàm feſtiuiter Antiſthenes, qui cum filium cuiuſdam ſuſcepiſſet erudiendũ, rogatus à parente quibus rebus eſſet opus, libro, inquit, nouo, ſtylo nouo, tabella noua. Nimirum rudem ac uacuum animum requirebat philoſophus. Non potes habere rudem maſſam. Niſi fixeris in hominis ſpeciem, in ferarum monſtroſas effigies ſua ſponte deprauabitur. Hoc officium quũ deo naturæq; debeas, etiamſi nulla ſpes ſit ad te redituri fructus, tuo cum animo fac reputes quantum ſolacij, quantum utilitatis, quantum dignitatis parẽtibus ad ferant à teneris annis recte inſtituti filij. Rurſum in quæ probra, in quas calamitates parentes ſuos conie/cerint perperam educati liberi. Nihil opus eſt, ut hic tibi ex priſcorum annalibus exempla proferam, circumfer modo cogitationem tuã, per tuæ ciuitatis familias, quàm multa ſeſe offerent undiq; ? Scio tibi frequẽter audiri huiuſmodi uoces: O me felicem, ſi orbus eſſem.

O me

O me fortunatam,si nunquam peperissem. Operosa res est recte instituere liberos,fateor, sed nemo sibi nascitur,nemo nascitur ocio. Pater esse uoluisti, pius pater sis oportet, Reipub. non tibi tantum genuisti, aut ut Christianius loquar,deo genuisti,non tibi. Paulus scribit ita demum seruari fœminas, si filios genuerint, itaq; educauerint,ut perseuerent in studio pietatis. A parẽtibus exiget deus quicquid peccauerint filij. Proinde nisi mox honestis rationibus instituis quod natum est,primum in te ipsum iniurius es, qui tua negligentia hoc tibi paras,quo nihil hostis hosti posset imprecari grauius,aut molestius. Dionysius Dionis profugi filium adolescentulum,in aulam pertractum delicijs effœminauit,hoc sciebat patri fore tristius, quàm si ferro necasset. Paulo post adolescens quum à patre reuerso ad pristinam probitatem urgeretur,è cœnaculo se præcipitem dedit. Verissime quidem dixit sapiẽs quidam hebræus:Filius sapiens lætificat patrem,filius stultus mœstitia est matri suæ. At filius sapiens non modo uoluptati est patri suo, uerum est & ornamento,& subsidio, deniq; uita est patri suo. Contrà filius stultus & improbus non solum mœrorem adfert parentibus,uerum & probrum, & egestatem, & senium præmaturũ,deniq; mortem cõciliat ijs, unde uiuendi cœpit exordiũ. Itaq; quid attinet cõmemorare? quotidie sunt in oculis exempla ciuium, quos liberorũ per-

diti mores è diuitijs ad mendicitatē redegerunt, quos filius in crucem actus, aut filia in lupanari proſtans intolerabili excruciat atque exanimat ignominia. Noui magnates eximios, quibus ex multis liberis uix unus ſuperſit incolumis, alius abominanda lepra quam ὑποκορίζοντες ſcabiem gallicam uocant, tabefactus, funus ſuum circumfert, alius in bibēdi certamine crepuit, alius dum noctu ſcortat' perſonatus, miſere trucidatus occubuit. Quid in cauſa? Quoniā parentes ſatis habent genuiſſe ac ditaſſe, educādi cura nulla eſt. Leges in eos fæuiūt, qui fœtus ſuos exponunt, & in nemus aliquod objiciūt feris deuorādos. At nullū crudelius eſt exponēdi genus, q̄ quod natura dedit optimis rationibus ad honeſta fingēdū, id beluinis affectibus tradere. Si qua Theſſala mulier eſſet, quæ malis artibus poſſet & conaret' filiū tuū in ſuem aut lupū uertere, nónne putares nullū ſuppliciū ſatis dignū illius ſcelere? At quod in illa deteſtaris, tu ipſe ſtudio facis. Quàm immanis fera libido, q̄ uorax & inſatiabilis belua luxus, q̄ effera beſtia temulētia, q̄ nocens animal ira, q̄ horribilis fera ambitio. His beluis exponit filiū ſuū quiſquis nō à teneris ſtatim unguiculis cōſuefacit amare q̄d honeſtū eſt, horrere turpitudinē: quin potius nō ſolū objicit illū feris, q̄d ſolēt expoſitores maxime crudeles, uerū quod eſt grauius, immanē ac pernicioſam beluā in ſuū ipſius alit exitiū. Execrabile cū primis genus homi

num

num eſt,quod infantum corpus faſcino uiciat,quid de parentibus ſentiendũ,qui ſua negligẽtia prauaq; educatione effaſcinant animũ? Parricidæ uocant, qui fœtus recẽs natos enecãt,& corpus modo perimũt,quãto maior impietas eſt necare mentẽ? Quid em̃ aliud eſt animæ mors q; ſtultitia, q; inſcitia, q; malicia? Nec minus interim iniurius eſt in patriã,cui quod quidẽ in ipſo eſt tradit peſtilentẽ ciuem. Impius eſt in deũ, à q̃ prolem in hoc accepit,ut ad pietatem inſtitueret. Hinc perſpicuũ eſt,quàm non leue, nec ſimplex flagitiũ admittant,q̃ negligũt teneræ ætatis inſtitutionẽ. Sed his quoq; quemadmodũ attigeram,peccant grauius, qui non ſolum non formant ad honeſta,uerum etiam teneram ac rudem infantuli teſtulã imbuunt ad nequiciam, doceturq; uicia, priuſquàm norit quid ſit uiciũ. Quomodo modeſtus erit uir & faſtus contẽptor, qui repſit in purpura? Nódũ poteſt prima rerũ uocabula ſonare,& iã intelligit quid ſit coccũ, iã poſcit cóchyliũ, iam ſcit quid ſit ſcarus & mullus, & cũ faſtu reñcit plebeios cibos. Qui uerecundus eſſe poterit quũ adoleuerit,qui infantulus ad impudicitiã fingi cœpit? Quo pacto liberalis euadet grãdis,qui tantillus nũmos & aurum mirari didicit? Qui temperabit à luxu iuuenis,cuius palatũ prius corrupimus, q; mores formare cœperimus? Si q̃d nuper repertũ eſt ueſtis genus,ut quotidie ueſtiariorũ ars uelut olim Africa, parit aliq̃d noui

monſtri,hoc infanti addimus.Docetur ſibi placere, & ſi tollatur,repoſcit iratus.Quo pacto grãdis oderit temulentiam,qui infans didicit eſſe uinoſus? Inſtillant illis uerba uix Alexandrinis,ut ait ille,permittenda delicĳs. Huiuſmodi ſi quid reddidit puer , oſculis excipiunt.Nimirum agnoſcunt ſuos fœtus minime degeneres, quippe quum ipſorũ uita nihil aliud ſit q̃ exemplum nequiciæ.Haurit infans impudicas nutricũ blandicias,& quaſi manu,quod aiunt, fingitur laſciuis contactibus. Videt patrem eximie potum, audit dicenda tacendaq̃ effutientem . Aſſidet immodicis ac parum pudicis conuiuĳs,audit domum mimis, tibicinibus & pſaltrĳs,ac ſaltatricibus perſtrepentem . His moribus ſic aſſueſcit puer,ut cõſuetudo tranſeat in naturã. Sũt nationes,quæ pueros adhuc à matre rubentes ad ferociam militarem formant.Diſcunt tueri toruum,diſcũt amare ferrum,diſcunt infligere plagam. Ab huiuſmodi rudimentis traduntur præceptori,& miramur,ſi experimur illos ad uirtutem indociles , qui uicia cũ ipſo ſtatim lacte combiberũt? Sed audio quoſdam ita patrocinantes ſuæ ſtultitiæ, ut dicant hac uoluptate quæ capitur ex infantium laſciuia , nutricationis penſari tædium.Quid ego audio? Gratius eſſe poteſt uero parenti,ſi quid exprimat puer turpiter factũ , aut nequiter dictum,quàm ſi bleſa lingula ſentẽtiam reddat ſalubrem,aut ſi quod aliud pie factum imitetur? Natura pe-

ra peculiariter addidit ætati primæ facilitatem imitandi, sed tamen aliquanto pronior est ad nequiciã quàm ad honestatem æmulatio. An uiro bono iucũdior est turpitudo, q̃ uirtus, præsertim in liberis? Eluis si quid sordium inciderit in cutem infantis, & tam fœdis maculis inficis illius animum? Nihil autẽ hæret tenacius, quàm quod uacuis animis instillatur. Quid habẽt obsecro, materni cordis fœminæ, quæ infantes suos usq̃ ad annum penè septimum in sinu detinent, ac tãtum non pro morionibus habent? Si usqueadeò iuuat ludere, quin simias ac melitæas catellas sibi comparant? Pueri sunt, inquiũt, sunt, sed dici uix possit quantũ habeant momẽti ad totius uitæ rationẽ prima illa infantiæ rudimenta, quã́q̃ durum & intractabilem formatori reddat puerum mollis illa ac dissoluta educatio, quam indulgentiam appellant, quum re uera sit corruptio. An nõ in huiusmodi matres mire cõpeteret malæ tractationis actio? Est em̃ planè ueneficij genus, est parricidij genus. Dant pœnas legibus qui pueros effascinãt, aut uenenis lædũt infirma corpuscula, quid merentur istæ, quæ præcipuam infantis partem pessimis uenenis corrumpunt? Leuius est corpus q̃ animũ occidere. Si puer inter strabos, balbos, aut claudos educatur, contagio uiciatur corpus, uicia mentis occultius quidem, sed & celerius transiliunt, & altius insidũt animorum mala. Meritò quidem Paulus apostolus hoc

honoris habuit Menandri uerſiculo, ut in epiſtolis ci/
tarit: Mores bonos colloquia corrumpũt mala. Verũ
is nuſquam eſt ueracior quàm in infantibus. Ariſtote
les rogatus à quodam,quibus rationibus efficere poſ/
ſet,ut equum haberet eximium,ſi inter generoſos, in/
quit,equos educetur. Quod ſi nos nec pietas,nec ratio
docere poteſt quantũ ſollicitudinis debeatur ætati pri
mæ liberorũ,ſaltem à brutis animantibus licebat exẽ/
plum petere. Nõ enim pigere debet ab his rem tanto
uſui futurã diſcere, unde tam multa frugifera iã olim
didicit humanũ genus,quãdo uenarũ inciſionem mõ/
ſtrauit Hippopotamus, Clyſteris uſum quẽ mire pro
bant medicorũ filij monſtrauit Ibis auis Ægyptia. Di
ctamũ herbã extrahẽdis ſagittis efficacẽ à ceruis didi/
cimus. Iidem docuerunt cancrorũ eſum aduerſus pha
langiorũ ictus eſſe remedio. Quin & lacertis magiſtris
didicimus Dictamũ aduerſus ſerpentiũ morſus habe
re ſolatiũ. Eſt enim huic animãtiũ generi naturale bel
lũ aduerſus ſerpẽtes,à qbus uulnerati deprehenſi ſunt
ab ea herba medicinã petere. Chelidoniã hirundines
indicarunt,& herbæ nomẽ dederũt. Cunilã bubulam
cõtra ſerpẽtiũ ictus utilẽ docuit Teſtudo. Muſtela ru/
tam nobis medicinis habilẽ cõmendauit. Ciconia ori/
ganũ. Hederã morbis mederi mõſtrarũt apri. Serpen
tes docuere marathrũ oculorũ aciem iuuare. Lactucis
nauſeã ſtomachi reſtringi draco admonuit. Excremẽ/
ta hu/

ta humana habere uim aduerſus aconitū pātheræ do cuerunt, aliaq; cū his innumera remedia didicimus à brutis animātibus. Inſuper & artes nō parū uitæ neceſ ſarias. Proſcindendi arui rationē monſtrarūt ſues. Lu teas macerias tēperare monſtrauit hirūdo. Ne ſim lō/ gior, penè nihil eſt ad hominū uitā utile, cuius natura nobis nō propoſuit in brutis exemplū, ut qui philoſo phiam ac diſciplinas nō didicerunt, ſaltē ab his admo neant̃ officiū ſui. An nō uidemus quodq; animal fœ/ tus ſuos, nō ſolū gignere, atq; educare, uerūetiā forma re ad naturalē ipſorū functionē? Auis naſcitur ad uo/ latū, agnoſcis huc inſtitui fingiq; à parentibus. Vide/ mus domi, ut feles præeant exerceantq; catulos ſuos, ad muriū & auicularū uenatum, quod hinc illis uictus ſit. Oſtendunt prædam etiamnū uiuam, docent fugiē/ tem ſaltu prendere, deniq; docent ueſci. Quid cerui? Nónne fœtus æditos, protinus exercent curſu, & fugā meditari docent, ad prærupta ducunt, ſaltūq; demon/ ſtrāt, q̄d his artibus tuti ſint aduerſus uenatorū inſidi/ as? Memorat̃ elephātorū ac delphinū in educādis mi noribus ueluti pædagogica quædā diſciplina. In luſci/ niis deprehēdimus docētis ac diſcētis officia, maioris præeūtis, reuocātis & corrigentis, minoris reddentis & corrigentis. Quēadmodū aūt canis naſcit̃ ad uenatū, auis ad uolatū, equus ad curſum, bos ad aratrū, ita ho mo naſcit̃ ad philoſophiā & honeſtas actiones: atq;

ut unum

ut unũquodq; animãtium facillime diſcit id ad quod natum eſt, ita homo quàm minimo negocio percipit uirtutis & honeſti diſciplinam, ad quam ſemina quædam uehemẽtia naturæ uis inſeuit, modo ad naturæ propenſionẽ accedat formatoris induſtria. Quid autẽ abſurdius, q̃ animalia rationis expertia ſcire ac meminiſſe ſuum erga fœtus officium, hominẽ qui rationis prærogatiua à brutis ſecernit' neſcire quid debeat naturæ, quid pietati, quid deo? Atqui brutorum genus nullum expectat à ſobole ſua nutricationis aut inſtitutionis præmium, niſi forte credere libet quod ciconiæ parentes ætate defectos uiciſſim nutriunt, humeris q̃ baiulant. At inter homines quoniã pietatis gratiã nulla ſoluit ætas, quod ſolatium, quod decus, quod præſidium ſibi parat, qui filiũ recte curat inſtituendũ? Natura tibi tradit in manus nouale, uacuũ quidẽ, ſed ſolifelicis, tu per incuriã ſinis hoc uepribus ac ſpinis occupari, uix ulla induſtria in poſterum euellendis. In exiguo grano, quàm ingens latet arbor, quos fructus datura ſi eruperit. Totus hic prouentus perit, niſi ſemen in ſcrobem mittas, niſi teneram plantulam ligneſcentem cura foueas, niſi inſitione quaſi cicures. Et in plãta cicurãda uigilas, in filio dormitas? Tota uero ratio felicitatis humanæ tribus potiſſimum rebus conſtat, natura ratione & exercitatione. Naturam appello docilitatem ac propenſionem penitus inſitam ad res honeſtas.

ſtas. Rationem uoco doctrinam, quæ monitis cõſtat & præceptis. Exercitationem dico uſum eius habitus quem natura inſeuit, ratio prouexit. Natura rationẽ deſiderat, exercitatio niſi ratione gubernet, multis periculis atq; erroribus eſt obnoxia. Vehementer igitur falluntur, qui ſatis eſſe putant naſci: nec minus errant, qui credũt tractandis rebus gerẽdisq; negocijs abſq; philoſophiæ præceptis parari ſapientiam. Dic mihi quando euadet bonus curſor, qui ſtrennue quidẽ currit, ſed in tenebris, aut uiæ ignarus? Quando erit bonus gladiator, qui clauſis oculis ſurſum ac deorſum uentilat gladium? Philoſophiæ præcepta, uelut oculi ſunt animi, & quodãmodo prælucent, ut uideas quid facto ſit opus, quid ſecus. Multum quidem adfert utilitatis, diutinus uariarum rerum uſus, fateor, ſed ſapienti, bene agendi præceptis diligenter inſtructo. Supputa quid fecerint, quid paſſi ſint per omnem uitam, qui ſibi rerum experientia qualẽcunq; prudentiam licet miſeram compararunt, & cogita num tantum malorum optes filio tuo. Adde quod philoſophia, plus docet unico anno, quam annis triginta quantalibet rerum experientia: & tuto docet, quum plures experiendo calamitoſi euadant, quàm prudentes, ut non ab re ueteres eum periculũ facere dixerint, & periclitari qui rem experimento tentaret. Age ſi quis filium ſuum cuperet medicæ rei peritum eſſe, utrum mallet illum

euoluere medicorum libros, an experimento discere, quæ res ueneno læderet, aut remedio iuuaret? Quàm infelix prudentia est, quum nauclerus crebris naufragijs didicit artem nauigandi, quum princeps assiduis bellis ac tumultibus, malisq; publicis didicit gerere magistratum. Stultorum ista, nimioq; constans prudentia est, malo ictos demum sapere. Magno discit, qui errando discit ne erret. Grauiter Philippus Alexandrum filiũ admonuit, ut se docilem præberet Aristoteli, atq; ab eo philosophiam perdisceret, ne multa faceret, quæ iam ipsum fecisse pœniteret. Et tamen in Philippo prædicat insignis ingenij dexteritas. Quid igitur à uulgaribus expectandũ censes? At ratio monstrat compendio, quid sequendum, quid uitandũ sit, nec illa post acceptum malum monet, hoc male cessit, posthac caue, sed priusquàm aggrediare, clamat: Hoc si feceris, & infamiam, & exitium tibi parabis. Nectamus igitur hunc triplicem funiculum, ut & naturã ducat ratio, & rationem consummet exercitatio. Iam in cæteris animantibus perspicimus unumquodq; hoc facillime discere, quod cuiusq; naturæ maxime proprium est, quodq; primum est ad incolumitatis tutelam, ea sita est in uitandis ijs quæ molestiã aut perniciem adferunt. Hic sensus inest & plantis, non solum animantibus. Siquidem uidemus & arbores qua maris odor spirat, aut quà flat boreas, cõtrahere frondes

acra

acramos,& se ad auram clemẽtiorem explicare. Quid autẽ est hominis maxime proprium? Iuxta rationem uiuere,unde & rationale animal dicitur,& ab alogis secernitur . Quid autem est homini pernicioſissimum? Stultitia . Nullius igitur rei docilior erit quàm uirtutis,nec ab ulla re facilius discet abhorrere, quàm à stultitia,si modo parentum industria naturam uacuã protinus occuparit . Sed audimus miras uulgi querimonias , quàm puerorum natura procliuis sit in uicium, quàm difficile pertrahatur ad amorem honesti. Præter meritum accusant naturam. Huius mali pars maxima nostro uicio debetur,qui prius corrumpimus ingenia uicijs quàm tradimus uirtutes. Nec mirum, si illos parum dociles habemus ad honesta , quum iam docti sint ad nequiciam . Quis autem nescit ut priorem, ita difficiliorem esse laborem dedocendi,quàm docendi? Porrò trifariam hic peccat hominum uulgus , uel quia prorsus negligunt liberorum institutionem , uel quia serius incipiunt illorum animos ad philosophiã fingere,uel quia tradunt his à quibus discant dediscẽda. Primi generis homines parentum indignos nomine demonstratum est,eosq; minimum differre ab his qui natos infantes exponunt,meritoq; plectendos legibus, quæ hoc quoq; diligenter præscribunt , quibus rationibus sit instituenda pueritia, mox adolescentia. Secundum genus latissime patet, cum quo mihi nunc

præcipue instituta est pugna. Tertium bifariam peccat, partim ignorantia, partim incuria. Atqui cum rarum ac turpe sit ignorare, cui equum aut fundum curandum committas, quanto turpius est nescire, cuius fidei tradas charissimam possessionum tuarum partē. Ibi discere studium est, quod parum ex te calles, consulis peritissimum quemqꝫ, hic nihil referre credis, cui committas filiū. Non sine delectu seruis sua quibusqꝫ partiris munia. Exploras quem agro colendo præficias, quem rei culinariæ destines, cui parteis œconomi deleges. At si quis est prorsus inutilis ad omnem functionem, tardus, piger, insulsus, lurco, huic cōmittitur formandus puer, & quæ res summum artificem desiderat, famulorum infimo committitur. Quid læuum est, si hic homines non habent læuam mentem? Sunt quos animus sordidus deterret à conducendo præceptore idoneo, & pluris cōducitur equiso quàm filiī formator. Et tamen interim indulgetur sumptuosis conuiuijs, noctu dieꝫ luditur damnosa alea, multum impenditur uenatibus, & morionibus. In eo solo parci sordidiꝫ sunt, cuius gratia poterat excusari cæteris in rebus parsimonia. Vtinam pauciores essent, qui plus impendunt putido scorto, quàm educando filio. Res, inquit Satyricus, nulla minoris constabit patri quàm filius. Nō absurdum fortasse fuerit hic meminisse diarij, quod olim Cratetis nomine celebrabat. Id ad hūc

refertur

refertur modum. Ponito coquo minas decem, medico drachmam, assentatori talenta quinque, consiliario fumum, meretrici talentum, philosopho triobolũ. Quid huic præposteræ rationi deest, nisi ut addas liberorũ formatori teruncium? Quanquam arbitror hic philosophi nomine signari præceptorem. Aristippum quũ quidam nummis beatus, sed mentis inops perconta retur, quãtum mercedis posceret pro filio instituendo, atq; ille popposcisset quingentas drachmas, immensum, inquit, postulas. Ista summa seruum mercari licebit. Tum philosophus perquàm lepide: At nunc, inquit, pro uno duos es habiturus, filium officijs utilem, & philosophũ filij doctorem. Iam si quis roget quẽpiam, uellét ne unius filij exitio, centum equos lucrifacere, si micã habeat sanæ mentis, respondebit, opinor, nequaquam. Quur igitur pluris cõstat equus, quur diligentius curatur, quàm filius? Cur morio charius emitur, quàm instituitur filius? Alibi sit locus frugalitati, hic esse frugalem non est parsimonia, sed dementia. Sunt rursus, qui nõ sine iudicio deligunt liberis præceptorẽ, sed hoc precibus dant amicorũ. Præteritur idoneus formãdæ pueritiæ artifex, & asciscitur inutilis, nõ ob aliud, nisi quia precibus amicorum commendatus est. Quid agis demens? In nauigando nihil moraris affectum commendantium, sed eum admoues clauo, qui gubernandæ nauis sit callentissimus: in filio in

quo non ipſe ſolum periclitatur,ſed pater ac mater,to ta familia,atq; ipſa etiam Reſpub. non idem adhibes iudicij? Laborat equus, utrum aſciſcis medicũ ex amicorum commendatione,an ex curãdi peritia? Quid? an tibi filius equo uilior eſt? Imò, num tu tibi uilior es equo? Hoc quum turpe ſit in mediocris fortunæ ciuibus, quanto turpius eſt in magnatibus? Vnica cœna in aleam, peſſimum ſcopulum, impingentes, naufragiumq; facientes perdunt triginta milia, & ſumptum uocant,ſi formando filio impendant mille. Naturam nemo nec alij cuiquam, nec ſibi dare poteſt, quanquã hic quoque nonnihil habet momenti parentum cura. Prima eſt, ut uir ſibi deligat uxorem, bonam, ex bonis prognatam,probeq; educatam, tum proſpera corporis ualetudine. Quum enim ſit arctiſſima corporis animiq; cognatio, fieri non poteſt,quin altera res ab altera uel adiuuetur,uel lædatur. Proximũ eſt,ut maritus ſi quãdo liberis procreandis dat operam,nec commotus,nec temulentus id faciat. Siquidẽ arcano quodam contagio affectiones illæ tranſeunt in fœtum. Non inſcite id notaſſe uidetur philoſophus quidam, qui quum conſpiceret adoleſcentem parum ſobrie ſeſe gerentem. Mirum,inquit,ni pater ebrius te proſeminauit. Equidem uehementer illud quoq; reor ad rem facere,ſi pater ac mater quum omni quidem tempore, ſed præcipue conceptionis ac geſtationis,mentem habeant

beant ab omni crimine liberam, beneq; sibi cõsciam. Tali enim mente, nihil potest esse tranquillius, nihil lætius. Hinc ordiri decuit educationis sollicitudinẽ potiusquàm ab anno decimo, aut ut multi faciunt, à decimoseptimo. Tertiũ est, ut aut mater uberibus suis alat infantem, aut si qua necessitas inciderit, quo minus id liceat, nutrix deligat, corpore salubri, lacte puro, moribus probis, nec temulẽta, nec rixosa, nec impudica: hærent enim in adultam usq; ætatem, tum corporum, tũ animorum uicia ab ipsis uitæ crepundijs hausta. Hic etiam referre tradunt quos infantulus habeat collactaneos, quos collusores. Quartũ, ut mature tradatur præceptori è multis selecto, omnium testimonio probato, multisq; modis explorato. Semel accurate peragẽda est electio. πολυκοιρανίη damnat Homerus, & iuxta Græcorum uetus adagium: Multitudo imperatorum Cariam perdidit. Nec paucis exitium attulit subinde mutatus medicus. Nihil inutilius, quàm frequẽter mutare præceptorem. Ad eum enim modum Penelopes tela texitur ac retexitur. At ego noui pueros, qui ante annum duodecimum, plusquàm quatuordecim præceptoribus usi sunt, idq; parentum incogitantia. Nec interim cessabit cura parentum. Obseruabunt & præceptorem, & filium, nec sic ablegabunt ab se sollicitudinem, quemadmodum solent omnem filiæ curam in sponsum transferre, sed subinde reuiset pater explora

turus

turus ecquid profecerit, memor illorum quæ grauiter simul ac prudenter dixit antiquitas, frontem occipitio priorem esse, & nihil citius pinguem reddere equũ, q̃ oculum domini, nec ullum letamẽ agrum reddere fertiliorem, quàm domini uestigium. De teneris loquor, nam adultiores expedit interdũ procul ab oculis submouere, quæ res insitionis instar, potissimum cicurare solet iuuenum ingenia. Inter egregias Pauli Æmylij uirtutes celebratur & illud, quod quoties licebat per Reipub. negocia, filiorum suorum exercitamentis solet interesse. Nec Plinius nepos grauatus est subinde scholam inuisere ob amici cuiusdam filiũ, quem ad disciplinas alendum susceperat. Iam quod de natura dictum est, non est simplex. Est enim natura speciei communis, uelut hominis natura est, ratione uti. Sed est natura huic aut illi peculiaris, ueluti quosdam mathematicis disciplinis, alios Theologiæ, hos Rhetoricæ aut Poëticæ, illos militiæ natos dicas. Tãta ui rapiunt ad hæc studia, ut nulla ratione possint deterreri. Aut tam uehementer abhorrẽt, ut citius in ignem ituri sint, quàm ad inuisam disciplinam animũ applicaturi. Domestice noui quẽdam Græce Latineq̃ perpulchre doctum, & omnibus liberalibus disciplinis eleganter instructum, quem Archiepiscopus cuius benignitate alebatur huc literis adegerat, ut inciperet audire iuris professores, reclamante natura. Hanc querimoniam cum

apud

apud me exponeret, nam idem nos habebat lectus, hortatus sum hominem, ut suo patrono morem gereret, fore leuius quod initio durum esset, ac saltem aliquam temporis partem ei studio daret. Quũ ille protulisset aliquot loca prodigiosæ inscitiæ, quæ tamen illi semidei professores, magna cum autoritate traderẽt auditoribus, Respondi, ut illa contemneret, & quæ recte traderent, decerperet: quumq; multis argumentis urgerem hominẽ. Sic, inquit, sum affectus, ut quoties ad hæc studia me uerto, uideatur ensis perfodere pectus meum. Sic natos non arbitror aduersus Mineruam compellendos, ne quod dici solet, bouem ducamus ad ceroma, asinũ ad lyram. Fortassis huius propensionis licet & in paruulis notas quasdã deprehendere. Sunt qui ex horoscopo solẽt talia uaticinari, quorum iudicio quantum sit tribuendum, æstimationem cuiq; suam liberam facio. Profuerit tamen hoc quàm primum deprehendisse, quod ea facillime percipimus ad quæ nos natura composuit. Non arbitror prorsus esse uanũ, ex oris reliquiq; corporis figura, habituq; coniectare indolem, certe Aristoteles tantus philosophus, non grauatus est περὶ τοῦ φυσιογνωμεῖν uolumen ædere, nec indoctum, nec inelaboratum. Vt commodior est nauigatio, quum & æstus fauet & uentus, ita facilius instituimur his, ad quæ nos inclinat ingenij propensio. Vergilius commonstrauit notas, quibus

e colligere

colligere possis boucm aratro idoneum, aut uaccam armento propagando aptam. Optima toruæ forma bouis. Docet, quibus signis deprehendas pullum equinum olympicis certaminibus utilem futurum. Continuo pecoris generosi pullus in aruis Ingreditur, &c. Nam carmen agnoscis. Errant qui credunt naturam nullas homini notas addidisse, quibus colligi possit ingeniũ, peccant uero, qui datas non obseruant. Tam etsi meo quidem iudicio, uix ulla est disciplina, ad quã hominis ingenium non docile nascatur, si præceptionibus & exercitatione institerimus. Quid enim nõ discat homo, quum elephantus institutione fiat funambulus, saltator ursus, & morio asinus? Quemadmodũ igit' natura nemini sua in manu est, ita docuimus esse, in quo naturã aliquo pacto ualeamus adiuuare. Cæterũ ratio & exercitatio tota nostræ est industriæ. Quantum ualeat ratio, potissimũ illud declarat, quod quotidie uidemus machinis & arte tolli onera, quæ nullis alioqui uiribus moueri poterant. Quãtum autem habeat momenti exercitatio, satis arguit illud cũ primis celebre prisci sapientis dictum, quod curæ ac meditationi tribuit omnia. Ac ratio quidem requirit docilitatem, exercitatio laborem. Sed labor, inquiunt, non cõuenit ætati teneræ, docilitas uero quæ tandem potest esse in pueris, qui uix dum sciunt se homines esse? Ad utrunq; paucis respondebo, qui conuenit, ut ætas habeatur

beatur indocilis ad literas, quæ iam moribus fingendis apta est? Verum ut sunt uirtutum rudimenta, ita sunt & disciplinarum. Habet philosophia suam infantiam, habet adolescentiam, habet maturitatem. Equinus pullus, qui iam tum præ se fert generosam indolẽ, non statim urgetur lupatis, ut armatum sessorem tergo uehat, mollibus exercitamentis discit meditari bellum. Vitulus aratro destinatus, non protinus onerat ueris iugis, nec urgetur acribus stimulis, sed ut eleganter docuit Maro, Primũ laxos tenui de uimine cyclos
Ceruici subnectũt, dehinc ubi libera colla
Seruitio assuerint, ipsis è torquibus aptos
iungũt pares, & cogũt gradum conferre iuuencos.
Atq; illis iam sæpe rotæ ducuntur inanes,
Per terram, & summo uestigia puluere signant.
Post ualido nitens sub pondere faginus axis
Instrepit, & iunctos temo trahit æreus orbes.
Agricolæ norunt habere rationem ætatis in bubus, & exercitia pro modo uirium attemperant, multo diligẽtius id faciendum est in liberis instituẽdis. Ad hæc naturæ prouidentia habilitatem quandam peculiariter inseuit paruulis. Infans nondum idoneus est cui prælegas officia Ciceronis, aut Aristotelis ethica, aut Senecæ Plutarchiúe morales libellos, aut epistolas Pauli, fateor, sed interim si quid indecore facit in conuiuio, monetur, & monitus se componit ad commonstratũ

exemplar. Ducitur in templum, discit flectere genua, cõponere manusculas, aperire caput, totumq; corporis habitum ad religionem formare, iubetur silere quũ peragũtur mysteria, ad altare uertere oculos. Hæc modestiæ pietatisq; rudimenta prius discit puer quàm fari nouit, quæ quoniam inhærent in grandiorem ætatem, nonnullum profectum adferũt ad ueram religionem. Primum nato nullum discrimen est inter parentes & alienos. Mox matrẽ discit agnoscere, deinde patrem. Eosdem paulatim discit & reuereri, discit obtemperare, discit amare. Dediscit iracundiam, dediscit uindictam, iussus osculum dare, cui indignabatur, dediscit importunam garrulitatem. Discit assurgere seni, discit aperire caput ad imaginem crucifixi. Qui putãt hæc qualiacunq; uirtutis elemẽta nihil habere momẽti ad probitatem, uehementer errant mea quidem sententia. Adolescens quidã reprehensus à Platone quod aleam luderet, questus est, quod ob tantillum malum tam acriter obiurgaretur. Tum Plato, ut leue malum sit, inquit, ludere aleam, graue tamen malum est assueuisse. Vt igitur paruis malis assueuisse magnũ est malum, ita pusillis bonis assueuisse, magnum est bonum. Atque harum rerum hoc docilior est ætas illa tenera, quod suapte natura flexilis est in omnem habitum, quod nondum ullis uicijs est occupata, quod gaudet etiã imitari, si quid præeas. Quæ ut uulgo uicijs assue-

scit

scit,priusquàm intelligit, quid sit uicium, ita pari ferè facilitate uirtutibus poterit assuescere. Optimis autem rebus,optimum est protinus assuescere. Durat is habi tus in quem uacuum ac tenerum animũ finxeris. Naturam expellas furca,tamen usq; recurrit, scripsit Flaccus. Scripsit,& quidem uerissime,sed scripsit de arbore adulta. Proinde cordatus agricola statim plantulã in eam speciem componit, quam in arbore uult esse perpetuam. Protinus in naturam uertitur, quod omniũ primum infuderis. Argilla nimium uda,formam impressam non retinet,cera tam mollis esse potest,ut inhabilis sit fingẽti. At uix ulla est ætas tam tenera,quæ disciplinæ capax nõ sit. Nulla, inquit Seneca, ætas ad discendum sera est,hoc an uerum sit nescio, certe grandior ætas ad quædã discenda dura est. Illud extra controuersiam est,nullam esse ætatem tam recẽtem,ut nõ sit habilis institutioni, præsertim earum rerũ ad quas natura composuit hominem. Nam in hoc ipsum infantiæ peculiarem quandam, ut modo dicebam, imitandi libidinem addidit, ut quicquid audierint uiderintúe,gestiant æmulari,gaudeantq; si quid sibi uidẽtur assequuti,Simios quosdã esse dicas. Atq; hinc prima ingenij docilitatisq; coniectura. Proinde ut natus est homo,statim moribus discẽdis aptus est. Mox ut fari cœperit,habilis fit ad institutionem literarum. Cuius prior est ratio, ad id protinus addita est docilitas.

Siquidem eruditio quanquam infinitas habet cõmoditates,tamen nisi uirtuti famuletur , plus adfert mali quàm boni.Meritò reiecta est à doctis illorum sentẽtia,qui putauerunt ætatem, minorẽ septem annis , nõ admouendam literis , cuius sententiæ autorem plurimi crediderunt Hesiodum,quanquam Aristophanes grammaticus ὑποθήκας, quo in opere id proditum est, negat esse Hesiodi. Insignis tamẽ scriptor fuerit oportet,qui talem ædidit librum , ut eruditis etiam Hesiodum parentem referre uideretur. Verum ut citra controuersiam fuerit Hesiodi , nullius hominis autoritas tantum apud nos ualere debet , ut pigeat meliora sequi,si quis attulerit. Tametsi quicunque fuerunt huius sententiæ,non hoc senserunt , totum hoc temporis usque ad annum septimum, oportere uacare omni cura institutionis, sed ante id ætatis pueros non esse uexandos labore studiorum, in quibus omnino tædia quædam deuoranda sunt, uelut ediscendi , reddendi,scribendicꝫ . Vix enim reperias ullum tam docile tamcꝫ tractabile ac sequax ingenium , quod his rebus prorsum absque stimulis assuescat. Chrysippus nutricibus tribuit triennium,non ut interim uacetur ab institutione præsertim morum & linguæ,sed ut blãdioribus rationibus uirtuti literiscꝫ præparetur infans,uel à nutricibus uel à parentibus, quorum mores plurimum adferre momenti ad formandos pueros extra controuersiam

siam est. Quoniam autem prima puerorum institutio est, ut discant explanate emẽdateq; loqui, hic olim nutrices, ac parentes non mediocri erant adiumento. Hoc initium non modo plurimum habet momẽti ad eloquentiam, uerum etiam ad iudicandum, & ad omnium disciplinarum cognitionem. Linguarũ enim inscitia disciplinas uniuersas aut extinxit, aut depraua uit, atq; adeo Theologiam quoq;. Medicinam, & Iurisprudentiam. Admirabilis fuit olim Gracchorũ elo quentia, sed quam bona ex parte Corneliæ matri debebãt, M. Tullij iudicio. Apparet, inquit, filios nõ tam in gremio educatos, quàm in sermone matris: gremiũ igitur illis maternum, erat prima schola. Quin & Lelia Caij patris elegãtiam dictione referebat. Quid mirum? Rudis adhuc inter parentis complexus illius sermone tincta fuerat. Idem euenit huius duabus sororibus Mutiæ & Liciniæ Caij neptibus. Nominatim autem laudatur Liciniæ in dicendo elegãtia, quæ fuit L. Crassi filia, Scipionis cuiusdã, ni fallor, coniunx. Quid multis? Tota domus, totaq; gens usq; ad nepotes ac pronepotes sæpe retulit maiorum in dicendo elegantiam. Q. Hortensij filia sic exprimebat paternam eloquentiam, ut olim extiterit illius oratio apud triumuiros habita, non tantum, ut ait Fabius, in sexus honorem. Ad emendate uero loquendum nõ leue momentum habẽt & nutrices, & pædagogi, & colluſores pueri. Quod

ri. Quod enim ad linguas attinet, tanta eſt illius ætatis docilitas, ut intra paucos mẽſes puer Germanus diſcat gallice, idq; inſciens & aliud agẽs, nec unquam ea res ſuccedit felicius, quàm annis quàm maxime rudibus. Quod ſi id fit in lingua barbara & anormi, quæ aliud ſcribit quàm ſonat, quæq; ſuos habet ſtridores & uoces uix humanas, quanto id facilius fuerit in lingua Græca ſeu Latina? Mithridates rex duas & uiginti linguas ſic calluiſſe legitur, ut cuiq; genti citra interpretem propria lingua ius redderet. Themiſtocles intra anni ſpatium Perſicam linguam perdidicit, quo commodius cum rege colloqueretur. Si hoc præſtat adulta ætas, quid non ſperandum à puero? Totũ autem hoc negocium duabus potiſſimum rebus cõſtat, memoria & imitatione. Imitandi naturale quoddam ſtudium in pueris eſſe iam ante docuimus, memoriã porrò uel tenaciſſimam tribuunt pueritiæ uiri ſapientiſſimi. Quod ſi diffidimus illorum autoritati, abũde nobis fidem facit ipſa rerum experientia. Quæ pueri uidimus ſic hærẽt animo, quaſi heri uidiſſemus. Quæ hodie legimus ſenes, poſt biduum ſi denuo legamus noua uidentur. Ad hæc, quotũ quemq; uidemus, cui adulto feliciter ſucceſſerit linguarũ cognitio? Et ſi quibus ſucceſſit cognitio, ſonus & pronũciatio germana aut nullis, aut quàm pauciſſimis contingit. Neq; enim ad communem regulam uocanda ſunt illa rariſſima exempla.

exempla. Nec ideo debemus pueros post exactũ an/
num decimumsextum, ad linguarum cognitionem uo
care, quod Cato senior sero didicit latinas literas, græ/
cas uero septuagesimum agens annum. At Vticensis
ille Cato superiore multo tum doctior, tum eloquen/
tior, puer adhæsit pædagogo Sarpedoni. Atq; hic eò
magis aduigilandum, quod ætas illa, quoniam natu/
ræ sensu potius quàm iudicio ducitur, pari facilitate,
aut fortassis maiore imbibit praua atq; recta. Quin &
recta facilius ueniũt in obliuionem, quàm dediscimus
uicios a. Deprehenderunt hoc, & admirati sunt ethni/
corum philosophi: nec potuere causam peruestigare,
quã Christiana philosophia nobis prodidit, quæ do/
cet hanc ad mala pronitatem insedisse nobis ex huma
næ gentis principe Adamo. Quod ut falsum esse non
potest, ita uerissimum est maximam huius mali par/
tem manare ex impuro conuictu prauaq; educatio/
ne, præsertim ætatis teneræ, & in omnia flexilis. Prodi
tum est literis Alexandrum Magnum à Leonide pæ/
dagogo uicia quædã imbibisse puerum, quæ nec adul
tum iam atq; etiam imperio sublimem deseruerunt.
Proinde quandiu apud latinos uiguit illa prisca mo/
rum integritas, puerilis ætas non committebatur mer
cenario formatori, sed ab ipsis parentibus & agnatis
instituebatur, uelut à patruis, auunculis, & auis, autore
Plutarcho. Existimabant enim hoc ad gentis decus in

primis pertinere, si quàm plurimos haberet eruditio/ ne liberali præstantes,quum hodie tota ferè nobilitas sit in pictis sculptisq; stēmatis,choreis,uenatu,& alea. Primus omnium Sp.Carbilius, homo libertinæ con/ ditionis, cuius patronus Carbilius omniū primus in/ duxit exemplum diuortij, traditur aperuisse scholam literariam.Antehac hoc præcipuum habebatur pieta tis officium, si cognatos quisq; suos ad uirtutē & eru/ ditionem institueret.Nunc unum hoc curæ est,ut pue ro quæratur uxor bene dotata. Hoc perfecto,credunt se nihil iam debere pietati. Verū ut res humanæ pro/ næ sunt in deterius,delitiæ persuaserunt,ut hoc mune/ ris pædagogo domestico committeretur,& ingenuus seruo tradebatur instituendus.Qua quidem in re si de lectus habebatur, hoc minus erat periculi, quod for/ mator non solum in oculis parentum uiueret,sed in il lorum esset potestate,si quid delinqueret.Qui erāt cor datissimi,aut emebant seruos literatos,aut curabant li teris erudiendos,ut liberorum suorū pueritiæ forman dæ præficerent. At quanto consultius si ipsi parētes in hoc literas discerent,ut liberos suos doceant.Hac certe ratione duplex esset utilitas, quemadmodum duplex commoditas est,si Episcopus se pium uirum præbeat quo possit quàmplurimos ad pietatis studiū inflam/ mare.Nō omnibus uacat inquies, & piget tanti labo/ ris.Sed agedum uir præclare reputemus nobiscū,quā/

tum

tum temporis nobis pereat alea, cõpotationibus, ſpectaculis, & morionibus, & pudebit opinor, cauſari deeſſe ociũ ei rei, quæ cæteris omnibus omiſſis erat agenda. Sufficit ad omnia munia tempus, ſi qua decet frugalitate diſpenſetur. Nobis uero breuis eſt dies, cuius maiorem partem perdimus. Iam illud expende, quanta temporis portio datur amicorum friuolis interdũ negocijs. Si minus licet omnibus morem gerere, priores ſanè parteis debentur liberis. Quid autem laboris refugimus, ut liberis luculentum patrimonium, pulchreq; conſtabilitum relinquamus, ut illis paremus quod his omnibus præſtantius eſt, piget capere laborem, præſertim quum naturæ pietas, & profectus eorum qui nobis ſunt chariſſimi, edulcet omnem moleſtiam? Id ni eſſet quando matres ferrẽt tam longa geſtationis & nutricationis tædia? Leuiter amat filium, quem piget erudire filium. Verum inſtituendi ratio fuit hoc nomine facilior priſcis, quod eadem eſſet lingua literas callentium, & imperitæ multitudinis, niſi quod eruditi emendatius, elegantius, prudentius & copioſius dicebant. Fateor, ac plurimum compendij foret ad eruditionem, ſi idem maneret hodie. Nec defuerunt qui priſcum exemplum reuocare conati ſunt, uelut apud Phryſios Canterij, apud Hiſpanos Eliſabetha regina Ferdinandi uxor, è cuius familia complures prodiere fœminæ eruditione iuxta ac pietate mira

biles. Apud Anglos uir clariſſimus Thomas Morus, quem licet regijs negocijs occupatiſſimum, non piget uxori filiabus ac filio præſtare præceptorem, primum ad pietatem mox ad utriuſq; literaturæ peritiã. Id certe curandũ erat, in his quos eruditioni deſtinauimus. Nec eſt periculum, ne populi linguam ignorent, eam perdiſcent uelint nolint hominum commercio. Quod ſi nemo ſit domi qui literas norit, ſtatim aſciſcendus eſt artifex, ſed exploratus tum moribus, tum eruditione. Stultum eſt in filio uelut in Care, quod aiunt, periculum facere, ſciat ne literas, & ſit ne uir probus quem adhibuiſti. In rebus alijs ſit uenia dormitanti, hic argus ſis oportet, atq; oculis omnibus aduigilandũ eſt. In bello, aiunt, bis peccare non licet, hic ne ſemel quidẽ peccare fas eſt. Porrò quo maturius puer tradetur formatori, hoc felicius ſuccedet inſtitutio. Hic ſcio cauſari quoſdam, eſſe periculum ne ſtudiorum labor reddat teneri corpuſculi ualetudinem imbecilliorem. Hic reſpondere poteram, etiamſi quid decederet robori corporis, hoc incommodi belle penſari tam eximijs animi bonis. Nec enim athletam fingimus, ſed philoſophum, ſed Reipub. gubernatorem, cui ſatis eſt adeſſe proſperam ualetudinem, etiamſi nõ adſit Milonis robur. Fateor tamen nonnihil indulgendum ætati, quo uegetior cuadat, uerum multi ſtulte metuũt ſuis infantibus à literis, qui non metuunt multo grauius periculum

Secunda propoſitio confutanda.

lum ab immodico cibo, quo nō minus læduntur inge-
nia paruulorum, quàm corpora, ab eduliorum potus
ue generibus, quæ non cōgruunt ætati. Admouent in-
fanteis suos uarijs ac prolixis conuiuijs, nōnunquā &
in multam noctem productis, explent illos salsis & ca
lidis usq; ad uomitum interdum. Stringunt & onerāt
tenera corpuscula uestibus incommodis ad ostētatio-
nem, quemadmodum nonnulli simios ornant huma
no cultu, alijsq; modis effœminant liberos suos, nec
usquam tenerius metuitur illorum ualetudini, quàm
quum de literis, hoc est de re maxime omnium saluti-
fera, necessariaq; cœptū est agi. Quod de ualetudine
dictum est, idem pertinet ad formæ curam, quam ut
fateor non omnino negligendam, ita nimis anxie cu-
rari parum uiro dignum est. Nec huic aliunde moro-
sius metuimus, quàm à studijs quum ea longe magis
corrumpatur, ingurgitatione, temulentia, intempesti-
uis uigilijs, pugnis ac uulneribus, postremo scelerata
scabie, quam uix quisquam effugit adolescens intem-
perantius uiuens. Ab his rebus potius arceant liberos
suos quàm à literis, qui tam misere metuunt illorum
ualetudini ac formæ. Quanquam id quoq; nostra cu-
ra prouideri potest, ut quàm minimum sit laboris ac
proinde minimum dispendij. Id fiet si nec multa, nec
quælibet inculcentur teneris, sed optima tantū & ætati
congrua, quæ iucūdis capitur potius quàm subtilibus.

Deinde blanda quædam tradẽdi ratio faciet, ut ludus uideatur non labor. Hic enim lenocinijs quibusdã fallenda eſt ætas illa, quæ nondũ intelligere poteſt quantum fructus, quantum dignitatis, quantum uoluptatis in poſterum ſint allaturæ literæ. Id partim præſtabit formatoris lenitas, comitaſq́, partim & ingenium ac ſolertia qua uarias arteis cõminiſcetur, quibus puero reddat iucundas literas, & à ſenſu laboris auocet. Nihil enim eſt inutilius, quàm quum præceptoris mores efficiunt, ut prius odiſſe incipiant ſtudia, quàm intelligere poſſint quare ſint amanda. Primus diſcendi gradus eſt præceptoris amor. Progreſſu tẽporis fiet, ut puer qui prius literas amare cœperat, propter doctorem, poſt doctorẽ amet propter literas. Nam quẽadmodum munera pleraq́ uel hoc nomine gratiſſima ſunt, quod ab his proficiſcantur quos egregie charos habemus: ita literæ, quibus nondum iudicio place re poſſunt, his tamen doctoris affectu commendant. Rectiſſime dictum eſt ab Iſocrate, eum plurimum diſcere, qui diſcendi cupidus eſt. Libenter autem ab his diſcimus quos diligimus. Sunt uero quidam tam inamœnis moribus, ut nec ab uxoribus amari queant, toruo uultu, tetrico cõuictu, irati uidentur etiam tum quum ſunt propicij, nihil poſſunt blande dicere, uix etiam arridere ridentibus, dicas planè gratijs iratis natos. Hos uix idoneos iudico, quibus equos indomitos

formandos

formandos committas, tãtum abeſt, ut imbecillem ac penè lactantem ætatem illis prodendam exiſtimem. At hoc hominum genus quidam uel maxime credũt admouendum formandæ primæ ætati, dum toruitatem putãt eſſe ſanctitatem. Atqui non tutò fronti creditur, ſub illa tetrica perſona ſæpenumero latent euiratiſſimi mores, nec inter pudicos commemorandum eſt, ad quæ dedecora nonnunquam illi carnifices terrore puerorum abutantur. Ne parentes quidem recte poſſunt educare liberos, ſi tantum metuantur. Prima cura eſt amari, paulatim ſuccedit non terror, ſed libera lis quædã reuerentia, quæ plus habet ponderis quàm metus. Quàm igitur belle proſpicitur his pueris, qui uix dum quadrimi mittuntur in ludum literarium, ubi præſidet præceptor ignotus, agreſtis, ac moribus parum ſobrijs, interdum ne cerebri quidem ſani, frequenter lunaticus, aut morbo comitiali obnoxius, aut lepræ, quam nunc uulgus ſcabiem gallicam appellat. Neminem enim hodie tam abiectum, tam inutilem, tam nullius rei uidemus, quem uulgus non exiſtimet idoneum moderãdo ludo literario. Atq; illi ſe regnũ nactos rati, mirum quàm ferociant, quod habeãt imperium, non in beluas, ut inquit Comicus, ſed in eam ætatem, quam oportebat omni lenitate foueri. Dicas non eſſe ſcholam, ſed carnificinam, præter crepitum ferularum, præter uirgarum ſtrepitum, præter eiulatus

ac

ac ſingultus, præter atroces minas nihil illic auditur. Quid aliud hinc diſcant pueri, quàm odiſſe literas? Hoc odium ubi ſemel inſedit teneris animis, etiã grãdes facti abhorrẽt à ſtudijs. Multo etiam ſtultius eſt, quod quidam filios ſuos mittunt ad ebrioſam mulierculam, ut legendi ſcribendiq; parent facultatem. Præter naturam eſt fœminam in maſculos habere imperium, tum nihil immitius eo ſexu, ſiqua ira commouerit animum, & incaleſcit facillime, uix autem conquieſcit, niſi uindicta ſatiata. Iam & monaſteria, & fratrũ, ita ſe uocant, collegia, quæſtum hinc aucupantur, & in latebris ſuis erudiunt rudem ætatem, per homines ferè parum doctos, ſeu potius perperã doctos, ut iam donemus illos eſſe pudicos & cordatos. Hoc inſtitutionis genus utcunq; probant alij, me quidem autore nullus id faciet, quiſquis cupiet ſuum puerum liberaliter educatum. Oportet ſcholam aut nullã eſſe, aut publicam. Compẽdiarium quidem hoc eſt, quod uulgo fit. Facilius enim plures ab uno metu cogũtur, quàm unus ab uno liberaliter inſtituitur. Atqui non magnũ eſt aſinis aut bubus imperare, liberos liberaliter inſtituere, ut difficillimũ eſt, ita pulcherrimum. Tyranni cum eſt metu premere ciues, beneuolentia, moderatione, prudentiaq; cõtinere in officio regium eſt. Diogenes quum ab Æginetis captus produceretur uenũ, præco rogauit hominem, quo titulo uellet commẽdari empto-

ri emptoribus. Dic,inquit, si quis uelit mercari homi-
nem,qui sciat imperare liberis. Ad hoc insolitum præ-
conium risere multi. Quidam cui liberi paruuli erant
domi,cõgressus est cũ philosopho, sciret ne uere quod
profiteretur, Ait se scire. Breui colloquio sensit nõ esse
uulgarem quempiam,sed sub sordido pallio præclarã
latere sapientiam. Emptum duxit domum suam, eiq;
liberos suos formãdos commisit. Gallis literatoribus
secundũ Scotos nihil est plagosius. Hi moniti respon
dere solent, eam nationem,quemadmodum de Phry
gia dictum est,non nisi plagis emendari. Hoc an ue-
rum sit,alij uiderint,fateor tamen nonnihil in natione
discriminis esse, sed multo magis in singulorum inge-
niorum proprietate. Quosdam occidas citius, quàm
uerberibus emendes,at eosdẽ beneuolentia blandisq;
monitis ducas quocunque uelis. Hac indole fateor me
puerum fuisse, quumq; præceptor cui præ cæteris erã
charus,quod diceret se nescio quid magnæ spei de me
concipere,magis aduigilaret, uelletq; tandem experi-
ri,quàm essem uirgarum patiens,obiecit commissum,
de quo nec somniaram unquã,ac cecidit. Ea res omnẽ
studiorum amorem mihi excussit,adeoq; deiecit pue-
rilem animum,ut minimum abfuerit quin dolore con
tabescerem,certe mœrorem eum excepit febris quarta
na. Is ubi tandem intellexit errorem suũ, deplorabat
apud amicos: Illud,inquit,ingenium penè prius perdi

deram quàm noſſem . Erat enim uir nec ſtupidus,nec indoctus,nec,ut arbitror, malus. Reſipuit ille,ſed mihi ſero. Iam hinc mihi coniecta uir egregie,quàm multa feliciſſima ingenia perdant iſti carnifices indocti, ſed doctrinæ perſuaſione tumidi,moroſi,uinoléti,truces, & uel animi gratia cædẽtes,nimirum ingenio tam truculento, ut ex alieno cruciatu capiant uoluptatem. Hoc genus homines lanios aut carnifices eſſe decuit, non pueritiæ formatores. Nec ulli crudelius excarnificant pueros,quàm qui nihil habẽt, quod illos doceãt. Hi quid agant in ſcholis, niſi ut plagis ac iurgijs diem extrahant? Noui Theologum quendam,& quidẽ domeſtice, maximi nominis , cuius animo nulla crudelitas ſatis faciebat in diſcipulos,quum magiſtros haberet ſtrenue plagoſos. Id exiſtimabat unice & ad deijciendam ingeniorum ferociam,& ad edomandã ætatis laſciuiam pertinere . Nunquam agitabat conuiuiũ apud gregem ſuum,niſi quemadmodum Comœdiæ exeũt in lætam cataſtrophen,ita poſt cibum ſumptũ, unus aut alter protraheretur uirgis lacerandus, & interim ſæuiebat & in immeritos, nimirum ut aſſueſcerẽt plagis. Ipſe quondam aſtiti proximus,quũ à prandio ex more puerum euocarat, annos natum , ut opinor, decem. Recẽs autem à matre uenerat in eum gregem. Præfatus eſt,illi matrem eſſe cum primis piam fœminam,ab ea ſibi puerum ſtudioſe commẽdatum, mox

ut

ut haberet occasionem cædendi cœpit obijcere nescio quid ferociæ, quum nihil minus præ se ferret puer, & innuit illi cui collegij præfecturam commiserat, huic ex re satelles erat cognomẽ, ut cæderet, ille protinus de iectum puerum, ita cecidit quasi sacrilegium commisis set. Theologus semel atq; iterũ interpellauit, satis est, satis est. At carnifex ille feruore surdus, peregit suam carnificinã penè usq; ad pueri syncopen. Mox Theologus uersus ad nos, nihil commeruit, inquit, sed erat humiliandus, nam hoc uerbo est usus: Quis unquam ad eum modũ erudiuit mancipium, imò quis asinũ? Generosus equus melius popysmate & palpo domatur, quàm scutica aut calcaribus. Quem si durius tractes, fit refractarius, fit calcitro, fit mordax, fit retrogradus. Bos, si nimium urgeas stimulis, iugum excutit, & stimulatorem impetit. Sic tractãdum est generosum ingenium, quemadmodum tractatur leonis catulus. Elephantos sola domat ars, non uiolentia, nec ullum animal tam ferum est, quod non mansuescat officio: nec ullum tam cicur, quod immodica sæuitia non exasperetur. Seruile est metu mali castigari, atqui publica consuetudo filios appellat liberos, quod hos deceat liberalis educatio, seruili multum dissimilis: tametsi qui sapiunt hoc agũt potius, ut serui lenitate ac beneficijs exuant mancipij capillum, memores & illos esse homines non beluas. Commemorantur admiranda exem

pla ſeruorum in dominos, quos profecto tales nō cō/ periſſent, ſi tantum uerberibus ſubegiſſent. Seruus ſi ſanabilis eſt ingenij, melius emendatur monitis, pu/ dore & officijs, quàm plagis: ſi inſanabilis, ad extremā malitiam indureſcit, & aut fuga compilat herum, aut necem illius aliqua molitur arte. Nónunquam & ſuæ uitæ iactura domini ſæuitiam ulciſcitur. Nullum autē animal formidabilius, quàm homo, quem atrox iniu ria docuit ſuæ ſalutis cōtemptum. Proinde quod pro/ uerbio iactatur unumquenq; tot hoſtes habere quot ſeruos, ſi uerum eſt, dominorum iniquitati potiſſimū arbitror imputandum. Artis enim eſt, nō fortunæ im/ perare ſeruis. Quod ſi cordatiores heri id dant operā, ut ſeruos ita habeant ut ſeruiant liberaliter, malintq; pro ſeruis habere libertos, quàm abſurdum eſt è natu ra liberis educatione reddere ſeruos? Nec ab re Comi cus ille ſenex putat multum intereſſe inter patrē ac do minum. Dominus tantum cogit, pater pudore ac libe ralitate cōſuefacit filium, ut ſua ſponte recte faciat, po tius quàm alieno metu, præſens atq; abſens ſit idem, hoc qui nequit inquit, fateatur ſe neſcire imperare libe ris. Atqui plus aliquāto diſcriminis eſſe debet, inter pa trem ac dominum, quàm inter regem ac tyrannū. Ty/ rannum ſubmouemus à republica, & uel filijs tyrānos aſciſcimus, uel ipſi in eos tyrannidē exercemus. Quan/ quam in totum hoc uile ſeruitutis nomen è uita Chri/ ſtianorum

ſtianorũ ſublatum eſſe oportuit. Beatus Paulus Oneſimum Philemoni commendat, non iam ut ſeruum, ſed ut pro ſeruo fratrem chariſſimum. Et Epheſijs ſcribens monet heros, ut in ſeruos remittãt auſteritatem ac minas, memores ſe potius conſeruos eſſe quàm dominos, quod utriq; communem dominum habeãt in cœlis, qui non minus pœnas ſumpturus eſt de dominis ſi quid peccent, quàm de ſeruis. Apoſtolus nec minaces uult eſſe dominos, nedum plagoſos: nõ enim dicit, remittentes flagra, ſed, remittentes minas: & nos liberos noſtros nihil aliud quàm cædi uolumus, quod uix triremium præfecti, aut piratæ faciunt in remiges. De liberis aũt quid præcipit idem Apoſtolus? Adeo non uult illos cædi ſeruiliter, ut & à monitis atq; obiurgatione iubeat abeſſe ſæuitiam & amarulentiã. Vos, inquit, patres nolite ad iracũdiam prouocare filios ueſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione domini. Qualis autem ſit diſciplina domini, facile perſpiciet, qui conſiderarit, qua lenitate, qua manſuetudine, qua charitate dominus Ieſus erudierit, tulerit, fouerit, ac paulatim prouexerit diſcipulos ſuos. Humanæ leges patriam poteſtatem temperant, eædem & ſeruis in heros permittũt actionem malæ tractationis, & unde hæc immanitas inter Chriſtianos? Olim Auxon quidam eques Romanus filium dum uirgis emendat immoderatius, occidit. Ea indignitas adeo commouit

populum, ut hominem in forum protractum parentes ac liberi ſtilis cõfoderent, nihil reueriti dignitatem equeſtrem, quem Octauius Auguſtus ægre periculo ſubduxit. At quàm multos hodie uidemus Auxones, qui ſæuitia plagarum, lædunt puerorum ualetudinẽ, eluſcant eos, debilitant, nec raro necãt. Virgæ nihil faciunt ad quorundam ſæuitiam, inuerſis uirgis cædunt manubrio, colaphos ac pugnos impingũt teneris, aut quicquid forte proximum eſt arripiunt & illidũt. Narrant Iuriſperitorum literæ ſutorem quendam dum diſcipulo ligneam calceorum formam impingit in occipitium, alterum oculum excuſſiſſe, obq́ id factũ pœnas dediſſe legibus. Quid de illis dicendũ eſt, qui cruciatibus addunt abominandam contumeliam? Nunquam eram crediturus, niſi & puerũ & crudelitatis autorem de proximo noſſem. Puerũ annos uix dũ duodecim natum, cuius honeſtiſſimi parentes fuerant de præceptore bene meriti, tam immanibus modis tractarunt, ut uix Mezentius aut Phalaris ullus poſſet crudelius. Stercoris humani tantam uim impegerunt in os paruuli, ut expuere non poſſet, ſed bonam partẽ deuorare cogeretur. Quis tyrannus unquã adhibuit hoc cõtumeliæ genus? πασάμενος ἐπίτασε, habet Græcum prouerbiũ. Poſt tales epulas exercetur imperiũ. Puer nudus funibus ſub alas immiſſis ſuſpenditur, ut infame furti ſupplicium repræſentarent, quo nõ aliud

apud

apud Germanos execrabilius. Mox in pẽſilem ſæuit undiq; uirgis, propémodum uſq; ad necem. Nã quo magis inficiabatur puer, quod non cõmiſerat, hoc magis intendebatur carnificina. Adde iam ipſum tortorem, penè ſupplicio formidabiliorẽ, oculi uiperini, os anguſtum & corrugatum, uox acuta qualis fertur umbrarum, facies lurida, caput uertiginoſum, minæ & cõuicia, quæ illi ſuggerebat ſplendida bilis, Tiſiphonen quampiam diceres. Quid conſequutum eſt? Mox puerum à ſupplicijs excipit morbus, magno & mentis & uitæ periculo. Ibi carnifex ultro occupat expoſtulationem, ſcribit patri, quàmprimum abducat filium ſuũ, ſe medicinam omnem conſumpſiſſe fruſtra in deploratum puerum. Vbi corporis morbus utcunq; remedijs depulſus eſt, tamen animus adhuc ſic erat attonitus, ut metueremus ne nunquam ad priſtinum mẽtis uigorem rediturus eſſet. Neq; hæc fuit unius diei ſæuitia, quandiu uixit apud illum puellus, nullus præteribat dies, quo non ſemel atq; iterum crudeliter uapularet. Scio, iam dudũ ſuſpicare lector, enorme fuiſſe cõmiſſum, cui tam atrox adhibita eſt medicina. Dicam paucis. Reperti ſunt & illius qui cæſus eſt & aliorum duorum libri atramento conſpurcati, ueſtes conſciſſæ, & caligæ excrementis humanis contaminatæ. Is qui luſum hunc ludebat, puer erat ad omne ſcelus natus, qui poſt alijs facinoribus fidẽ fecit priorum, inſani doctoris

ctoris ex sorore nepos:iam tum præludens ad ea quæ facere solēt in bello aut latrocinio milites, apud hospitem quendam educto è uase embolo, passus est uinū in solum defluere, ac uelut officiosus admonuit se sentire uini odorem:cum altero sodali puero quotidie gladio decertabat,nō ioco, sed serio,ut iam agnosceres latronem,aut sicarium,aut quod his simillimū est, mercenarium militem futurum. Huic tametsi faueret ille formator, tamen metuens ne se mutuo confoderent pueri,cognatum ablegauit. Nam ex altero luculētam capiebat mercedem, erat autem ex isto numero Euangelicorū,quibus nihil dulcius est pecunia. Persuasum erat optimo uiro parenti, puerum agere apud præceptorem sanctum amicum ac uigilantem, quū uiueret apud fucatū carnificem, ac homini semīnsano perpetuóque ægrotanti ministrum & assessorem ageret. Quū igitur æquior esset in eum qui sanguine propinquus erat,atq; item in alterum unde luculenta messis, in innoxium inclinauit suspicio,cui tantum tribuebat malitiæ,ut suas ipsius uestes laceraret,conspurcaretq;, quo uitaret suspicionem. Atqui puer ex utroq; parente optimo natus, nullum unquam tam illiberalis ingenīj specimen dederat, & hodie nihil est illius moribus ab omni malitia alienius,qui nunc omni metu liber rē omnem ut gesta est narrat ordine. Talibus pædagogis honesti ciues tradunt filios suos, quibus nihil habent

bent

bent chàrius, tales queruntur non reponi ſibi mercedem opera dignam. Neque non ſenſerat carnifex errorem ſuum, ſed maluit conſtanter inſanire, quàm culpam agnoſcere: & aduerſus huiuſmodi non inſtituitur malæ tractationis actio, nec in tam immanem ſæuitiam uigorem habet legum ſeueritas. Nullis eſt ira implacabilior, quàm ijs qui morbo comitiali ſunt affines. Quàm multæ res irrepſerunt in uitam Chriſtianorum, nec Phrygibus nec Scythis dignæ, è quibus unũ indicabo, non prorſus abhorrens ab hoc argumento. Qui primum adeunt ſcholas publicas, cogũtur beanum exuere, barbaræ rei repertum eſt æque barbarum uocabulum. Miſſus eſt adoleſcens ingenuus ad diſcendas arteis liberales. Verum quàm illiberalibus cõtumelijs initiatur? Primum macerant illi mentum ueluti barbam deraſuri, ad id adhibetur lotium, aut ſi quid lotio fœdius. Is liquor impingitur in os, nec licet expuere. Moleſtis ictibus detrahuntur cornua ſcilicet, interdum coguntur multã aceti, aut ſalis uim ebibere, aut ſi quid aliud libuit effreni iuuenum petulantiæ. Nam aggreſſuri ludum exigunt iuſiurandum, illũ omnibus imperatis pariturum. Tãdem ſublimem rapiunt, & dorſo quoties libuit arietant in poſtem. Has tam agreſtes contumelias nõnunquam excipit febris, aut ſpinæ dolor immedicabilis. Certe luſus inſulſus exit in temulentum conuiuium. A talibus exordijs au

ſpicantur liberalium artium ſtudia. Atqui talibus auſpicijs initiari decuit carnificem,tortorem , aut lenonẽ, aut animæ uenalis Carem, aut remigem,non puerum muſarum & gratiarum ſacris deſtinatum. Mirum eſt ad eum modum inſanire iuuenes liberalibus ſtudijs deditos,ſed magis mirum eſt hæc à iuuentutis moderatoribus approbari. Tam fœdis,tãq́ crudelibus ineptijs prætexitur nomen conſuetudinis , quaſi malæ rei conſuetudo quicquam ſit aliud, quàm error inueteratus,hoc maiore ſtudio reuellendus, quod iam ad plures ſerpſit. Sic durat & apud Theologos ueſperiarum mos , nam rem abſurdam abſurdo ſignant nomine, ſcurris dignam citius quàm Theologis. Verum eorũ qui liberales profitentur diſciplinas , oportet & iocos eſſe liberales. Sed ad pueritiam redeo,cui nihil inutilius quàm plagis aſſueſcere,quarum enormitas facit,ut indoles generoſior fiat intractabilis , abiectior ueniat in deſperationem,aſſiduitas facit , ut & corpus occalleſcat ad uerbera,& animus obdureſcat ad uerba . Imò nec acrior obiurgatio frequẽter eſt admouenda. Pharmacum ſiniſtre adhibitum exacerbat morbum,nõ leuat, & aſſidue adhibitum paulatim deſinit eſſe pharmacum,nec aliud efficit, quàm quod ſolet cibus inſuauis parumq́ ſalubris. Hic quidam occinent nobis hebræorum oracula:Qui parcit uirgæ,odit filium ſuum: & qui diligit filium ſuũ, aſſiduat illi flagella . Rurſum:

Curua

Curua ceruicem filij in iuuentute,& tunde latera illius dum infans est.Eiusmodi castigatio fortasse congruebat olim Iudæis. Nunc oportet Hebræorum dicta ciuilius interpretari . Quod si quis nos literis & syllabis urgeat,quid absurdius quàm inflectere ceruicem pueri,& tundere latera infantis,nónne credas taurum aratro,aut asinum clitellis instituí,non hominem uirtuti? Quod autem nobis præmium pollicetur? Ne palpet, inquit,proximorum ostia. Metuit filio paupertatem, ut extremum malorum . Quid hac sentẽtia frigidius? Nostra uirga sit, liberalis admonitio, nónunquam & obiurgatio,sed mansuetudine condita,non amarulentia.Hoc flagellum assiduemus filijs nostris,ut recte instituti,domi habeant bene uiuendi rationem , nec cogantur in rebus gerendis à uicinis emendicare consilium.Lycon philosophus ostendit duos acerrimos stimulos excitandis puerorum ingenijs,pudorem ac laudem : pudor est iusti probri metus , laus autem est omnium artium altrix.His stimulis urgeamus liberorũ ingenia. Iam si placet ostẽdam & fustem, quo tundas tuorum latera.Labor omnia uincit improbus,ait Poëtarum optimus:aduigilemus,urgeamus,instemus,exigendo,repetendo,inculcando, hoc fuste tundàmus infantium nostrorum latera.Primum discãt amare mirarióꝫ probitatem ac literas, horrere turpitudinẽ & insscitiam. Audiant alios ob recte facta prædicari , alios

ob malè facta uituperari, ingerantur exempla eorum quibus eruditio ſummam gloriam,opes, dignitatem, & autoritatem peperit. Rurſus eorum,quibus impro/ bi mores,nullisq; diſciplinis excultum ingenium,infa miam,contemptum,ægeſtatem & exitium attulit.Hi nimirum ſunt fuſtes digni Chriſtianis,manſuetiſſimi Ieſu diſcipulis. Quod ſi nihil proficitur, nec monitis, nec precibus, nec æmulatione, nec pudore, nec laudi/ bus,nec cæteris artibus,ipſam etiam uirgarum caſtiga tionem, ſi res ita demum poſtulet, oportet & liberalẽ eſſe & uerecundam.Nam hoc ipſum nudari ingenuo rum corpora,præſertim multorum oculis,contumeliæ genus eſt. Tametſi Fabius in uniuerſum damnat rece ptam cædendi pueros ingenuos conſuetudinem. Di/ xerit aliquis,quid fiet ijs,qui niſi plagis ad ſtudia com pelli non poſſunt? Reſpondeo numero, quid faceres aſinis ac bubus,ſi in ſcholam ueniant? nónne rus abi/ geres,& alteros piſtrino,alteros aratro dederes? Sunt enim homines nõ minus ſtiuæ & piſtrino nati, q; bo/ ues & aſini.Sed interim,inquiũt,decreſcit grex. Quid tum poſtea? Simul & quæſtus.Hoc durum.Hinc igit illæ lachrymæ.Charius eſt illis lucrum,quàm puerorũ profectus. Sed huiuſmodi fermè eſt literatorum uul/ gus.Fateor, quemadmodum philoſophi deſcribũt ſa pientem, rhetores oratorem, qualem uix uſquam in/ uenias, ita longe procliuius eſſe præſcribere qualem

oporteat

oporteat esse præceptorē, quàm multos inuenire qui ad præscriptam formam respondeant. Verum hanc oportebat esse publicam & prophani magistratus, & ecclesiasticorum procerum curam, ut quemadmodum instituuntur, qui nauent operam in bello, qui cantent in templis: ita multo magis instituantur, qui recte ac liberaliter forment liberos ciuium. Vespasianus è fisco suo dabat annua centena Latinis, Græcisq; rhetoribus. Plinius nepos etiam de priuato suo in eundem usum ingentem summam erogauit. Quod si cessat publica cura, certe suæ quisq; domi uigilare debet. Quid facient, inquis, tenues, qui uix alunt suos liberos, tantū abest, ut talem educatorem possint conducere? Hic nihil habeo quod respondeam, nisi illud è comœdia, ut possumus, quando ut uolumus non licet. Nos instituendi rationem optimā tradimus, fortunam dare non possumus. Nisi quod hic quoq; diuitū benignitas debet bene natis ingenijs, sed angustia rei familiaris non ualentibus exerere uim naturæ, succurrere. Fateor præceptoris comitatem ita temperatam esse oportere, ne pudorem ac reuerētiam excutiat familiaritatis comes contemptus, qualem fuisse prædicant Sarpedonē Catonis Vticensis pædagogum, qui comitate morum, summam gratiam, probitate parem autoritatē apud puerum sibi conciliarat, nullo uirgarum metu. Verū isti qui nihil aliud norunt, quàm cædere, quid facerent

si Cæsaris aut regum liberos suscepissent instituẽdos, quos cædere fas nõ est? Dicent heroum filios eximendos ab hac formula. Quid ego audio? An ciuium filij minus sunt homines quàm regum? An suus cuiq; filius nõ æque charus esse debet, ac si è rege natus esset? Si fortuna est humilior, hoc magis opus est institutionis ac literarum præsidio, quo se tollãt humo. Sin ampla, ad rem probe administrandam necessaria est philosophia. Quid quod non pauci ex humili loco uocantur ad principatum, interdum & ad summum pontificiæ dignitatis culmen. Non omnes huc euadunt, tamen omnes huc educandi sunt. Cum plagosis rixari desinam, si unum hoc adiecero. Eas leges ac magistratus à sapientibus uiris damnari, qui tantum terrẽt pœnis, non etiam alliciunt præmijs, qui q; puniunt admissa, non item cauent ne quid admittatur puniendum. Idem sentiendum de uulgo pædagogorum, qui tantum uerberant ob commissa, non instituunt animum ut nolit peccare. Exigitur lectio, si quid fallit puer, cædi tur, id quum fiat quotidie, quo magis assuescat paruulus, existimant sese pulchre functos officio præceptoris. Atqui prius huc erat inuitandus puer, ut amaret literas, ut uereretur formatoris animum offendere. Verũ hisce de rebus fortasse plus satis alicui uidebor disseruisse, & iure uiderer, nisi tam grauiter hic peccaretur ferè ab omnibus, ut nunquam satis dici possit. Porrò

non

non parum adferet adiumenti, si qui puerum suscepit instituendum, animi inductione parẽtis affectum induat. Hoc pacto fiet, ut & puer discat libentius, & ipse minus sentiat ex labore tædiũ. Siquidẽ in omni negocio magnam difficultatis partem adimit amor. Quoniam autem iuxta uetus prouerbium, Simile gaudet simili, præceptor quodammodo repuerescat oportet, ut ametur à puero. Non placet tamen, quod extremæ ac penè decrepitæ ætatis senibus pueros tradunt instituendos literarum rudimentis imbuendos. Nam hi uere pueri sunt, non simulant, nec fingũt balbutiem, sed uere balbutiunt. Optarim ætatem uirentem, à qua non abhorreat puer, & quam nõ pigeat quamuis personã sumere. Hic idem aget in formando ingenio, quod parentes ac nutrices facere solẽt in fingẽdo corpore. Quomodo docent primum infantem humanas sonare uoces? Blesa lingua sermonẽ ad puerilem balbutiem accommodant. Quomodo docent edere? Præmandũt ipsæ lacteam pultem, & commansam paulatim in os infantis inserunt. Quomodo docẽt ingredi? Inflectũt corpus, & suos passus ad infantis modulum contrahunt. Nec quouis pascunt cibo, nec plus infundunt, q̃ capere possit, ac sensim cũ ætatis profectu ad solidiora prouehũt. Primum cognata quæritur alimonia, nõ multum abhorrens à lacte, quæ tamẽ ipsa si copiosius immergatur in os, aut præfocat infantem, aut effusa

uestem

ueſtem contaminat. Senſim ac paulatim infuſa, iuuat. Quod idem uſu uenire uidemus uaſculis anguſti oris, ſi multum infundas, rebullit quod infunditur. Sin minutim, atq; ut ita loquar ſtillatim, paulatim quidē ac ſenſim, ſed tamen implentur. Vt igitur exiguis cibis ac ſubinde datis aluntur tenera corpuſcula, itidem ingenia puerorū cognatis diſciplinis, ſed ſenſim ac ceu per luſum traditis, paulatim aſſueſcunt maioribus, nec interim ſentitur laſſitudo, quod minutæ acceſſiones ſic fallant laboris ſenſum, uti nihilo ſecus ad profectus ſummam conferant: quemadmodū narratur de quodam athleta, qui quotidie uitulum per aliquot ſtadia geſtare aſſuetus, iam taurum factū nullo negocio geſtauit. Non enim ſentiebatur incrementū, quod unuſquiſq; dies addebat oneri. Verum ſunt qui poſtulāt, ut ilico pueri fiant ſenes, dum non habent rationem ætatis, ſed ex ſuis uiribus illorum ingenia metiuntur. Protinus inſtant acerbe, protinus exigūt plenam operam, protinus corrugant frontem, ſi minus puer expectationi reſpondeat, & ſic mouentur, quaſi cum adulto rem habeant, uidelicet obliti ſe fuiſſe pueros. Quanto humanius eſt quod Plinius admonet quendam ſeueriorem literatorem. Memento, inquit, & illum adoleſcentem eſſe, & te fuiſſe. At complures ita ferociūt in ætatem imbecillam, quaſi nec ſe, nec diſcipulos meminerint homines eſſe. Rogabis ut tibi commonſtrem

illa

illa cognata ætatis genio, quæ ſtatim inſtillanda ſint paruulis. Primum linguarum uſus, qui citra ſtudium omne contingit infantibus, quum adultis ea facultas uix ingenti ſtudio comparetur. Et huc, ut diximus, inuitat infantulos natiua quædam imitãdi uoluptas, cuius ueſtigium aliquod uidemus & in ſturnis ac pſittacis. Quid Poëtarũ fabulis amœnius? quæ ſic uoluptatis illecebra blandiuntur puerorum auribus, ut adultis quoq; non modo ad linguæ cognitionem, uerum etiã tum ad iudicandum, tum ad dictionis copiam nó parum adferant utilitatis. Quid libentius audiat puer, q̃; apologos Æſopicos, qui tamẽ per riſum iocumq; tradunt ſeria præcepta philoſophiæ, qui fructus eſt & in cæteris ueterum Poëtarum fabulis? Audit puer ſocios Vlyſſis arte Circes uerſos in ſues aliasq; formas animantium. Ridetur narratio, & tamẽ interim diſcit puer, quod in morali philoſophia præcipuum eſt, eos qui non gubernantur recta ratione, ſed affectuum arbitrio rapiuntur, non homines eſſe, ſed beluas. Quid Stoicus diceret grauius? Et tamen idem docet ridicula fabula. In re manifeſta, non te remorabor pluribus exemplis. Iam quid Bucolico carmine facetius? Quid comœdia dulcius? quæ quum ἤθεσι conſtet, mouet & imperitos, & pueros. At hic quanta philoſophiæ pars per luſum diſcitur? Adde his rerum omnium uocabula, in quibus mirum quàm hodie cæcutiant etiã ij, qui

pro præclare doctis habent. Postremo sententias breues ac lepidas, quod genus ferè sunt prouerbia, & illustrium uirorũ apophthegmata, quibus olim solis philosophia tradi solita est populo. Iam apparet in ipsis interim infantibus, peculiaris quædam ad certas disciplinas procliuitas, uelut ad musicam, aut arithmeticã, aut cosmographiam. Nam ipse sum expertus, qui ad grammatices, rhetoricesq; præceptiones uehementer tardi, ad subtiliores illas disciplinas ualde dociles reperti sunt. In eam igitur partem est adiuuanda natura, in quam suapte sponte prona est. Minimus autem est in decliui labor, quemadmodum contrà, Nihil inuita dices faciésue Minerua. Noui puerum nondum fandi potentem, cui nihil erat dulcius, quàm explicato uolumine, legentis speciem repræsentare. Idq; quum interdum multis horis faceret, nullo tædio capiebat. Nec unquam tam acriter flebat, quin oblato uolumine placaretur. Ea res parentibus spem bonam ostendebat fore, ut aliquando uir doctus euaderet. Addebat & nomẽ nonnihil læti ominis. Nam Hieronymus dicebatur. Qualis autem nunc sit, nescio. Nam adolescentem non uidi. Ad linguæ cognitionem plurimum habebit momenti, si inter bene loquaces educetur. Fabulas & apologos hoc discet libentius ac meminerit melius, si horum argumenta scite depicta pueri oculis subijciantur, & quicquid oratione narrat, in tabula demonstretur.

monſtretur. Idem æque ualebit ad ediſcenda arborũ, herbarum,& animantium nomina, ſimul & naturas, præſertim eorum, quæ non ita paſſim ſunt obuia,ueluti rhinoceros,tragelaphus,onocrotalus, aſinus Indicus,elephantus. Tabella habet elephantum, quẽ draco ſuo complexu ſtringit, primoribus pedibus cauda inuolutis. Arridet paruulo noua picturæ ſpecies, quid hic faciet præceptor? Admonebit ingens animal Græcis dici ἐλέφαντα, Latine ſimiliter, niſi quod interdum ad latinæ inflexionis formam dicimus elephãtus elephanti. Oſtendet quam Græci uocant προβοσκίδα Latini manum, quod ea ſibi porrigat cibum. Admonebit illud animal nõ reſpirare ore, quemadmodũ nos, ſed proboſcide:oſtendet dentes utrinq; prominentes, unde ebur q̃d apud diuites in precio eſt, ſimulq; proferet pectinem eburneũ. Deinde docebit apud Indos eſſe tam ingẽti corpore dracones. Dracon autem eſſe uocem græcam cum latinis cõmunem, niſi quod nos eam noſtro more inflectimus, quũ Græci dicant δράκων, quemadmodũ λέων, unde fœmina Dracæna,ſicuti Leæna. Admonebit inter hos dracones & elephantos eſſe genuinum atroxq; bellum. Quod ſi puer erit diſcendi auidior, poterit alia multa commemorare de natura elephantorum ac draconũ. Pleriq; gaudent pictis uenationibus,hic quot ſpecies arborũ, herbarum,auium, quadrupedum,per luſum diſci poſ-

sunt? Nec hic te remorabor exemplis, quum procliue sit ex uno conijcere omnia. In deligendis his uigilabit institutor, ut quod iudicabit maxime gratum pueris, maximeq; cognatum & amabile, ac, ut ita dicam, florulentum, id potissimum proponat. Primæ ætatis ceu ueris prouentus flosculis blandum arridentibus, & iucunde uirentibus herbis cõstat, donec uirilis ætatis autumnus, maturis frugibus rũpat horrea. Vt igitur absurdum sit in uere maturam uuam quærere, in autumno rosam, ita præceptori obseruandum est, quid cuiq; congruat ætati. Iucunda & amœna pueritiæ conueniunt. Quanquam in totum à studijs oportet abesse tristitiam ac truculentiam. Fallor ni id ueteres quoq; significare uoluerunt, qui Musis uirginibus, formã insignem, citharam, cantus, choreas, ac lusus per amœna uirecta tribuerunt, hisq; Charitas addidere sodales: Studiorum profectum mutua animorum beneuolentia potissimum constare, unde & humanitatis literas appellauere prisci. Nihil autem uetat quo minus uoluptati comes sit utilitas, & iucunditati iuncta sit honestas. Atq; hæc omnia tam frugifera nullo tædio discit puer. Quid enim obstat quo minus eadem opera discat aut lepidam ex Poëtis fabellam, aut festiuã sententiam, aut insignem historiolam, aut eruditum apologum, qua cantionem ineptam, plerũq; & scurrilem, qua ridenda delirantiũ anicularum fabulamẽta, qua

meras

meras mulierculārum imbibunt & ediſcunt nugas? Quantū ſomniorū, quantū inaniū ænigmatū, quantum inutilium næniarū de lemuribus ſpectris, laruis, ſtrigibus, lamijs, ephialtis, ſyluanis ac dæmogorgonibus, quantum inutilium mendaciorum ex uulgaribus hiſtorijs, quantum deliramentorum, quātum nequiter dictorum, etiam uiri memoria tenemus, quæ puelli à tatthis, auijs, mammis, ac puellis colo aſſidentes, & inter complexus ac luſus audiuimus? Quantus autem eſſet ad eruditionem factus gradus, ſi pro his ſiculis, ut aiunt, gerris uanioribus, nec friuolis tantum, ſed noxijs quoq; ea quæ modo commemorauimus ſtatim imbibiſſemus? Dices, quis doctus ad hæc tam minuta ſeſe demiſſurus eſt? Atqui Ariſtoteles tantus philoſophus, non grauatus eſt in Alexandro fingendo literatoris obire munus. Chiron Achillis formauit infantiam, cui ſucceſſit Phœnix. Heli ſacerdos puerum Samuelem educauit. Et ſunt hodie, qui uel lucelli, uel animi gratia, propè plus operæ ſumunt in formando coruo aut pſittaco. Sunt qui pietatis ergò longinquas iuxtà ac periculoſas profectiones ſuſcipiūt, alioſq; labores propémodum intolerabiles. Quin ad hanc functionem, qua nihil poteſt eſſe deo gratius, inuitat nos pietas? Quanquam in his ipſis tradendis quæ cōmemorauimus, nec inſtantem, nec ſeuerum eſſe oportet formatorem, ſed aſſiduum magis quàm immodicū.

Non offendit aſſiduitas,ſi moderata ſit,ſi uarietate ſi mul & iucunditate condiatur, denique ſi ſic tradantur hæc,ut abſit laboris imaginatio, ſed puer exiſtimet o/mnia per luſum agi. Hic ipſe ſermonis curſus nos ad/monet,ut paucis aperiamus, qbus modis fiat,ut pue/ro dulceſcant literæ, quod ante nonnulla ex parte co/pimus attingere.Sermonis facultas, ut dictum eſt,ci/tra faſtidium uſu comparatur.Huic ſuccedit ſcribendi legendiq́ cura,quæ per ſe nonnihil habet tædij, cæte/rum id magna ex parte doctoris artificio tollit̃,ſi blã/dis quibuſdã illecebris cõdiatur. Reperias enim quoſ/dam,qui diu hærent ſudantq́ in noſcitandis & conne ctendis literis , ac primis illis grammatices rudimẽtis, quum ad maiora ſint celeri docilitate . Horũ faſtidio arte medendum eſt, cuius rei rationes aliquot cõmon ſtrarunt ueteres. Quidam literarum formas, cruſtulis pueritiæ gratis exprimebant,ut ita quodammodo li/teras deuorarent. Reddẽti literæ nomen, præmiolum erat ipſa litera. Alij figuras elementorum ebore effin/gebant,ut his puellus luderet,aut ſi quid aliud eſſet, q̃ ſolet ætas illa peculiariter capi. Britanni iaculandi ſtu/dio præcipue ducuntur, nec aliud prius ſuos docent in fantes. Quidã itaq; ſolertis ingenij pater,animaduer/tens in filio miram iaculandi uoluptatem , belliſſimũ arcum ac ſagittas perpulchras parauit, in omnibus tũ arcu,tum ſagittis erant depictæ literæ. Deinde ſcopo/

rum

rum uice,græcarum primum,deinde latinarum litera/
rum figuras propoſuit: ferienti ac literæ nomen pro/
nunciãti, præter applauſum,præmiolũ erat ceraſum,
aut aliud quo gaudent paruuli. Ex eo luſu fructus eſt
uberior, ſi duos trésue pares ad certaminis conſortiũ
adhibeas. Hic enim attẽtiores & alacriores facit uicto/
riæ ſpes, ac metus ignominiæ. Eo commẽto factũ eſt,
ut puer intra pauculos dies ludendo,literarum omni/
um formas & ſonos probe calluerit, quod literatorũ
uulgus,flagris,minis, & conuicijs ſuis uix triennio poſ
ſunt efficere. Mihi tamen non probatur in huiuſmo/
di rationibus, quorundam nimis operoſa induſtria,
qui hæc per ludum laterunculorũ aut aleæ adumbrãt.
Quum enim ipſi luſus ſuperent puerorum captũ,quo
modo per eos diſcent literas? Hoc non eſt ſubleuare
puerorum ingenia,ſed labori laborem addere. Quem
admodum ſunt machinæ quædã tam operoſæ,ut mo
ram adferant negocio peragendo. Huius generis fer/
mè ſunt, quæ de arte memoriæ quidã ad quæſtũ aut
oſtentationẽ potius quàm ad utilitatem excogitarũt.
Nam iſta memoriam corrumpũt potius. Optima me
moriæ ars eſt, penitus intelligere, intellecta in ordinẽ
redigere,poſtremo ſubinde repetere,quod meminiſſe
uelis. Et inſitum eſt paruulis uincendi ſtudium,& inui
dentiæ ſeminarium quoddam, deinde metus ignomi
niæ & laudis amor, præſertim ijs qui ſunt erectioris

ingenij

ingenĩj ac uiuidæ indolis. His affectibus abutetur for mator ad ſtudĩj profectum. Vbi nihil proficiet, preci bus ac blandimentis, neqꝫ puerilibus præmiolis, ac lau dibus, certamen cum æqualibus erit ſimulādum. Lau detur audiente ſegni ſodalis. Acuet æmulatio, quē nō potuit ſola adhortatio. Nō tamen expediet ſic uicto ri deferre palmam, quaſi perpetua ſit, ſed interim oſtē det uicto ſpem, eam ignominiam uigilantia ſarciēdi, quod facere ſolent in bello duces. Nonnunquam per mittendum eſt, ut puer exiſtimet ſe uincere quū ſit in ferior. Poſtremo uiciſſitudine laudum ac uituperiorū alet in illis utilem, ut ait Heſiodus, contentionem. For taſſe pigebit aliquem ſeuerioris ingenĩj, ſic inter pue ros ineptire. Sed eundem interim nec piget, nec pudet bonam diei partem cum catellis Melitæis, aut cū Cer copithecis ludere, aut cum coruo pſittacoꝫ fabulari, aut cum Morione nugari. His ineptĩjs res maxime ſe ria agitur, & mirum eſt bonis uiris hinc eſſe minus uo luptatis, quum pietas ac ſpes ampliſſimi fructus & il la ſolet iucūda reddere, quæ per ſe ſunt auſtera. Fateor grāmatices præceptiones initio ſubauſteras eſſe, ma gisꝫ neceſſarias eſſe quàm iucundas. Verū his quoꝫ bonam moleſtiæ partem adimet præcipientis dexteri tas. Optima tantum primum ac ſimpliciſſima præci pienda ſunt. Nunc quibus ambagibus ac difficultati bus excruciantur pueri, dum ediſcunt literarum nomi

na,

na, priusquàm agnoscant figuras, dum in nominum ac uerborum inflexionibus coguntur edisсere, quot casibus, modis ac temporibus eadem uox respõdeat: ue luti, musæ, genitiuo & datiuo singulari, nominatiuo & uocatiuo plurali. Legeris à legor, à legerim, & à legero. Quæ carnificina tum perstrepit in ludo, quum hæc à pueris exigunt? Nõnulli literatores, ut ostentent eruditionem suam, solent his studiose nonnihil difficultatis addere. Quod uitium reddit omniũ penè disciplinarum initia perplexa molestaq́, præsertim in dialectica. Quibus si commonstres commodiorem docendi uiam, respondent se ad eum modum institutos, nec patiuntur quicquã melius esse pueris, quàm ipsis pueris accidit. Vitanda est igitur omnis difficultas uel nõ necessaria, uel intempestiua. Mollius fit quod suo tempore geritur. Verum ubi iam deuorãda est necessaria difficultas, ibi formãdæ pueritiæ artifex, quantum potest probos & amicos medicos studebit imitari, qui absinthiatum pharmacũ porrecturi, ut inquit Lucretius, poculorum oras melle prælinunt, quo puer illectus dulcedinis uoluptate salutiferam amaritudinem non reformidet, aut ipsi etiam pharmaco saccarũ, aut aliud grati saporis admiscent. Quin & dissimulãt esse pharmacum. Nonnunquam enim horrorem adfert sola imaginatio. Deniq; facile uincitur hoc tædium, si non simul & immodice, sed paulatim & ex interuallis

tradantur. Quanquam non oportet plus satis diffide re puerorum uiribus, si quid forte laboris sit exhauri/endum. Nó ualet robore puer, at ualet assiduitate, ua/let habilitate naturæ. Non ualet ut taurus, at ualet ut formica. In quibusdam & elephantus à musca supera/tur. In eo quidq; ualet ad quod natura cõpositũ est. An non uidemus pueros tenellos mira agilitate totũ cursitare diem, nec sentire lassitudinem? Idem si faciat Milo, fatigaretur. Quid in causa? Quia lusus ætati co/gnatus est, & lusum imaginantur, nó laborem. Est au tem in re quauis maxima molestiæ pars, imaginatio, quæ mali sensum adfert interdum, etiam ubi nihil est mali. Proinde quum hanc naturæ prouidentia paruu lis ademerit, ut quantum deest uiribus, tantũ hac par/te subleuentur, præceptoris, ut ante diximus, partes erunt, eandem multis rationibus excludere, studioq; lusus personam inducere. Sunt & lusuum species non indignæ liberis, quibus subinde laxanda est studiorũ intensio postquàm eò peruentũ est, ut ad maiora uo/centur, quæ sine cura, laboréque percipi non possunt: quod genus sunt, tractare themata, uertere latina græ ce, aut græca latine, aut cosmographiam ediscere. Sed omnium maxime contulerit, si puer consuerit, diligere ac reuereri præceptorẽ, amare mirariq; literas, metue/re ignominiam, capi laude. Restat unus ille scrupulus, quem obijcere solent ij, qui dicunt minorem esse profe/ctum.

Tertia pro/positio.

ctum,qui tribus illis aut quatuor annis acquiritur pue ro,quàm ut operæprecium ſit,uel tantum capere labo ris in docẽdo,uel tantum ſumptus impendere. At iſti quidem mihi uidentur non tã conſulere pueris quàm facultatibus,aut doctori parcere. Verum ego patrem eſſe negarim, qui quum de formãdo filio res uertitur, anxiam ſumptus rationem habet. Tum ridicula quæ/ dam clementia fuerit, quo præceptor nonnihil operæ lucri faciat, aliquot annorum iacturam in filio facere. Sit ſanè uerum,quod non negat Fabius,poſt uno an/ no plus effici, q̃ primis illis tribus aut quatuor, quid eſt quur hoc qualecunq; lucrum contemnamus in re multo precioſiſſima? Donemus eſſe perpuſillum, ta/ men hoc præſtabat agere puerum,quàm aut omnino nihil,aut aliquid dediſcendũ diſcere. Quibus curis me lius occupabitur illa ætas,ſimul atq; fari cœperit, quæ non poteſt eſſe prorſus ocioſa? Deinde quantulum/ cunq; eſt quod prior ætas contulerit, maiora tamẽ ali qua diſcet puer, eo ipſo anno, quo minora forent di/ ſcẽda,niſi illa prius occupaſſet. Hoc,inquit Fabius,per ſingulos annos prorogatum in ſummam proficit, & quantum in infantia præſumptum eſt temporis,ado/ leſcentiæ acquiritur. Ne repetam quod primis illis an/ nis quædam facile diſcuntur,quæ à grandioribus ma/ iore negocio percipiunt. Facillime enim diſcitur quod ſuo tempore diſcitur. Demus illa eſſe puſilla,modo fa

teamur esse necessaria. Tametsi mihi quidē non adeò uidetur exiguus ad eruditionem gradus, utriusq; linguæ si nō peritiam certe gustum assequutum esse, tum tot rerum uocabula, deniq; prompte legendi scribendiq; facultatem auspicatum esse. Non piget in rebus multo uilioribus occupare quicquid possumus quantumuis exigui lucelli, quod Græci, ni fallor, uocant κερδος. Vigilans negociator, nō assis aut teruntij compēdium negligit, sic suo cum animo reputans, per se quidem exiguum est, sed accrescit ad summam, & pusillū pusillo frequenter additum cito reddit ingentem acerruum. Fabri ærarij surgunt antelucano, quo diei partē ueluti lucrifaciant. Agricolæ quædam diebus festis agunt domi, quo plus operæ cæteris diebus absoluāt. Et nos in liberis quatuor annorum dispendium pro nihilo ducimus, quū neq; tempore sit ullus sumptus precioſior, neq; literis sit ulla melior possessio? Nunquam satis mature incipitur, quod nunquam absoluitur. Semper enim discendum quandiu uiuimus. At qui cæteris in rebus, lucrum cessatione prætermissum, uigilantia sarciri potest. Ætas ubi semel auolarit, auolat autem quàm ocyssime, nullis incantamentis reuocari potest. Nugātur enim Poëtæ, qui fontem memorant è quo ueluti repubescant grandæui: fallunt medici, qui per nescio quam quintam essentiam pollicentur senibus repubescentiam. Hic igitur oportebat adhibere summā

re ſummam parſimoniam, quod ætatis iactura nulla ratione penſari queat. Adde quod prima quæq; uitæ pars optima creditur, quo parcius hæc eſt diſpenſanda. Heſiodus nec in ſummo, nec in imo probat parſimoniam, quod pleno dolio uideatur præpropera, exhauſto ſera, proinde in medio parci iubet. At ætatis non oportet uſquam abijci parſimoniam, & ſi ob id parcendum ſemipleno dolio, quod uinum in medio ſit optimum, maxime parcendū eſt teneris annis, quæ uitæ pars eſt optima, ſi exerceas, ſed eadem fugaciſſima. Agricola paulo diligentior, non committit ut ulla pars agrorū omnino ceſſet, & quæ gignendis frumentis apta non eſt, eam aut uirgultis conſerit, aut paſcuis relinquit, aut oleribus inſtruit. Et nos optimā æui partem, citra frugem omnem literariam effugere patiemur? Noualis recens uel in hoc aliqua fruge occupanda eſt, ne incultus ex ſe gignat zizania. Nam omnino aliquid gignat oportet. Itidem tenera mens infantis, niſi protinus frugiferis diſciplinis occupetur, uitijs obducitur. Teſta liquoris odorem, quo primum imbuta fuit diu reddit, atq; ægre dediſcit. Sed teſtam recentem ac uacuā, ſeruare licet cui uoles liquori. Mens aut bonam frugem gignit, ſi bonum ſemē inijcias, aut ſi negligas, inutilibus ac mox reuellendis occupatur. Non parum lucri fecit, qui damnum effugit. Nec exiguum ad uirtutem momentum attulit, qui uitium exclu-

dusit. Sed quid plura? Vis uidere quanti referat, matu re quis formetur ad eruditionem an secus? Contem- plare, quantum prisci uirenti etiamnum ætate præsti- terint, & quàm hodie nihil possunt qui in studijs con- senuerunt. Elegias amorum admodũ adolescens scri- psit Ouidius. Quis idem nunc possit senex? Lucanus qualis fuerit adolescens, declarant illius monumenta. Vnde id? quoniam non maior sex mensibus, Romã deportatus, ilico traditus est duobus clarissimis gram maticis, Palæmoni & Cornuto. Sodales studiorũ ha- buit, Saleium Bassum, & A. Persium, alterum histo- ria, alterum satyra nobilem. Hinc nimirum illa in iuue ne tam omnibus numeris absoluta cyclopædia, tã ad- mirabilis eloquentia, qui in carmine non minus ora- torem summum præstat, quàm poëtam. Nec desunt hoc seculo felicis institutionis exempla, tametsi rario- ra, idq; in utroq; sexu. Cassandræ uirginis ingenium celebrauit Politianus. Quid autem Vrsino puero un decim annis nato mirabilius? Nam huius memoriã uir idem epistola sanè quàm eleganti, seculorum me- moriæ commendauit. Quotumquenq; nunc reperias uirum, qui duas epistolas eodem tempore totidẽ no- tarijs dictare possit, ut & in singulis quadrent senten- tiæ, nec usquam excidat solœcismus? Puer ille id præ- stitit in quinque, quum ex tempore darẽtur argumen- ta, & imparatus id faceret, Nonnulli quum hæc uidẽt, existi-

existimantes rem esse uiribus humanis maiorem, tri/
buũt ea magicis artibus. Planè magicis artibus fit, sed
efficax incantamentum est, mature tradi, docto, pro/
bo, & uigilanti præceptori. Ingens pharmacum est, ab
eruditis & inter eruditos optima statim discere. Tali/
bus magicis artibus Alexander Magnus adolescens
etiamnum, præter eloquentiam omnes philosophiæ
partes absoluerat, & nisi bellorum amor ac regnandi
dulcedo ingenium hoc abripuisset, poterat inter sum/
mos philosophos esse præcipuus. Iisdem artibus C.
Cæsar tantum adolescens eloquẽtia mathematicisq́
disciplinis ualuit, tantum Imperatores plericq́, tãtum
M. Tullius, Vergilius, & Horatius ætate uirenti, tũ do
ctrina, tum facundia præstiterunt, quod linguarũ ele/
gantiam apud parentes ac nutrices, disciplinas libera/
les, ueluti poëticen, rhetoricen, historiam, antiquitatis
notitiam, arithmeticam, geographiam, ethicen, politi/
cen, ac rerum naturas rudibus statim annis ab erudi/
tissimis didicerunt. Quid nos porrò? Pueros nostros
ultra pubertatem domi detinemus, ac otio, luxu, deli/
ciisq́ corruptos, uix tandem in scholam publicã mitti
mus. Illic ut res bene cedat, degustãt aliquid gramma/
tices, mox simul atq́ norunt inflectere uoces, & sup/
positum apposito recte iungere, perdidicere grãmati
cam, & ad perturbatam dialecticen admouentur, ubi
si quid etiam recte loqui didicerũt, dediscant oportet.

Sed

Sed infelicior erat ætas, quæ me puero modis signifi-
cãdi, & quæstiũculis ex qua ui, pueros excarnificabat,
nec aliud interim docens, quàm perperam loqui. Ni-
mirum præceptores illi, ne puerilia docere uiderentur,
grammaticen dialectices ac metaphysices difficultati
bus obscurabant, nimirum ut præposterè iam proue-
ctiores post maiores disciplinas grammaticen disce-
rent: quod nunc uidemus aliquot Theologis euenire
cordatioribus, ut post tot laureas, post omnes titulos,
ut iam illis liberum non sit quicquam nescire, ad eos
libros redire cogantur, qui pueris solent prælegi. Non
illos insector, præstat sero quàm nũquã discere, quod
cognitu necessarium est. Deum immortalem, quale se
culum erat hoc, quũ magno apparatu disticha Ioan-
nis Garlandini adolescẽtibus, operosis ac prolixis cõ-
mentarijs enarrabantur? Quum ineptis uersiculis, di-
ctandis, repetendis, & exigendis magna pars tempo-
ris absumebatur? Quum ediscceretur Florista, & Flore
tus? Nam Alexandrum inter tolerabiles numerandũ
arbitror. Deinde quantum temporis peribat in sophi
stica, in superuacaneis dialecticorum labyrinthis? Ac
ne sim prolixior, quàm perturbate tradebãtur omnes
disciplinæ, quàm molestè, dum quisq; professor ostẽ-
tandi sui gratia, statim in initio ea infulciret discipulis,
quæ sunt difficillima, nõnunquã & friuola. Nec enim
statim prædarum quod difficile, ueluti sinapis granũ

è longinquo mittere per foramen acus, difficillimum quidem est, sed ineptum: & nectere aut soluere nodos Cassioticos, res est operosæ quidem, sed ociosæ subtilitatis. Adde quod hæc traduntur interdũ ab indoctis, aut quod deterius est, à perperam doctis, nõnunquã & ab ignauis & improbis, quibus merces longe prior est discipulorum profectu. Huiusmodi quum sit uulgaris institutio, miramur paucis ante senectutem contingere plenam eruditionem? Optima pars æui perit ocio, perit uicijs, quibus infecti minimã temporis portionem impendimus studijs, maximã amoribus, conuiuijs, & lusibus. Et ad malam materiã adhibetur nihilo melior artifex, aut friuola docens, aut dediscenda. Et post hæc causamur ætatis imbecillitatem, nondum docile ingenium, exiguum profectum, aliaq; permulta, quum re uera quicquid hoc est mali, sinistræ institutioni sit imputandum. Non te traham sermone longiore. Tantum istam tuam prudentiam, cæteris in rebus perspicacissimam, appellabo. Consideret quàm chara sit possessio filius, quàm uaria, quamq; operosa res eruditio, sed eadem quàm præclara, quanta pueris ingenij ad omnem institutionem habilitas, quanta humanæ mentis agilitas, quàm facile discuntur, quæ sunt optima quæq; naturæ consentanea, præsertim si à doctis & comibus per lusum tradantur. Deinde q̃ tenaciter hæreant ea quibus uacuos ac rudes animos *Epilogus.*

primum imbuimus,quæ eadē prouectior ætas & per/cipit difficilius,& obliuiſcitur citius. Ad hæc quàm cha rus & irreparabilis ſumptus ſit tempus, quantum ua/leat mature cœpiſſe, quantū ſuo quidq; tempore age/re,quantum poſſit aſſiduitas , quàm bene minimorū acceſſione creſcit aceruus Heſiodius,q; fugax ætas,q; occupata iuuenta,quàm indocilis ſenectus. Hæc ſi te/cum expendes,nunquam committes, ut in filiolo,non dicam ſeptēnium, ſed ne triduum quidem prætereat, in quo ad eruditionem qualicunq; profectu uel præ/parari,uel inſtrui poſſit. DIXI.

ERASMVS ROTERODAMVS PETRO VI TERIO, LIBERALIVM DISCIPLI NARVM PROFESSORI EXI MIO S. D.

NAE TV rem iſtam, mi Petre ſuauiſſime, & perſpicis acute , & grauiter uerecq; iudi/cas,plurimum referre,qua ratione, quoq; ordine quid inſtituas,idq; maximum ha bere momentum,cum cæteris in rebus omnibus, tum uero præcipue in bonarum ſtudijs literatum. An non uidemus ingentia pōdera,ſi artem adhibeas,minimo tolli negotio,quæ nullis alioqui uiribus moueri pote/rant? Quemadmodum & in bello non perinde refert, quātis copijs,quantisq; uiribus hoſtem adoriaris , ut quàm

quàm probe instructo exercitu, quo consilio, quoq; ordine pugnam capessas. Ac multo celerius quò tendũt, perueniunt ij, qui semitas cõpendiarias norunt, quàm qui amnem, ut ait Plautus, ducem sequuntur, & uel cõtempto Pythagora τὸ λεωφόρον ingrediuntur, uel uarijs etiam errorum ambagibus circumaguntur. Proinde rogas, ut tibi studiorum ordinẽ, ac uiam, formãq; præscribam, quam tu, ueluti Thesei filum secutus, & in autorum labyrinthis citra erroré uersari queas, & ad eruditionis summã celerius emergere, uel magis aliorum studijs cõsulere, quos bonis literis instituis, quandoquidem ipse iam propémodum ad eruditionis fastigium peruenisti. Equidem pro mea certe uirili non grauatim parebo homini tam amico, ut nephas sit quiduis etiam flagitanti negare, nedum rem tam honestam, tamq; frugiferam. Quod si senseris nostrum hoc consilium tibi commodo fuisse, tui candoris erit, & alijs ad bonas literas enitẽtibus, digito uiã indicare.

PRINCIPIO duplex omnino uidetur cognitio, rerum, ac uerborũ. Verborum prior, rerũ potior. Sed nonnulli dum ἀνύποις, ut aiunt, πόσιν ad res discendas festinant, sermonis curã negligunt, & male affecto compendio, in maxima incidunt dispendia. Etenim cum res non nisi per uocũ no-

tas cognoſcantur,qui ſermonis uim non callet, is paſſim in rerum quoq; iudicio cæcutiat,hallucinetur,deliret neceſſe eſt. Poſtremo uideas nullos omniũ magis ubiq; de uoculis cauillari, quàm eos qui iactitant ſeſe uerba negligere, rem ipſam ſpectare. Quapropter utroq; in genere ſtatim optima, & quidẽ ab optimis ſunt diſcẽda. Quid enim ſtultius,quàm magno labore diſcere,quæ poſtea maiori cogaris dediſcere? Nihil autem facilius diſcitur,quàm quod rectum, ac uerum eſt. At praua ſi ſemel inhæſerint ingenio, dictu mirũ quàm non poſſint reuelli. Primum igitur locũ Grammatica ſibi uendicat, eaq; protinus duplex tradenda pueris,Græca uidelicet, ac Latina. Non modo quod his duabus linguis omnia fermè ſunt prodita, quæ digna cognitu uideantur, uerum etiam quod utraq; alteri ſic affinis eſt,ut ambæ citius percipi queant cõiunctim, quàm altera ſine altera, certe q̃ latina ſine græca. A græcis auſpicari nos mauult Quintilianus, ſed ita,ſi his literis perceptis, non longo interuallo latinæ ſuccedant, ſanè utraſq; pari cura tuendas eſſe monet, atq; ita futurũ,ut neutræ alteris officiãt. Ergo utriuſq; linguæ rudimenta & ſtatim, & ab optimo præceptore ſunt haurienda:qui ſi forte non contingat,tũ (quod eſt proximum) optimis certe utendũ autoribus, quos equidẽ perpaucos, ſed delectos eſſe uelim. Inter græcos Grammaticos nemo non primum locum tribuit

Theodoro

Theodoro Gazæ, proximum mea sentẽtia Constantinus Lascaris sibi iure suo uendicat. Inter latinos uetustiores Diomedes. Inter recentiores haud multum uideo discriminis, nisi quod Nicolaus Perottus uidetur omnium diligentissimus, citra superstitionem tamen. Verũ ut huiusmodi præcepta fateor necessaria, ita uelim esse quantum fieri possit, quàm paucissima, modo sint optima. Nec unquam probaui literatorũ uulgus, qui pueros in his inculcandis complures annos remorantur. Nam uera emendate loquẽdi facultas optime paratur, cum ex castigate loquentiũ colloquio conuictuq́, tum ex eloquentium autorum assidua lectione, è quibus ij primum sunt imbibendi, quorũ oratio præter quã quod est castigatissima, argumenti quoq; illecebra aliqua discentibus blandiatur. Quo quidẽ in genere primas tribuerim Luciano, alteras Demosthenni, tertias Herodoto. Rursum ex Poëtis primas Aristophani, alteras Homero, tertias Euripidi. Nam Menandrum, cui uel primas daturus eram, desideramus. Rursum inter latinos quis utilior loquendi autor q̃ Terentius? purus tersus, & quotidiano sermoni proximus, tum ipso quoq; argumenti genere iucũdus adolescẽtiæ. Huic si quis aliquot selectas Plauti comœdias putet addendas, quæ uacent obscœnitate, equidem nihil repugno. Proximus locus erit Vergilio, tertius Horatio, quartus Ciceroni, quintus C. Cæsari. Salustium

si quis adiungendum arbitrabitur, cum hoc non magnopere cõtenderim, atq; hos quidem ad utriusq; linguæ cognitionem satis esse duco. Neq; enim mihi placent, qui in euoluendis hunc in usum autoribus, etiam quibuslibet, uitam omnem conterunt, prorsus infantẽ existimantes eum, quem ulla chartula suffugerit. Ergo parata sermonis facultate, si non luxuriosa, certe casta, mox ad rerum intelligentiam cõferendus est animus. Tametsi ex his etiã scriptoribus, quos expoliendæ linguæ gratia legimus, non mediocris obiter rerũ quoq; cognitio percipitur, uerum ex instituto omnis ferè rerum scientia à Græcis autoribus petẽda est. Nam unde tandem haurias uel purius, uel citius, uel iucundius quàm ab ipsis fontibus? Sed quo ordine disciplinæ discendæ sint, & ex quibus potissimum præceptoribus, id aliâs fortasse rectius ostẽdemus. Interim ad primæ ætatis studia reuertamur. Vt igitur ex his autoribus unde linguæ copiam petẽdam esse diximus, fructum capias & maturius, & uberiorem, Laurentiũ Vallam tibi censeo diligenter euoluendum, qui de latini sermonis elegantia scripsit elegãtissime. Huius adiutus præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neque enim te uelim per omnia uelut addictum, Laurentianis seruire præceptis. Adiuuabit hoc quoq;, si figuras grammaticas à Donato ac Diomede traditas edidicetis, si carminis leges ac formas omnes tenueris, si rheto

rices

tices summã, hoc est, propositiones, Locos probatio/
num, exornationes, amplificationes, transitionum for/
mulas in promptu habueris. Conducũt enim hæc nõ
solum ad iudicandum, uerumetiam ad imitandum.
His itaq; rebus instructus inter legendum autores nõ
oscitanter obseruabis, si quod incidat insigne uerbum,
si quid antique aut noue dictum, si quod argumen/
tum, aut inuentum acute, aut tortũ apte, si quod egre/
gium orationis decus, si quod adagium, si quod exem
plum, si qua sententia digna quæ memoriæ commen/
detur. Isq; locus erit apta notula quapiam insignien/
dus. Notis enim non solum uarijs erit utendum, uerũ
etiam accommodatis, quo protinus quid rei sit, admo
neant. Ad hæc si quis dialecticen addendam statuet,
non admodum refragabor, modo ab Aristotele eam
discat, non ab isto loquacissimo sophistarum genere,
neque rursum ibi desideat, & uelut ad scopulos (ut in/
quit Gellius) sirenæos consenescat. Verum illud inte/
rim memineris, optimum dicendi magistrum esse sti/
lum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in o/
mni argumenti genere diligenter exercendus. Neque
negligenda memoria, lectionis thesaurus. Eam tamet
si locis & imaginibus adiuuari non inficior, tamen tri/
bus rebus potissimum constat optima memoria, intel
lectu, ordine, cura. Si quidẽ bona memoriæ pars est,
rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiã quæ se

mel

mel exciderint, quasi postliminio in animum reuoce/ mus. Porrò cura omnibus in rebus,non hic tantũ,plu rimum ualet. Itaq; quæ meminisse uelis, ea sunt atten tius,ac crebrius relegenda, deinde sæpius à nobis ipsis exigẽda,ut si quid forte suffugerit,id restituatur. Illud minutius,sed tamen haud indignum quod admonea tur. Adiuuabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem,sed subdifficilis erit memoria,ueluti locorum quos tradunt Cosmographi, pedum metricorum,fi/ gurarum grammaticarum,genealogiarum,aut si qua sunt similia, ea quàm fieri potest breuissime simul & luculẽtissime in tabulas depicta,in cubiculi parietibus suspendantur, quo passim & aliud agentibus sint ob/ uia. Item si quædã breuiter, sed insigniter dicta, uelut apophthegmata, prouerbia, sententias in frontibus atq; in calcibus singulorum codicum inscribes,quædã annulis,aut poculis insculpes, nõnulla pro foribus, & in parietibus,aut uitreis etiam fenestris depinges,quo nusquam non occurrat oculis, quod eruditionem ad/ iuuet. Hæc enim tametsi singula per se pusilla uident, tamen in unum collata aceruum, doctrinæ thesaurũ lucro augent,haud quaquam negligendo τῷ εἰς ἄφενος σπεύδοντι, id est,his opibus properãti ditescere. Postre mo illud non ad unũ aliquid, sed ad omnia simul plu rimũ conducet,si frequenter alios quoq; doceas. Nus/ quam enim melius deprehẽderis quid intelligas,quid

non

non. Atq; interim noua quædam occurrunt commen tanti, differentiq;, nihil non altius infigitur animo.

DE RATIONE INSTITVENDI DISCIPVLOS.

SED uideo te cupere, ut de docendi quoque ratione nonnihil attingamus. Age mos geratur Viterio, quanquam uideo Fabium hisce de rebus diligētissime præcepisse, adeò ut post hunc de ijsdē scribere prorsus impudentissimum esse uideatur. Ergo qui uolet instituere quempiam, dabit operā, ut statim optima tradat, uerum qui rectissime tradat optima, is omnia sciat necesse est: aut si id hominis ingenio negatum est, certe uniuscuiusq; disciplinæ præcipua. In hoc non ero contētus decem illis, aut duodecim autoribus, sed orbem illum doctrinæ requiram, ut nihil ignoret etiā qui minima parat docere. Erit igitur huic per omne scriptorū genus uagandum, ut optimum quenq; primū legat, sed ita, ut neminem relinquat inguſtatum, etiam si parum bonus sit autor. Atq; id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam, ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usquam inciderit annotandum, id suo adscribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat, in secundo de copia cōmentario demonstrauimus. Verum si cui uel ocium, uel librorum copia defuerit, plurima Plinius unus suppeditabit,

multa Macrobius,& Athenæus,uaria Gellius.Sed in primis ad fontes ipsos properandum,id est,græcos & antiquos. Philosophiã optime docebit Plato,& Aristoteles, atque huius discipulus Theophrastus, tum utrincꝫ mixtus Plotinus.Ex Theologis secundum diuinas literas, nemo melius Origene, nemo subtilius aut iucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. Inter latinos duo dũtaxat insignes in hoc genere,Ambrosius mirus in allusionibus, & Hieronymus in arcanis literis exercitatissimus.Quod si minus uacabit immorari singulis, omnes tamen censeo degustandos, quorum in præsentia catalogum texere,non est ratio. Certe propter Poëtarum enarrationem, quibus mos est,ex omni disciplinarũ genere sua temperare,tenenda est fabularum uis,quam unde potius petas,quàm ab Homero, fabularum omnium parente? Tametsi Metamorphoses,ac Fasti Nasonis non leue momentum adferent,quanquam latine scripti. Tenenda Cosmographia,quæ in historijs etiam est usui, nedum in Poëtis.Hanc breuissime tradit Pomponius Mela,doctissime Ptolemæus,diligẽtissime Plinius.Nam Strabo non hoc tantum agit.Hic præcipua pars est obseruasse quæ montium, fluminum, regionum, urbium, uulgo recepta uocabula,quibus antiquis respondeãt. Eadem debet esse cura in arborum,herbarũ,animantium,instrumentorum,uestium,gemmarum nomini-

bus

bus, in quibus incredibile dictu, quàm nihil intelligat literatorum uulgus. Horum notitia partim è diuersis autoribus, qui de re rustica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animantium conscripserunt, colligitur, Quāquam Iulius Pollux ex professo de rerum uocabulis tradidit, quæ utinam tam accurate distinxisset, quàm congessit copiose: partim ex etymologijs, partim ex his linguis, quæ prisci sermonis & incorrupti manifesta uestigia seruant in hanc usq; ætatem, cuiusmodi lingua Constantinopolitanorum, Italorum, & Hispanorū, nam Gallorum oratio longius degenerauit. Tenenda antiquitas, quæ non modo ex uetustis autoribus, uerum etiam è nomismatis priscis, è titulis saxisq; colligitur. Edisc enda & Deorum genealogia, quibus undiq; refertæ sunt fabulæ, eam post Hesiodum felicius quàm pro suo seculo tradidit Boccatius. Non ignoranda astrologia, quod hanc passim suis figmentis aspergūt Poëtæ, præsertim Higini. Tenenda rerum omniū uis, atq; natura, propterea quod hinc similia, epitheta, cōparationes, imagines, metaphoras, atq; alia id genus schemata solent mutuo sumere. In primis autē omnis tenenda est historia, cuius usus latissime patet, nō tantum in Poëtis. Iam si quis Prudentium, unum inter Christianos uere facundum Poëtam uolet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Postremo nulla

disciplina est, nec militiæ, nec rei rusticæ, nec musices, nec architecturæ, quæ non usui sit ijs, qui Poëtas, aut oratores antiquos susceperint enarrandos. Sed uideo iamdudum frontem contrahis. Næ tu inquis, immensum onus imponis etiam literatori. Onero sanè, sed unum, ut quàm plurimos exonerem. Volo ut unus euoluat omnia, ne singulis uniuersa sint euoluenda.

Iam uero de formandis puerorum ore, decq; tradendis ceu per lusum, iocumq; literarum figuris, satis præcepit Fabius. Equidem post tradita elementa prima, malim ad usum loquẽdi statim uocari puerũ. Etenim cum intra pauculos menses, quamuis barbaram linguam ætas ea sonet, quid uetat quo minus idem fiat in lingua græca siue latina? Verum id nec in magno puerorum grege locum habet, & domesticam præceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoq; dabit operã, ut siue pluribus loquatur, siue seorsim uni, quàm potest emendatissime dicat. Quædam obiter interpretetur, & ut imitent, admoneat. Loquẽtes illos aliquoties collaudet si quid dictũ erit aptius, aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet, ut illi quoque consuescant circunspectius & accuratius loqui, & præceptorem loquentem attentius obseruẽt. Iuuabit & illud, si propositis præmiolis, aut pœnis, uelut ex lege prouocent, ut ipsi quoq; inter sese alius alium emẽdent. Porrò præceptor eruditiores aliquot deliget, qui

controuersiam

controuersiam finiant. Neq; fuerit inutile,ceu formulas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in lusu,quibus in cõgressu, quibus in cõuiuijs uti debeãr. Has sic oportet esse doctas, ut simul & faciles sint, & iucũdæ.Porrò doctor ille diligens & doctus,acriq; iudicio,non grauabitur,collatis omnibus Grammaticorum præceptis,excerpere quædã,& simplicissima, q̃d quidem fieri potest, & breuissima, tum ordine quàm maxime commodo. Posteaquàm ea tradidit, statim ad autorem aliquem ad id accõmodatissimum, ac loquendi,scribendiq; consuetudinem uocentur.Hic præceptiones ante traditas ut incident, exemplaq; diligẽter inculcabit,quibus etiam addet nonnihil,uelut iam tum ad maiora præparans. Hinc iam thematijs exercerí debent.In quibus illud in primis cauendũ, ne (q̃d fieri solet) aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut uenustam habeant sententiam, quæ tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat,ut interim aliud agentes, simul & aliquid discant,in grauioribus studijs usui futurum.Habeat igitur thema,quod pueris proponet, aut historiam memorabilem. Quod genus sunt illa : Marcelli præceps calor rem Romanam subuertit,Fabij prudens cũctatio restituit.Quanquam hic subest etiam sententia, nimirum præcipitata consilia parum feliciter euenire solere. Itẽ, difficile iudicatu sit,uter altero fuerit stultior,

Crates qui aurum abiecit in mare, an Midas qui exi-
ſtimauit nihil auro melius eſſe. Item, Demoſtheni ac
Ciceroni immodica eloquentia exitio fuit. Rurſum,
nulla laus Codri regis meritis par eſſe poteſt, qui ciui-
um ſalutem propriæ uitæ diſpendio redimendam pu
tauit. Sed non magni negotij fuerit huiuſmodi uim
ex hiſtoriographis, præcipue Valerio Maximo, colli-
gere. Aut fabulã habeat, ut illud: Hercules expugnan-
dis monſtris immortalitatem ſibi parauit. Muſæ fon
tibus ac nemoribus unice gaudent, à fumoſis urbibus
abhorrent. Aut apologum, ut recte docuit Caſſita nõ
eſſe committendum amicis negociũ, quod per te poſ-
ſis conficere. Item, manticam pectore propendentem
uident omnes, eam, quæ à tergo pendet, uidet nemo.
Item, Sapiebat uulpes, quæ maluit muſcas iam pro-
pe ſaturas retinere, quàm his expunctis, uacuas ac ſi-
tientes admittere, quæ quicquid reliquum eſſet ſangui
nis, epotarent. Aut apophthegma, ut, Longe diſſentie
bat à uulgo noſtræ ætatis, qui maluit uirum abſq; pe
cunia, quàm pecuniam ſine uiro. Item: Iure Socrates
contemnit eos, qui non edunt ut uiuant, ſed uiuunt ut
edant. Meritò non probauit Cato eos, qui plus ſapi-
unt palato, quàm animo. Aut prouerbium, ut: Ne ſu-
tor ultra crepidam. Et non cuiuslibet eſt hominis Co
rinthum nauigare. Ac nos quidem æditis tot Chilia-
dibus, effecimus, ne difficilis eſſet horum inuẽtio. Aut

ſententiam,

ſententiam,ut nihil carius conſtat, quàm quod preci/
bus emitur. Et obſequium amicos,ueritas odium pa/
rit.Et amici,qui procul abſunt,amici non ſunt.Aut rei
cuiuſpiam inſignem naturam, ut Magnes ad ſeſe fer/
rum attrahit,Naphtha ignem. Item palmæ ea eſt na
tura,ut pondere impoſito, non modo non deprimat
ad terram,uerũ etiam ſurſum nitatur, & altius erigat
ſeſe.Item mirum Polypi ingeniũ,qui ad ſpeciem ſub/
iecti ſoli mutat colorem,quo fallat inſidias piſcatoris.
Aut figuram eximiam,puta gradationem.Diuitiæ lu
xum pariunt,luxus ſaturitatem,ſaturitas ferociam,fe/
rocia odium multorum,odium perniciem.Aut ſimili/
tudinem,ut,quemadmodũ ferrum ſi exerceas,uſu atte
ritur:ſi non exerceas,exeditur rubigine. Ita ingenium
ſi exerceas, labore abſumitur: ſi non exerceas, magis
otio,ſituq; læditur.Aut allegoriam,ut non eſt adden/
dus ignis igni,non eſt addendum oleum incẽdio.Aut
commutationem,ut nõ ideo te talem iudico, quod ue
hementer amem,ſed ideo uehementer amo, quod ta/
lem iudicarim. Aut diſtributionẽ, Stultior eſt, quàm
ut poſſit tacere,infantior,quàm ut poſſit loqui.Simpli
cior eſt,quàm qui poſſit mentiri:grauior,quàm ut ue/
lit.Sed mihi ſat eſt indicaſſe tantum. Aut exquiſitam
aliquam elegantiam. Cuius rei non eſt neceſſe pone/
re exemplum.Nihil autem obſtat, quo minus plures
commoditates in eandem incidant orationem, ueluti

ſententia,

ſententia,hiſtoria,prouerbium,& figura.Ergo præce-
ptor, quẽ oportet aſſidue in bonis autoribus obuerſa
ri , huiuſmodi ceu floſculos undiquaq; colliget, eosq;
delectos proponet, aut etiam in eam formam demu-
tabit, ut puerorum ingenijs ſint accommodati . Poſt-
quàm his rebus ad aliquantam ſermonis peritiã pro-
uectus erit puer,tum ſi uidebitur,ad maiora gramma
tices præcepta reuocet, quæ per locos & ordines quoſ
dam ita tradẽda ſunt,ut primo loco ſimpliciſſima pro
ponantur,eaq; paucis.Deinde utcunq; adoleſcunt di-
ſcentium ingenia, ita maiora ſuis quæq; locis oporte-
bit ſubijcere. Is ordo cuiuſmodi ſit, è Theodori Gazæ
Grammatica exemplum ſumas licebit. Nec in his ta-
men uelim eos detineri longius , ſed illico ad autores
grauiores reuocari . Præſertim ſi prius ſummã illam,
de qua dixi, rhetorices, ac figuras , & carminũ formas
teneant.Interim thematis quoque difficilioribus ſunt
exercendi,in quibus delegendis ac narrandis, diligen-
tem ac doctum præceptorem requiram.Qui ſi ſit me-
diocris,modo ſit idem modeſtus,non grauabitur hæc
ab alio doctiore petere.Thematum autem formæ hu
iuſmodi ferè poſſunt eſſe.Nunc epiſtolæ brcuis argu-
mentum,ſed argutum, lingua uulgari proponat, lati-
ne græcéue,aut utroq; ſermone tractandũ.Nunc apo
logum,nunc narratiunculam non inſipidam,nũc ſen-
tentiam ex quatuor conſtantem partibus, utriq; dua-
rum

rum ſimili aut ratione ſubiecta. Nunc argumentatio/
nem quinque tractandā partibus, nūc dilemma dua/
bus, nunc expolitionem quam uocant, ſeptem parti/
bus explicandam. Aliquando tanquam ad rhetorica
præludētes, unum aliquod membrorum ſeorſum tra/
ctent. Cuiuſmodi progymnaſmata ſcripſit Aphtho/
nius. Aliquando laudem, uituperationem, fabulam, ſi
militudinem, comparationem. Aliquando figurā, uel
deſcriptionem, diſtributionem, ſermocinationem, ſub
iectionem, notationem. Aliquoties iubeantur carmen
aliquod ſoluere. Aliquoties ſolutam orationem pedi/
bus alligare. Interim Plinianam aut Ciceronis epiſto/
lam, uerbis ac figuris imitentur. Nonnunquam eandē
ſententiam uariatis uerbis ac figuris, ſæpius efferant.
Nónunquam eandem græce ſimul ac latine metro &
oratione proſa uarient. Nonnunquā eandem quinq;
aut ſex carminum generibus, quæ doctor præſcripſe/
rit, explicent. Nonnunquam ſententiam eandem per
locos quàm plurimos ac ſchemata diffingant. Pluri/
mum autem fructus eſt in græcis uertendis. Quare cō
uenit eos, hoc in genere ſæpiſſime ac diligētiſſime exer
ceri. Nam ſimul & exercetur ingenium in deprehen/
dendis ſentētijs, & utriuſq; ſermonis uis ac proprietas
penitus inſpicitur, & quid nobis cum græcis commu/
ne ſit, quid non, deprehenditur. Deniq; ad reddendā
græcanicā emphaſin, omnes latinæ linguæ opes ex/

cutias oportet. Hæc ſi initio pueris difficilia uidebun/
tur,tum uſu fient faciliora , tum præceptoris ingeniũ,
ac ſtudium,bonam negocij partem pueris adimet, in/
dicatis quæ putet eſſe ſupra uires illorum. Atq; ijs inte
rim exercitamentis crebræ prælectiones autorum mi/
ſceantur,ut ſuppetat quod imitentur . Quanquam is,
qui docet,propoſito themate, ſimul uerborum quoq;
& figurarum copiam debet indicare. Sub hæc ad inue
niendi quoq; laborem prouocentur, ita propoſitis nu
dis argumentis,ut ſuo quiſq; Marte reperiat,quæ per
tinebunt ad rem tractandam,ornandam,locupletan/
dam. Et hic delectum ac uarietatem requiram à præ/
ceptoris eruditi diligentia,guſtum interim exhibebo.
Sæpius argumentum epiſtolæ proponet ſuaſoriæ,diſ
ſuaſoriæ,exhortatoriæ,dehortatoriæ,narratoriæ,gra/
tulatoriæ,expoſtulatoriæ,commendatoriæ,conſolato
riæ . Et uniuſcuiuſq; generis naturam locos ac formu/
las quaſdam communes,dein argumento propoſito,
etiam peculiares indicabit. Aliquando ceu declamato
riũ thema dabit, in diuerſis generibus , puta ſi iubeat
eos uituperare Iulium Cæſarem,aut laudare Socratẽ,
in genere demonſtratiuo. Item ſtatim optima diſcen/
da. In opibus non eſſe felicitatem. Matrem proprio la
cte nutrire debere quod peperit. Literis græcis nõ eſſe
dandam,aut eſſe dandam operam. Vxorem eſſe du/
cendam,aut non eſſe ducẽdam . Peregrinandum eſſe,

aut

aut non esse peregrinandum, in genere suasorio. Item M. Horatium indignum esse supplicio, in genere iudiciali. Verum hanc palæstram primum ingredientibus non grauabitur is, qui docendi prouinciam suscepit, primum indicare, quot propositionibus id argumentum tractari possit. Præterea propositionum ordinẽ demonstrabit, & quo pacto alia ex alia pendeat. Deinde quot rationibus unaquæque propositio fulciri debet, quot confirmationibus unaquæq; ratio. Tum circumstantias ac locos, unde ista peti possint. Deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententijs, prouerbijs, fabulis, apologis unaquæq; pars locupletari queat. Ostendat & schemata, si qua insigniter uidebũtur incidere posse, quæ uel acriorem, uel ampliorem, uel magis dilucidam, uel iucundiorem reddant orationem. Si quid erit amplificãdum, rationem demonstret, siue per locos cõmunes, siue per eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quintilianus. Quod si qui inciderint affectus, hi quoq; quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin & cõnectendi rationes præscribat, quis sit optimus futurus trãsitus. Ab exordio ad narrationem, à narratione ad diuisionem, à diuisione ad argumentationem, à propositione ad propositionem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationem. Ostẽdat & formulas aliquot, quibus ibi commode possint exordiri,

aut etiã perorare. Postremo, si potest, locos aliquot in autoribus indicet, unde ualeant aliquid imitãdum sumere, propter rerũ affinitatẽ, id ubi septies, aut octies erit factum, iam incipient (quod ait Horatius) sine cortice nare, & satis erit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit, semper uelut infantibus cibũ præmansum in os inserere. Nec mihi displicet illud exercitationis genus, quod apud antiquos in usu uideo fuisse, ut ex Homero, Sophocle, Euripide, Vergilio, aut etiam ex historijs aliquando legantur themata. Puta, ut Menelaus apud Troianam concionem repetat Helenam. Aut, Phœnix suadeat Achilli, ut redeat in prælium. Aut, Vlysses suadeat Troianis, ut Helenam reddant, potius quàm bellũ experiantur. Quo in genere extãt aliquot Libanij & Aristidis declamationes. Præterea, uti suadeat aliquis amicus Ciceroni ne conditionẽ ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentum est apud Senecam, Vti Phalaris suadeat Delphis, ut taurum æneum deo suo consecrent. Ad hoc genus pertinent epistolæ, quæ Phalaridis, ac Bruti nomine circumferuntur. In emendãdo collaudabit, si quid felicius inuentum, tractatum, aut imitatũ uidebitur: si quid prætermissum, aut non suo loco positum, si quid nimium, aut remissius, si quid obscurius, aut etiam si quid parũ eleganter dictum erit, admonebit. Et quo pacto mutari possit ostendet, ac mutari, & sæpius iubebit. Extimulabit

mulabit autem præcipue discentium animos,compa-
ratione profectus, uelut æmulatione quadam inter
ipsos excitata. Iam in prælegendis autoribus nolim te
facere,quod praua quadam ambitione uulgus profes-
sorum hodie facit,ut omni loco coneris omnia dicere,
sed ea duntaxat,quæ explicãdo præsenti loco sint ido-
nea,nisi si quando delectandi causa digrediendum ui
debitur. Quod si huius quoq; rei rationem à me requi
ris,hæc mihi quidẽ uidebitur optima . Primo loco ad
conciliandos auditores,laudes eius , quem prælegen-
dum sumit,paucis explicet. Deinde argumenti iucun-
ditatem,utilitatemq; ostendat. Mox uocem argumẽ-
ti,si forte (ut faciunt pleriq;) uarios habeat usus,expli-
cet,ac distinguat. Veluti comœdiam (ut hoc exempli
loco sumamus) Terentianam interpretaturus, in pri-
mis de autoris fortuna,de ingenio,de sermonis elegã-
tia paucis differat . Deinde quantum habeat & uolu-
ptatis,& utilitatis comœdiarum lectio: deinde quid si
gnificet ea uox,& unde ducta, & quot sint comœdia-
rum genera,& quæ sint comœdiæ leges . Deinceps q̃
potest & dilucide, & breuiter summam explicet argu-
menti. Carminis genus diligẽter indicet. Post ordinet
simplicius , deinde singula fusius explicet . Ad hæc , si
qua insignis elegantia,si quid prisce dictum,si quid no
uatum,si quid græcanicum, si quid obscurius, aut lon-
gius redditum,si durior aut perturbatior ordo, si quæ

etymologia, ſi qua deriuatio aut compoſitio ſcitu di-
gna, ſi qua orthographia, ſi qua figura, ſi q loci rheto-
rici, ſi qua exornatio, ſi quid deprauatum, diligẽter ad-
moneat. Tũ loca ſimilia ex autoribus conferat, ſi quid
diuerſum, ſi quid affine, ſi quid imitatum, ſi quid allu-
ſum, ſi quid aliunde translatum, aut mutuo ſumptũ,
ut ſunt pleraq; latinorum à græcis profecta, ne id qui-
dem taceat. Poſtremo ad philoſophiã ueniat, & Poë-
tarum fabulas apte trahat ad mores, uel tanquã exem
pla demonſtret, ut Pyladis & Oreſtis, ad amicitiæ cõ-
mendationem, Tantali fabulam ad auaritiæ deteſta-
tionem. In his non mediocriter adiuuabit docentem
Euſtathius, Homeri interpres. Atque ita fiet (ſi modo
ſit ingenij dextri præceptor) ut etiam ſi quid inciderit,
quod inficere poſſit ætatem illam, non ſolum nõ offi-
ciat moribus, uerumetiã utilitatem aliquam adferat,
uidelicet animis partim ad annotationẽ intentis, par-
tim ad altiores cogitationes auocatis. Veluti ſi quis
prælecturus ſecũdam Maronis æglogam, commoda
præfatione præparet, uel potius præmuniat auditorũ
animos ad hunc modum, ut dicat, Amicitiam non coi
re niſi inter ſimiles, ſimilitudinem enim eſſe beniuolen
tiæ mutuæ conciliatricem, contrà diſſimilitudinẽ odij,
diſſidijq; parentẽ, Quoq; maior ac uerior, ſtabilioq;
ſimilitudo fuerit, hoc firmiorẽ atq; arctiorem eſſe ami
citiam. Id nimirum ſibi uelle tot apud autores prouer
bia,

bia. Boni ad bonorum conuiuia, & inuocati accedunt. Et ſimile gaudet ſimili, & æqualis æqualem delectat, & æqualem tibi uxorem quære. Et ut ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem, & ſemper graculus aſſidet graculo. Et ſimiles habent labra lactucas. Et pares cũ paribus facillime congregantur. Et Caſcus Caſcam ducit. Et balbus balbum rectius intelligit. Et cicada cicadæ chara, formica formicæ. Et Cretenſis cum Ægineta. Contra tot diſſimilitudinis adagia, nihil aliud ſibi uelle, quàm inter eos qui diſſimili ſunt fortuna, diſſimili uitæ inſtituto, diſſimilibus ſtudijs, aut omnino non coire amicitiam, aut ſi coierit, nõ cohærere, citoq; dirimi: atq; ob id fieri, ut idiota ſtudioſum literarum oderit, prophanus ſacerdotem, ruſticus aulicum, iuuenis ſenem. Atq; in eodem genere, Epicuræus Stoicũ, philoſophus iuriſconſultum, Poëta Theologum, balbus eloquentem. Hinc geminorum gratiam fratrum, Amphionis & Zeti, penè diſſilijſſe, q; alter lyræ ſtudioſus eſſet, alter agris colẽdis gauderet: ac diſſilierat, niſi Amphion abiecta lyra, fratris ingenio ceſſiſſet. Ob eandem cauſam inſyncera fuit Caſtoris & Pollucis amicitia, neq; caruit infamia tentati parricidij, cum uterq; eodẽ ex ouo eſſent prognati, ut iam magis eſſe gemelli non poſſent, quod alter pugil eſſet, alter equis delectaretur. Hinc male cõueniſſe Remo cum Romulo, quod alter triſtioribus ac ſeueris eſſet moribus, alter

ter blandior,unde & Romulo pro Romo mutatũ no men.Peſſime conueniſſe Chaim cum Abel, quod di/ uerſo uitæ genere caperentur.Summum autem amo/ rem ſummæ ſimilitudinis eſſe comitem, atq; ideo fi/ ctum à Poëtis,quemadmodum Narciſſus,ante ab o/ mni abhorrens conſortio,ſimul atq; ſuam ipſius ima/ ginẽ in limpidiſſimo fonte cõſpexiſſet,protinus amo/ re flagrantiſſimo cœpit ardere.Quid enim noſtri ſimi lius,q̃ ipſa imago? Ergo cum doctus doctum amat, ſobrius ſobrium, modeſtus modeſtum, probus pro/ bum,nihil aliud amat uterq;, quàm ſuam ipſius in al/ tero imaginem,hoc eſt ſeipſum,ſed alio modo. Verũ ea ſimilitudo,ſiquidem ſita eſt in bonis animi,quæ ue re ſunt bona,hoc eſt pietate,iuſtitia,temperantia,tum eiuſmodi naſcitur amicitia cuiuſmodi ſunt eæ res,qui/ bus amicitia conciliatur,hoc eſt honeſta,uera,ſyncera, ſtabilis,æterna.Contrà ſi in rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus,eam nec uere eſſe amicitiam,nec iu cundam,nec diuturnam oſtendet.Proinde Platonem duas finxiſſe Veneres,alteram cœleſtem, alteram ter/ reſtrem.Duos item Cupidines, ſuæ utrunq; matri re/ ſpondentes.Cœleſtem ueras gignere formas,& huius filium ueros,& honeſtos immittere amores.Inter bo/ nos ſemper amorem eſſe mutuum,inter uulgares ple/ runq; alterum amare,alterũ odiſſe, alterum perſequi, alterum fugitare. Id accidit ferè propter ingeniorum

uitæq;

uitæq; dissimilitudinem. Quod quidem eleganter si/gnificat apud Poëtas Cupido,qui nonnunquam hũc aurea cuspide figit,illum plumbea, illum ut amet,hũc ut abhorreat,atque hoc amicitiæ genere nihil esse po/test infelicius. Eius igit' amicitiæ male cohærẽtis,qua/si simulachrum quoddã,in hac ægloga proponit Ver gilius.Corydon rusticus, Alexis urbanus. Corydon pastor,Alexis aulicus. Corydon indoctus (nã huius carmina uocat incondita) Alexis eruditus. Corydon ætate prouectus, Alexis adolescens. Corydon defor/mis,hic formosus. Breuiter dissimilia omnia. Quare prudentis est amicum suis moribus aptum deligere,si uelit amari mutuum. Hæc inquam si præfetur, tũ au/tem locos demonstratorios,perperam & bucolice à ru stico affectatos indicet, nihil opinor turpe ueniet in mentem auditoribus,nisi si quis iam corruptus accesse rit.Nam iste uenenum non hinc hauserit,sed huc secũ attulerit.Hoc exemplum uerbosius exposui, quo faci/lius in cæteris item sibi quisq; similia reperiat. Iam in aggressu cuiusq; operis cõueniet in genere demonstra re, quæ sit argumenti natura, & quid in eo potissimũ sit spectandum. Velut in epigrammatis argutam bre uitatem laudari. Tum iocandi rationes, quas Fabius & Cicero tradunt,indicabit.Hoc genus præcipue gau dere epiphonematis,commode in fine adiectis, quæ cogitationem uelut aculeatam in animo lectoris relin/

quant. In Tragœdia præcipue ſpectãdos affectus, & quidem ferè acriores illos. Hi quibus rebus mouean/tur, paucis oſtendet. Tum argumenta ueluti declamã/tium. Poſtremo deſcriptiones locorum, temporum, rerum aliquoties, & argutas altercationes incidere, quæ nunc diſtichis, nunc ſingulis uerſibus, nũc hemiſtichĩs abſoluantur. In Comœdia cum primis obſeruandum eſſe decorum, & uitæ cõmunis imitationem, affectus eſſe mitiores, & iucundos magis quàm acres. Decorũ autem in primis ſpectari, non ſolum illud commune, ut adoleſcentes ament, lenones peierent, blandiat͂ me retrix, obiurget ſenex, fallat ſeruus, iactet ſe miles, atq; id genus alia, uerum peculiare quoddam quod ſuo ar bitratu alĩs aliud affingit Poëta. Velut in Andria du os inducit ſenes, longe diuerſo ingenio. Simonem ue/hementem, ac ſubmoroſum, haud ſtultum tamen, nec improbum. Contrà Chremetẽ ciuilem, ac ſemper pla/cidum, ubiq; ſibi præſentem, omnia quantũ poteſt pa cantem, at ita tamen lenem, ut minime ſtupidum. Du os item adoleſcẽtes diſſimili natura, Pamphilum cor/datum pro ratione ætatis, & conſultabundũ, ſed acrio rem, ut Simonis filiũ poſſis agnoſcere. E diuerſo Cha/rinum puerilem, ineptum, conſilĩq; inopem. Rurſum ſeruos duos diuerſis moribus. Dauum uafrum & con/ſilĩs abundantem, ac ſperandi pertinaciſſimum auto/rem. E regione Byrriam nullius cõſilĩ, tantum perpe/

tuum

tuum desperationis autorem hero. Ad eundem modum in Adelphis. Mitionem etiam in obiurgãdo mitem, ac festiuum. Demeam etiam in blandiendo amarulentum. Rursum Æschinum propter urbanæ uitæ consuetudinem, & Mitionis fiduciam nihil nõ audentem, sed ita ut probum ingenium deprehẽdas, officiosum in fratrem, fidum in puellã. E diuerso Ctesiphontem subrusticum ac timidum, propter earum rerũ insolentiam. Syrum callidum, & audacem, nihilq; nõ simulantem, ac dissimulantem, adeò, ut sola ebrietas detexerit illius fucos. Dromonem stupidum, atq; hebetem. Sed ista persequi nõ huius est instituti, in præsentia satis est uiam indicasse. In æglogis admoneat esse aurei seculi, ac priscæ illius uitæ imaginẽ. Proinde quicquid illic est sententiarum, similiũ, ac comparationũ, à uita pastorali sumi: affectus sunt simplices, cantionibus, sententijs, ac prouerbijs delectãtur, superstitione & augurijs capiuntur. Ad eundem modum, quid proprium habeat carmen heroicũ, quid historia, quid dialogus, quid apologus, quid satyra, quid oda, quid reliqua scripti genera curabit admonere. Tũ quæ sint singulorum autorum in singulis argumentis dotes, aut etiam uitia, nõ grauabitur indicare, quo iam tum assuescant adolescentes ei quod est in omni re præcipuum, iudicio. Atq; in hac parte præceptorem, præter artem & ingenium, adiuuabit etiã libellus Ciceronis de

claris oratoribus,& Quintiliani,Senecæ,atq; Antonij campani de scriptoribus censuræ, neque non ueteres interpretes, præcipue Donatus hac in re peculiariter occupatus. Huc pertinet & consilij ratio, ueluti quare M. Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere. Et quare Vergilius tantopere laudibus uehat Turnũ hostem Æneæ,& quare abdicatus medicus apud Lucianum non lædit nouercam, sed magis laudat,& in patrem acrior est quàm in nouercam. Sed id quoque in immensum patet. At iudicabit aliquis hæc nimium habere negocij. Equidem præceptorem eruditum,longoq; usu exercitatum uolo esse. Is si continget, hæc etiam facile percipient pueri. Quod si qua initio erunt duriora,progressu & assuetudine mollescent. Optima certe sunt,nisi fallor,& optimis conuenit statim assuescere,quanquam hæc non ubiq; omnia sunt inculcanda,ne tedio grauentur ingenia discentium, sed ut inciderint insigniora. Neque uero minorem adhibeat curam præceptor in exigendo quæ commisit, quàm in prælegendo. Est omnino labor hic docenti grauissimus,sed discentibus utilissimus. Nec ordinem exigat duntaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuescant bona cum fide reddere. Neque uero deterreat ab hac re difficultas,quæ uel menstruo temporis spacio uincitur. Mihi nunquam placuit, ut omnia dictata scribant adolescẽtes,fit enim hoc pacto,ut me

moriæ

moriæ cultus negligatur, nisi si qui pauca quædam no tulis uelint excipere, idq; tantisper donec usu confirmata memoria, scripti non desiderent adminiculum. Postremo tantum arbitror esse momenti in commoda docendi ratione, si modo diligens & eruditus contigerit præceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusq; linguæ mediocrem etiam eloquentiam perducturum, modo dentur ingenia non omnino infelicia, quàm isti literatores ad qualemcunq; illã suam balbutiem uel infantiam potius prouehũt suos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus schola, deinde bonis auibus ad altiores disciplinas conferat sese, & quocunque se uerterit, facile declarabit, quanto pere referat ab optimis auspicatum fuisse. Hæc habui in præsentia mi chariſſime Petre, quæ tibi de Studij Ratione scriberem, ea si placent, utere: sin minus, seduliratem certe nostram pro tuo candore boni consules. Tu modo perge ita ut instituisti, in bonas literas incũbere, ac Galliam tuam alioqui florentissimam, honestissimis etiã studijs illustra. VALE.

FINIS.

CONCIO DE PVERO IESV PRONVNTIATA A PVERO IN SCHOLATICA TVM RECENS INSTITVTA LONDINI.

Exordium.

DVER apud pueros uerba facturus de ineffabili puero IESV, nó optarim mihi Tullianam illam eloquentiam, quæ breui atq; inani uoluptate aures deliniat, Quantú enim abeſt CHRISTI ſapientia à ſapientia mundi (abeſt autem immenſo interuallo) tantum oportet Chriſtianam eloquentiam à mundana differre eloquentia: ſed illud unà mecum ardentibus uotis

Invocatio.

impetretis uelim, ab optimi IESV optimo patre Deo, à quo ceu fonte, bonorum omnium ſumma proficiſcitur, quiq; ſolus fœcundo illo ſuo ſpiritu linguas infantium reddit diſertas, uel è lactentium ore laudē abſolutam depromere ſolitus: ut quemadmodum omnis noſtra uita non alium exprimere debet, quàm ipſum, de quo dicturi ſumus IESVM, ita & oratio noſtra illum ſapiat, illum referat, illũ ſpiret, qui & uerbum eſt patris, & uerba uitæ ſolus habet, cuius ſermo uiuus & efficax, penetrantior eſt quouis gladio ancipiti, ad intimos etiam cordis receſſus penetrãs: utq; ipſe de cuius uentre flumina promanant aquæ uiuæ, non grauetur per organum uocis noſtræ, ueluti per canalē,

in

in omnium uestrum animos influere, multo ꝙ gratiæ cœlestis irrigare succo. Id ita futurum confido commilitones mei charissimi, si pijs uotis, purgatas ac uere sitientes aures adiungetis. Eas uidelicet aures, quas æternus ille sermo requirens in Euãgelio, qui habet, inquit, aures ad audiendum, audiat. Nos porrò cur non audeamus rem hanc, arduam quidem illam, sed tamen piam aggredi? Præsertim ipso adiutore Deo, in quo hoc plus potest mortalis infirmitas, quo minus suis nititur uiribus, & in quo Paulus omnia se posse gloriat. Iam uero cum tanto studio flagrent isti, qui mundanæ, hoc est diabolicæ militiæ dedere nomina, ut suum cuiq; ducem laudibus uehant, Nobis quid prius aut antiquius esse debet, quàm ut præceptorẽ, uindicem, imperatorem nostrum IESVM, ac eundem quidẽ omnium, sed tamen peculiariter nostrum, id est, puerorũ principem, certatim pijs celebremus præconijs? Hunc in primis cognoscere studeamus, cognitum laudemus, laudatum amemus, amatũ exprimamus, atq; imitemur, imitantes eo fruamur, fruentes immortali felicitate potiamur. Sed in tam ubere tamq; immensa rerum copia, unde quæso initium, aut ubi finẽ nostra reperiet oratio? Cum is, de quo loqui paramus, fons sit, uel (ut uerius dicam) oceanus bonorum omnium. Verum ut ipse natura incomprehensus, & infinitus, tamen sese uelut in arctum cohibuit contraxitq;, itidem

Attentio.

Transitus per dubitationem.

& noſtra oratio in explicandis eius laudibus, quæ mo
dum neſciunt, modum tamen ipſa ſibi faciat oportet.

Diuiſio. Equidem tria potiſſimum eſſe uideo, quæ uel diſcipu
lorum uel militum animos ſolent ad gnauiter agen
dum inflãmare, ea ſunt ducis admiratio, amor & præ
miũ. Itaq; quo præceptori noſtro ac duci IESV ſtu
diis alacrioribus pareamus, agedum ſingulatim hæc
in eo pia curioſitate conſideremus. Primo loco quàm
ſit ſuſpiciendus, undiq;, ac ſtupendus. Deinde quanto

Prima pars. pere diligẽdus, atq; ob id imitãdus. Poſtremo quàm
ingens dilectionis fructus. Ac mos quidem eſt rheto
rum in hoc dicendi genere, illuſtrium principum ad
hibere exempla, uidelicet quo collatione creſcat is, quẽ
conãtur laudibus attollere. Verum imperator noſter
uſqueadeò ſuperat omne celſitudinis humanæ faſtigi
um, ut quicquid quantumuis egregium adhibueris, te
nebras admoueris, non lucem. Cuius enim imagines,
ac natalium ſplendor non uideatur eſſe fumus, ſi cum
IESV componas? Qui quidem ineffabili, imò etiam
incogitabili ratione Deus à Deo ſemper abſq; tẽpo
re naſcitur, æterno ſummoq; parẽti per omnia æqua
lis? Quãquam huius uel humana natiuitas nónne fa
cile regum omnium claritatem obſcurauerit? Quippe
qui ſtupente rerum natura, autore patre, afflante ſpiri
tu, pronubo angelo, citrà uirilem operã, uirgo de uirgi
ne cœlitus grauida, natus eſt homo, in tempore, & rur

ſum

ſum ita natus homo,ut neq; Deus eſſe deſineret,neq; ſordium noſtrarum quicquam omnino contraheret. Iam uero qd eo fingi poteſt amplius, qui infuſus per omnia,nullo tamẽ loco cohibitus, in ſeipſo manet im mẽſus? Quid illo ditius, qui ſummum illud eſt bonũ, à quo bona promanant omnia, nec tamen ipſe dimi/nui poteſt? Quid illuſtrius eo, qui ſplendor eſt pater/næ gloriæ, quiq; ſolus illuminat omnem hominẽ ue/nientem in hunc mundum? Quid illo potẽtius,cui pa ter omnipotens uniuerſam tradidit poteſtatem in cœ lo & in terra? Quid efficacius eo,qui ſimplici nutu con didit uniuerſa,ad cuius iuſſum ſileſcit mare, uertuntur rerum ſpecies,fugiunt morbi,concidunt armati,pellũ/tur dæmones,ſeruiunt elementa,ſcinduntur petræ, rè/uiuiſcunt mortui,reſipiſcunt peccatores,deniq; nouan tur omnia? Quid auguſtius eo,quem admirantur ſu/peri,tremunt inferi, medius hic orbis ſupplex adorat, ad cuius comparationem ſummi reges nihil aliud q̃ uermiculos eſſe ſeſe confitentur? Quid eo fortius atq; inuictius,qui ſolus mortem alijs inuictam, ſua morte deuicit, ac ſatanæ tyrannidem cœleſti uirtute fregit ac demolitus eſt? Quid triumphantius eo,qui perfractis ac ſpoliatis inferis, tot pijs comitatus animabus, ui/ctor cœlos adijt, ibiq; ſedet ad dexteram dei patris? Quid illo ſapientius,qui tam admirabili ratione cun/cta condidit,ut uel in apiculis ac formicis tot, tantaq;

ſuæ ſapientiæ reliquerit miracula? quiq̃ tam ſtupendo rerum ordine, atq̃ harmonia nectit, cõtinet, administrat uniuerſa, obiens omnia, nec tamen à ſeipſo diſcedens, omnia mouens ipſe immotus, omnia concutiens ipſe tranquillus, poſtremo in quo id, quod ſtultiſſimum eſt, uniuerſam mortalium ſophorum ſapiẽtiam longo ſuperat interuallo? Cuius debet nobis eſſe grauior autoritas, quàm eius de quo pater ipſe palàm eſt teſtificatus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite? Quid æque reuerendum, atq̃ is cuius oculis perſpicua ſunt omnia? Quid perinde formidandum atq̃ ille, qui ſolo nutu poteſt, & animam, & corpus in tartara mittere? Quid autem formoſius eo, cuius uultum intueri ſumma eſt felicitas? Deniq̃ ſi multis pretium addit antiquitas, quid illo antiquius, qui nec initium habet, nec finem eſt habiturus? Sed magis fortaſſe conuenerit, ut pueri puerum admiremur, quandoquidem hic quoque ſtupendus occurrit, uſqueadeò quod illius eſt infimum, ſublimius eſt ijs, quæ ſunt apud homines excelſiſſima. Quantus erat ille, quem infantulum uagientem, pannoſum, abiectum in præſepe, tamen cœlitus canũt angeli, adorant paſtores, reueretur & quæ genuit, agnoſcunt bruta animantia, indicat ſtella, uenerantur Magi, timet rex Herodes, trepidat omnis Hieroſolyma, ſanctus amplectit̃ Symeon, uaticinat̃ Anna, in ſpem

ſalutis

salutis eriguntur pñ? O humilem sublimitatẽ, & sublimem humilitatem. Si noua miramur, quid simile unquam aut factum, aut auditum, aut cogitatũ? Si magna suspicimus, quid nostro IESV modis omnibus amplius, quẽ nulla creatura possit uel exprimere uoce, uel cogitatione concipere? Huius magnitudinem qui uelit oratione complecti, is multo stultius agat, q̃ si conetur uastissimum oceanum angusto exhaurire cyatho. Adoranda est eius immensitas magis quàm explicanda, quam uel hoc ipso magis mirari cõuenit, quo minus assequimur. Quid ni nos id faciamus, cum magnus ille præcursor indignum sese pronunciet, qui corrigias calciamentorum eius soluat? Agite igit' pueri suauissimi, hoc tam inclyto puero IESV præcepto re, hoc tã insigni duce sancta superbia gloriemur, huius sublimitas nobis ad pie audẽdum animos addat, in hoc uno nobis ipsi placeamus, ut existimãtes illius omnia nobis esse communia, nos ipsos meliores arbitremur, quàm qui semel tali addicti imperatori, mundo uitñsúe, sordidissimis utiq; dominis seruiamus.

SECVNDA PARS.

Sed admirantur & cõtremiscunt etiam dæmones, amãt soli pñ. Quamobrẽ altera huius orationis pars, ut propius ad nos pertinet, ita est attentioribus auribus accipiẽda. Videlicet quot nominibus IESVS sit nobis amandus, uel redamandus magis, ut qui nos &

nondum conditos ante omne tempus amarit in se, in quo iam tum erant omnia. Itaq; natiua sua bonitate cum nihil essemus, nos finxit, finxit autem non quod uis animal, sed homines, & finxit ad suũpsius imaginem, hoc est summi boni capaces, ac sacro sui oris afflatu spiritũ uitalem indidit. Ad hæc, cæteris animantibus imperio nostro parere iussis, quin etiam angelis in nostri tutelam designatis, latissimam hanc ac pulcherrimam mundi fabricam nostris addixit usibus: in qua nos uelut in admirabili quodam theatro constituit, ut in rebus creatis opificis sapientiam admiraremur, bonitatem amaremus, potentiã ueneraremur: quoq; id magis fieret, tot sensuum adminiculis instruxit, tot animi dotibus ornauit, tam perspicaci ingenij lumine condecorauit. Quid hoc animante fingi poterat, uel admirabilius, uel felicius? Sed ô semper felicitatis comitem inuidiam. Rursum serpentis astu in peccatum, hoc est plusquàm in nihilum relapsus est miser. Sed hic tu rursum optime IESV, q̃ ineffabili consilio, quàm inaudito exemplo, quàm incõparabili charitate, tuum figmentum restituisti? Nam ita restituisti, ut labi propémodum expedierit, eamq; culpã quidam non absurde felicem uocauerit. Omnia debebamus conditori, at reparatori plusquàm omnia debemus. Vltro temetipsum è regno patris in hoc nostrũ exilium demisisti, ut nos paradiso exactos, cœli ciues

redderes

redderes,noſtram humanam naturam aſſumpſiſti,ut nos in tuæ diuinitatis conſortium aſciſceres, noſtrum hunc limum induiſti,ut nos immortalitatis gloria ueſtires,noſtra tectus forma,nobiſcum in hoc calamitoſo mundo complures annos agere uoluiſti, ut uel ſic in tui raperes amorem: nudus in hanc lucem, imò noctem emerſiſti, nobiſcum, atq; adeò pro nobis uagiſti,ſitiſti,eſuriſti, alſiſti, æſtuaſti, laboraſti, delaſſatus es, eguiſti, uigilaſti, ieiunaſti,tot malis noſtris obnoxius eſſe uoluiſti, ut nos ab omnibus exemptos malis,in tui, hoc eſt ſummi boni communionem aſſereres. Deinde per omnem ſanctiſſimæ uitæ tuæ ſeriem, quàm efficacibus exemplis animos noſtros inflammas? quàm ſalutaribus præceptis erudis, ac formas? quàm ſtupendis miraculis expergefacis? quàm blãdis monitis trahis? quàm certis promiſſis inuitas? ut non ſit alia cõmodior uia ad te, niſi per te ipſum qui unus es,uia,ueritas,& uita. Sed uiam non indicaſti modo, uerum etiam aperuiſti, dum pro nobis uinciri, trahi, damnari,rideri,cædi,conſpui,uapulare, probris affici, demũ & in ara crucis agnus ſine macula immolari uoluiſti,ut nos tuis uinculis ſolueres,tuis ſanares uulneribus,tuo lauares ſanguine,tua morte ad immortalitatem eueheres. In ſumma, totum te nobis impendiſti, ut tui (ſi fieri poſſet) iactura nos perditos ſeruares. Vitæ redditus,toties tuis apparuiſti: atq; illis intuẽtibus,

patrem repetisti, ut membra confiderent eò se peruen tura, quò caput iam præcessisse conspicerent. Deinde quo magis confirmares amicos, patre placato egregi/ um illud perpetui amoris tui pignus misisti, sacrum il lum spiritum, quo mortui mũdo longe uerius ac feli/ cius iam uiueremus in te, quàm nostro hoc spiritu ui/ uimus. Quæso quid his summæ charitatis argumen/ tis poterat accedere? Ne hæc quidem tam multa, tam magna flagrãtissimo tuo in nos amori sat erãt. Quis enim cõmemorare possit, quot martyrum mortibus nos ad huius uitæ contemptum animas? quot uirgi/ num exemplis ad continentiam accendis? quot san/ ctorum monumẽtis ad pietatem solicitas? quàm ad/ mirandis ecclesiæ tuæ sacramentis communis pariter ac ditas? Vt cõsolaris, erigis, armas, doces, mones, tra/ his, rapis, mutas, transformas nos arcanis tuis literis, in quibus uiuas quasdam tui scintillulas condi uolui/ sti, magnum amoris incendiũ excitaturas, si quis mo/ do pia diligentia conetur excutere? Deniq; quàm un/ diq; nobis obuius es, ne quando liceat obliuisci tui? Ad hæc quàm paterne toleras peccantes? quàm cle/ menter recipis ad te redeuntes? Nec imputas benefa/ cta tua gratis, nec resipiscentibus nostra imputas ma/ lefacta. Vt subinde tacitis uellicas ac trahis instincti/ bus? ut emẽdas aduersis? ut allicis prosperis? ut omnẽ moues lapidem? ut nusquam cessat ardentissima tua

charitas

charitas in fouendis, afferendis, tuendis, beandis nobis? Sed quàm pauca de tã innumeris perſtrinximus commilitones,& tamẽ uidetis quàm ſit immenſus beneficiorũ aceruus.Eat nunc qui uolet,& Pyladas, Oreſtes,Pirithoos, Theſeos, Damonas ac Pythias uerbis phaleratis efferat,mera præ his nugamẽta. Atq; hæc quidem contulit ultro nihil promeritis, imò transfugis atq; hoſtibus,& à quibus nihil omnino mutui beneficij redire poterat.Si mediocribus officijs homines ad amandum hominem accendimur, hũc conditorẽ, uindicem,ſic amantem,ſic promeritum, nõ ſaltem redamabimus? quandoquidem hanc ſolam gratiam ille à nobis repoſcit,quam tamẽ ipſam in noſtrum refundit lucrum.Adamas ſanguine molleſcit hircino, aquilæ,leones,pardi,delphines,dracones agnoſcunt, ac referunt beneficium,& ô duritiam cordis humani, plus quàm adamantinam,ſi tam inaudita charitate nõ miteſcit,ô ingratitudinem pluſquàm beluinam, ſi tantorum meritorum poteſt obliuiſci, ô ſingularem impudentiam,dicam an potius dementiam, ſi ſic conditus, ſic reſtitutus, ſic locupletatus, tanta obrutus beneficentia, ad tãtas uocatus ſpes,quicquã amare poteſt, præter illum unum,in quo,& à quo ſunt omnia,quiq; nobis omnia ſecum impertijt.Porrò autem, quanquam hæc mortaleis omneis cõplectitur, tamen nos illi peculiariter debemus, propterea quod in noſtrum, hoc

eſt,

est,puerorum ordinem singulari quadam propensio/ ne, atq; indulgentia fuisse sese pluribus declarauit ar/ gumentis. Primum, quod ita ut erat uatum oraculis promissus, puer paruulus nasci uoluit cũ esset immen sus. Præterea quod adhuc uteri uirginei latebris inclu/ sus, infantis item nondum nati gestu atq; exultatione gauisus est salutari. Deinde quod statim innocẽtium puerorum sanguine, suam natiuitatem uoluit cõsecra/ ri, ut his quasi uelitibus dux inuictus bellum auspica/ retur. Adde his quod instante morte triumphali, Hie rosolymam ueniens puerorũ occursu atq; officio de/ corari, puerorũ uoce suas laudes decãtari maluit. Iam uero quàm amantem, quamq; solicitum puerorũ pa/ tronum agit? cũ matribus infantes suos offerentibus, ut IESV contactu consecrarentur, discipulis ne pos/ sent admitti uetantibus indignans, Sinite, inquit, par/ uulos uenire ad me. Neq; uero pueris benedixit tan/ tum, uerumetiam negat ulli mortalium aditum pate/ re in regnum cœlorum, nisi qui ad paruulorum formã descenderit. Rursum quàm amãter & illud? cum tam grauiter deterret ab offendẽdis pusillis, affirmans ma gis expedire, ut molari saxo collo alligato præceps in mare detur aliquis, quàm ut unum quemlibet ex his paruulis offendat. Atq; his quàm insigne addidit elo/ gium ad puerorum commendationem? Amen dico uobis, angeli eorum semper uident faciem patris. Gra

tias

tias agit tibi tuus, tibiq; dicatus grex, IESV præceptor, cui quæso, ut sacras tuas manus semper admoue re uelis, & ab omni scãdalo procul arceas. Quid illud? nónne magnum amoris indicium, cum puerũ in medio collocatum discipulis eum exemplum proponit? Nisi inquiens, conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. An nõ eodem pertinet? cum Nicodemo scisciranti, qua uia possit ad uitam immortalem pertingere, iubet ut denuo renascatur, hoc est in puerum redeat: usqueadeò Christo duci nostro placuit infantia, ut senes etiam cogat repuerascere, si modo uelint in illius admitti consortium, extra quem nulla salutis spes est. Neq; uero à CHRISTO dissonat Petrus, cũ admonet, ut tanquam nuper æditi infantes lac concupiscamus. Neq; discrepat Paulus, Filioli mei, inquiens, quos iterũ parturio donec formet CHRISTVS in uobis. Idẽ paruulos in CHRISTO lacte potat. Multa sunt id genus loca in mysticis literis. Omnino Christianismus nihil aliud est q; renascẽtia, quàm repuerascẽtia quædam. Magnum igitur pueri, magnum pueritiæ sacramentum, qua IESVS tantopere delectatus est. Nõ contemnamus ætatem nostram, quam uerus ille rerũ æstimator tanti fecit. Tãtum demus operã, ut eiusmodi simus pueri, cuiusmodi diligit IESVS. Diligit autem innocuos pueros, dociles, simplices: atq; illud inte-

q rim

rim meminerimus, hanc Deo gratam pueritiam non in annis esse sitam, sed in animis, non in temporibus, sed in moribus. Est enim præposterum quoddam, nobisq; magnopere fugiendum puerorum genus, qui mento leui, mente sunt hirsuta, & ætate impuberes, uitiosa astutia senes sunt. Est igitur nouum quoddā pueritiæ genus, quod à CHRISTO probatur, pueritia citra puerilitatem, & omnino senilis quædam puericia, quæ non annorum numero constat, sed innocētia, sed ingenij simplicitate. An non id palàm indicat Petrus cum ait: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & detractiones, sicut modo geniti infantes, rationale & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Cur addidit rationale? nempe ut excluderet stultitiā, quæ huius ferè ætatis cōsueuit esse comes. Cur detrahit inuidias, simulationes, ac reliqua id genus uitia, quæ senum sunt quasi peculiaria? nimirū ut intelligeremus CHRISTI pueros simplicitate ac puritate æstimari, non natalibus. Ad eundem modum & Paulus: Malitia, inquit, paruuli estote, sensibus aūt perfecti. Quanquam est omnino in ipsa puerorū ætate natiua quædam bonitas, & uelut umbra quædam, ac simulacrum innocentiæ, uel spes potius atq; indoles futuræ probitatis. Mollis, & in quemuis habitum sequax animus, pudor optimus innocentiæ custos, ingenium uitijs uacuum.

cuum,corporis nitor, ac ueluti flos quidam uernantis æui, & nescio quomodo quiddam spiritibus cognatũ ac familiare. Neq; enim temere fit,ut quoties apparẽt angeli,puerili specie sese offerant oculis:quinetiã Magi si quando suis incantamentis spiritum eliciunt, in puerile corpus feruntur accersere. At quanto libentius spiritus ille diuinus, pijs ac sanctis euocatus uotis, in huiusmodi domicilia demigrabit? Ergo ad has naturæ dotes si accesserit summi illius & absoluti pueri imitatio, tum demum & grati in illum & illo digni pueri uidebuntur. Etenim sic promeritum quis possit non amare? Verũ enimuero ea ueri amoris uis est, ut eius quod ames quàm simillimus esse cupias. Quod si in nobis efficit amor humanus, quantum æmulandi studium excitabit amor diuinus,cui ille collatus uix amoris umbella est? Proinde si uere atq; ex animo nõ uerbotenus IESVM amamus, IESVM pro nostra uirili conemur exprimere, uel potius in illum transformari. Quod si uirum assequi non possumus,saltẽ pueri puerum imitemur. Quanquam hoc ipsum facinus est,haud quaquam puerile, imò senilibus etiã uiribus maius, sed quod ferè nusquam succedat felicius quàm in pueris. Etenim quoties negotium ab humano pendet præsidio,tum robur,ætas,sexus expẽditur: uerum ubi gratiæ res agitur non naturæ, tum hoc efficacius exerit sese miraculum spiritus,quo minus erat opis, ac

fiduciæ in carne. Deniq; quid dubitemus, aut diffidamus: ipſo formãte, fingente, ac transformãte nos, quẽ conamur exprimere? Quis Danieli puero tantum addidit prudentiæ? quis puero Salomoni tantũ tribuit ſapientiæ? quis tribus illis pueris tantum adiunxit tolerantiæ? quis puerum Hely dignum diuino fecit alloquio? quis Nicolao puero? quis Ægidio? quis Benedicto? quis Agneti? quis Cæciliæ? quis tot tam teneris uirgunculis, tam maſculam atq; inuictam uirtutẽ dedit? Profecto non natura, ſed gratia, & ubi minus ſuccurrit natura, ibi mirabilius operatur gratia. Hac igit̃ freti, magno animo ſtudium æmulandi puerum IESVM capeſſamus, nec unquam oculos ab eo uelut à ſcopo deflectamus. Abſolutum exemplar habemus, nihil eſt quod aliũde petere oporteat. Omnis illius uita, quid nos ſequi debeamus, clamitat. Quid autẽ docuit puer ille puriſſimus, de puriſſima uirgine natus? niſi ut omnem huius mundi ſpurcitiã, & inquinamenta uitemus, atq; angelicam quandam uitam iam nũc in terris meditemur, hoc eſt, id eſſe meditemur, quod illic ſemper ſumus futuri. Porrò ſpiritus IESV cum omneis ſordes auerſatur & odit, tum præcipue beluinam illam, & prorſus homine indignam libidinem. Quid autem docuit nos, natus peregre, æditus in tuguriolo, abiectus in præſepe, pannis inuolutus? niſi ut ſemper meminerimus nos hic paucorum dierum hoſpites

ſpites

ſpites eſſe,utq; calcatis opibus,ſpretis mũdi falſis ho-
noribus, per pios labores ad cœleſtem illam patriam
expediti feſtinemus,in qua iam nunc animo uiuamus
oportet,etiam ſi corporeis interim pedibus terrã con-
tingimus. Rurſum quid admonuit in Ægyptum au-
fugiens? niſi ut inquinatorum commercium modis o-
mnibus deuitemus,qui IESVM in nobis,hoc eſt in-
nocentiam, ac mundi neglectum conantur extingue-
re.Quid uero docuit circunciſus, niſi ut omneis carnis
affectus ad CHRISTVM properãtibus obſtrepen
tes,amputemus,ac tanquam in nobis ipſis mortui,ſo-
lo IESV ſpiritu ducamur, ac uegetemur? Quid do-
cuit oblatus in tẽplo, niſi ut totos nos ab ipſa iam in-
fantia Deo rebusq; ſacris dedicemus,conſecremusq;,
ac protinus recenti adhuc mentis teſta IESVM im-
bibamus? Neq; enim ulla ætas ad diſcendam pietatẽ
immatura eſt, imò non eſt alia magis tempeſtiua ad
diſcendum CHRISTVM, q̃ ea quæ mundum ad-
huc neſcit.Iam ipſi apud uos æſtimate pueri, puer ille
ſic natus,ſic Deo dicatus, quàm ſanctis ſtudijs totam
pueritiã tranſegerit. Non ocio,non cibo, non ſomno,
non ineptis luſibus,non ſtultis fabulis,non euagatio-
nibus, quemadmodum puerorũ uulgus facit, ſed aut
parentum obſequijs,aut ſacris precationibus, aut au-
ſcultãdis doctoribus,aut pijs meditationibus,aut ſan
ctis ac ſerijs cum æqualibus pueris colloquijs. An non

hæc, & multa similia summatim cõplexus est sanctus Lucas? cum scribit ad hunc modum: Puer crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia dei erat in illo. An non palam uidetis nouum pueritiæ genus? De pristinis pueris dictũ est, Stultitia colligata est in corde pueri. De nouo hoc auditis, plenus sapientia. Quid adhuc ætatis inscitiam prætexim us, cũ audiamus nõ sapientem, sed plenum sapientia puerum? Videte ut omnem rerum ordinem hic puer inuertit, qui loquit in Apocalypsi: Ecce ego noua facio omnia. Perdit sapientia senum, ac prudentia prudentium reprobatur, & pueri implentur sapientia. Nimirum hoc nomine gratias agens patri, Quoniam, inquit, abscõdisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Porrò ne stultã huius mundi, ac fucatam sapientiã affectaremus, protinus adiecit: Et gratia dei erat in illo. Is uere demum sapit, qui mundo desipit, & nihil nisi CHRISTVM sapit. Hic non è philosophorum libris, non è scoticis argutijs, sed syncera fide cognoscitur, spe tenetur, charitate deuincit. Iam uero quàm multa docuit nos? Vbi duodecim natus annos, à parentibus furtim subducit sese, ne inter notos quidem, ac propinquos repertus, post triduum demiqꝫ inuentus est. Sed ubi tandé inuentus? Num in circulis? num in choris? num in uijs aut foro? Audite pueri, ubi repertus sit puer IESVS relictis parentibus, quodãmodo fugitiuus, & ubi uos

uersari

uersari conueniat intelligetis. In templo, inquam, inuentus est, in medio doctorum sedens, audiens illos, ac uicissim interrogans. Quid docuit nos IESVS his tam admirandis factis? Non dubium quin rem magnam, rem seriam, rem imitandam docuerit. Quid autem? quid? nisi ut grandescẽte in nobis CHRISTO, quandoquidẽ & in nobis nascitur, & habet suos ætatum gradus, donec occurramus in uirum perfectum, & in mensuram plenitudinis eius: Ergo cum grandescit in nobis, docet ut naturales parentum & amicorũ affectus in deum transferamus, nihil hic amemus, nihil miremur, nisi in CHRISTO, & CHRISTVM in omnibus. Meminerimus nos uerum patrem, patriam, cognatos, amicos habere in cœlis. Verum ne quis imaginetur hunc parentũ neglectum, fastum, aut inobedientiam sapere, consequitur, Et erat subditus illis. Imò nemo suos parẽtes uerius amat, nemo magis pie colit, nemo obseruantius morẽ gerit, quàm qui sic contemnit. Quid autem est sedere in templo, nisi in rebus sacris conquiescere, & ad discẽdum animum ab omnibus tranquillum curis adferre? Nihil autem uitijs est turbulentius, & otium ac quietem amat sapiẽtia. Iam à quo tandem nos grauemur discere? quàm attentas aures præceptoribus præbere conuenit, cum puer ille cœlestis, sapientia dei patris, in medio doctorum sedeat, audiens uicissim ac respondens, sed ita respondens,

dens,ut omnes eius ſapientiã admirarentur. Neq; id mirum,cum is eſſet, ad quem omnis mundi ſapientia ſtulta eſt. Præclara res legũ prudentia,egregia res philoſophiæ cognitio, ſuſpiciẽda res theologiæ profeſſio. Verum ſi quis IESVM audiat, illico ſtulteſcunt omnia. At noſtra reſponſio,ſi ſapientiæ miraculum excitare non poteſt,certe ſapiat modeſtiam, ſonet innocentiã. Rurſum obſecro,quàm morigeros,quàm obſequentes nos eſſe decet parentibus ac præceptoribus, quos potiores uelut ingenij parẽtes habemus,poſteaquàm ille dominus omnium, cum à parentibus non intelligeret, tamẽ ſubditus illis redierit in Nazareth? Debetur hoc pietati,debetur parentum reuerentiæ,ut aliquoties illorum uoluntati cõcedamus, etiam ſi nos meliora uiderimus. Sed iam operæprecium eſt audire, quàm apto fini Lucas IESV pueritiam concluſerit:Et IESVS, inquit, proficiebat ſapientia,ætate,& gratia apud Deum,& apud homines. Quàm multa, quàm paucis nos docuit? Primũ cum ætatis acceſſione, pietatis item acceſſionem oportere copulari, ne illud in nos iure dici poſſit, quod in hominum uulgus diuus dixit Auguſtinus: Qui maior eſt ætate, maior eſt iniquitate. Néue in hoc pulcherrimo certamine unquam reſtemus,aut nos aſſecutos arbitremur,ſed more currentium in ſtadio,à tergo relicta negligentes, in anteriora nitamur, ac ſemper à bonis ad meliora, à melioribus

melioribus ad optima proficere conemur, donec ad metam, hoc est huius uitæ finem peruentum erit. Socrates iam admodum senex, perinde quasi nihil sciret, ita semper & à quouis discere sitiebat. Itidem & nos q̃ magis in CHRISTO fuerimus, hoc minus nobis placebimus, si modo uere in illo fuerimus progressi: adeo φιλαυτία pestis est & studiorũ, & pietatis, ac iuxta Fabium, præcox illud ingeniorum genus, nõ temere peruenit ad frugem uel eruditionis, uel innocentiæ. Equidem nec ordinem otiosum esse puto apud Deum & apud homines, ut intelligamus in primis dandã operam, ut uita nostra Deo placeat. Id agentes, humanus fauor ultro cõsequetur. Nihil enim uirtute pulchrius, nihil amabilius, quam laus hoc magis sequi solet, quo minus appetitur. Paucis, ut potuimus uobis expressimus exemplar pueri, quem & amare plurimũ, & imitari studiosissime debemus. Atq; omnino tantum uidebimur amare, quantum fuerimus imitati. Rursum tanto plenius imitabimur, quanto amabimus ardentius. Proinde hoc ipsum ab illo quotidianis ac puris precibus flagitemus, ut nobis donet amore sui flagrare, sui similes euadere, hoc est castos, puros, incontaminatos, mites, simplices, tractabiles, expertes fuci, ignaros doli, nescios inuidiæ, parentibus morigeros, præceptoribus dicto audientes, mundi cõtemptores, rebus diuinis addictos, pijs literis intentos, nobis ipsis quoti

die meliores, probatos ſuperis, gratos hominibus, odore bonæ famæ q̃ plurimos ad CHRISTVM allicientes. Hæc, inquam, aſſidue flagitemus, hæc manibus pedibusq̃ conemur, dū habilis ætas, breui alioqui fugitura. Etenim ſi recte monuit Fabius, optima ſtatim ac primo diſcēda, quid prius diſci debet, quàm CHRISTVS, quo nihil eſt melius? Imò quid aliud diſcere oportet Chriſtianum, quàm eum unum, quē noſſe uita eſt æterna? quemadmodum ipſe teſtatur, patrem orans in Euangelio. Id ſi curabimus, utcunq; pro uirili gratiam referemus, tam ſingulariter de nobis merito, & illi referendo gratiam, ipſum nobis lucri faciemus. Referemus autē hoc plenius, quo uehementius redamabimus. Porrò hoc magis illum redamabimus, quo magis uita ac moribus exprimemus. Iam q̃ magis exprimemus, hoc magis ipſo locupletabimur.

TERTIA PARS.

At interim nonnullis forſitan ſuccurret animo, duram hanc eſſe militiā, repudiatis omnibus, cū CHRISTO crucem tollere. Sed memineritis fratres dilectiſſimi, longe diuerſam mundi & CHRISTI eſſe naturam. Mundus ceu fucata meretrix, prima fronte blandus nobis, & aureus occurrit, poſtea quo ingrediare altius, quo propius inſpicias, hoc magis ac magis tetra, putida, fellita ſunt omnia. Ediuerſo CHRISTVS procul intuentibus durior apparet, dum cruces uidemus.

mus, dum uoluptatum ac uitæ contemptum: uerum si quis fidenti animo totum sese in illum reiiciat, reperiet nihil esse mollius, nihil expeditius, nihil dulcius. Nisi forte uerum non dixit ueritas in Euangelio, cum ait: Tollite iugum meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris, iugum enim meũ suaue est, & onus meum leue. Hæc nimirum uere est, ardua uirtutis uia, quam & olim tanto ante CHRISTVM, utcunq; somniauit Hesiodus, primo aditu asperior, progressu semper & facilior, & amœnior. Sed quid tãdem asperum uideri potest, quo ad tam ingens, tam certum ítur præmium? Si iuxta Sapiẽtis dictum, spes præmij minuit uim flagelli, quis in hac momẽtanea uita nó leue, nó dulce iudicet, quo cœlestem illã, & nũquam desituram sibi paret uitam, æternũ regnare cũ CHRISTO, assidue summum illud íntueri bonum, uersari in angelorum cõtubernio, ab omni malorum metu procul abesse? Quis oro tãtum hoc præmium, non uel sexcẽtis mortibus emptum uelit? Atqui hoc tantum donatiuum pollicetur militibus suis imperator noster IESVS, qui neq; fallere potest, neq; mentiri nouit. Iam apud uosmetipsos expendite fructus, æternitatem, ac magnitudinem: contrà cũq; breue huius militiæ tempus, nimirum haud longius ipsa uita, quæ quid aliud est, quàm uapor ad exiguum tempus apparens, aut unius horæ somnium? Sed agedum, de

hoc interim inæſtimabili præmio ſileamus, atq; inſpi/ ciamus quàm abunde magna mercede dux noſter mi litum ſuorum labores etiam in hac uita compenſet, quamq; diſparem metãt meſſem, qui mundo militãt, & qui merent ſub CHRISTO IESV. Audiamus quid ipſi dicant impĩj in libro Sapientiæ. Laſſati ſu/ mus in uia iniquitatis & perditionis, ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus. Ille/ ctat mundus fucatis bonorum ſimulacris, quæ nihil aliud ſunt, quàm mellita uenena, mox extractos, & ue lut inauctoratos, Deum immortalem, in quas curas, quas ſollicitudines, quas turbas, quæ diſpendia, quæ dedecora, in quam conſciæ mentis carnificinam, in q̃ infelicem exitum, miſeros adducit? Vt hic quoq; iam abũde magnas impietatis pœnas dediſſe uideantur, etiam ſi nulli conſequantur inferi. At qui reiectis mun di fucis, in IESVM, hoc eſt ſummum bonũ, omnẽ amorem, curam, ſtudiumq; transferunt, totiq; ab illo pendent, ĩj iuxta promiſſum Euangelicum, non modo uitam æternam poſſidebunt, uerumetiam in hoc ſecu lo centuplum accipient. Quid eſt autem accipere cen/ tuplum? Nempe pro fucatis bonis uera, pro incertis certa, pro fluxis æterna, pro ueneno tinctis ſyncera, pro curis otium, pro ſolicitudine fiduciam, pro turbu/ lentia tranquillitatem, pro diſpendĩs utilitatem, pro flagitĩs integritatem, pro conſcientiæ cruciatu, ſecretũ

&

& ineffabile gaudium, pro turpi atq; infelici exitu, glo rioſam ac triumphalẽ mortẽ. Spreuiſti diuitias amo re CHRISTI, in ipſo ueros inuenies theſauros. Re ieciſti falſos honores, in hoc lõge eris honoratior. Ne glexiſti parentum affectus, hoc indulgentius fouebit te pater uerus, qui eſt in cœlis. Pro nihilo habuiſti mũ danam ſapientiam, in CHRISTO longe uerius ſa pies, ac felicius. Aſpernatus es peſtiferas uoluptates, in ipſo multo alias inuenies delitias. Breuiter, ubi arca nas illas, ſed ueras opes CHRISTI, diſpulſa mun di caligine uideris, omnia quæ prius arridebant, quæ ſollicitabant, ea non ſolum non admiraberis, ſed per inde ut peſtes quaſdam fugies, reiĳcies, auerſaberis. Fit enim mirum in modum, ut ſimul atq; cœleſtis illa lux animos noſtros penitus attigerit, protinus noua quædam rerum omniũ facies oboriatur. Itaque quod paulo ante dulce uidebatur, nũc amareſcit, quod ama rum, dulceſcit, quod horrendũ, blanditur, quod blan diebatur, horreſcit, quod ſplendidum ante, nunc ſordi dum, quod potens, infirmum, quod formoſum, defor me, quod nobile, ignobile, quod opulentum, egenum, quod ſublime, humile, quod lucrum, damnum, quod ſapiens, ſtultum, quod uita, mors, quod expetendum, fugiendum, & contrà, ut repente mutata rerum ſpecie, nihil minus eſſe iudices, quàm id quod eſſe uidebant. Ergo in uno CHRISTO, compendio ac uera repe

riuntur omnia bona, quorũ inanes ac mendaces imagines,& umbras,ceu præstigias,mundus hic ostendit, quas miserum mortalium uulgus tanto animi tumultu, tantis dispendijs, tantis periculis, per fas nefasq; persequitur. Quam obsecro beatitudinem cũ hoc animo conferre queas,qui iam liber sit ab errore,liber ab affectibus, securus semper gaudens ob testimonium conscientiæ,nulla de re sollicitus,altus,sublimis,ac cœlo proximus, iamq; supra sortem humanam, qui in CHRISTO excelsissima petra nixus,omnes huius seculi fucos,tumultus,procellas ex alto rideat, negligat, uel potius cõmiseretur? Quid autẽ timeat is, qui propugnatorem habet Deum? Ignominiam? At summa est gloria pro CHRISTO ignominiam pati. Paupertatem? At opum sarcinam lubens abijcit,quisquis ad CHRISTVM properat. Mortem? At ea maxime in uotis est,per quam scit sese ad immortalem uitam esse transmittẽdum. Qua de re sit solicitus, cuius pater cœlestis etiam pilos habet annumeratos? Quid autẽ cupiat is,qui in CHRISTO possidet omnia? Quid eñ non cõmune membris & capiti? Iam uero quanta est hominis non modo felicitas,uerumetiam dignitas, ui uum esse membrum sanctissimi corporis ecclesiæ, idẽ esse cum CHRISTO, eandem carnem,eundem spiritum, communem cum illo habere patrem in cœlis, CHRISTVM habere fratrem, ad communem cum

illo

illo hæreditatem destinatum esse, breuiter iam nō homi-
nem esse, sed Deum? Adde his gustum quendam felicitatis futuræ, quem piæ mentes subinde percipiūt. Hæc nimirum uiderat, hanc senserat propheta, cū ait: Nec auris audiuit, nec oculus uidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti Deus diligentibus te. Proinde charissimi sodales, si dabimus operā, ut uere CHRISTI membra simus, iuxta illud propheticum dictū, Iustus ut palma florebit, etiā in hac uita perpetua quadam adolescentia uernabimus, nō animo tantum, uerumetiam corpore. Etenim quemadmodum floridus ille IESV spiritus in nostrum spiritum redundabit, ita noster uicissim in suū corpus influet, & quoad fieri potest, in sese transformabit. Nec poterit tantus animi ac corporis nitor uestiū sordes ferre. Nam animus noster habitaculum est Dei, animi domiciliū est corpus, porrò uestis & ipsa corporis, q̄dammodo corpus est. Ita fiet, ut capitis puritati totus homo respondeat, donec peracta hac uita ad immortalitatē traducatur.

EPILOGVS.

Ágite igitur optimi commilitones, ad hanc tantam felicitatem, summis uiribus enitamur, ducem nostrum IESVM unum admiremur, quo maius nihil esse potest, imò sine quo nihil est omnino magnum. Hunc unū amemus, quo nihil esse melius potest, imò extra quem nihil est omnino bonum. Hunc imitemur, qui

solus

ſolus eſt uerũ & abſolutum pietatis exemplar, extra quẽ quiſquis ſapit, deſipit. Huic uni inhæreamus, hũc unum amplectamur, hoc uno fruamur, in quo eſt uera pax, gaudium, tranquillitas, uoluptas, uita, immortalitas. Quid multis? Summa bonorum eſt omnium. Extra hunc nihil ſuſpiciamus, nihil amemus, nihil appetamus, huic uni placere ſtudeamus. Meminerimus nos ſub illius oculis, & illius angelis teſtibus, quicquid agimus agere. Zelotypus eſt, nec ullas mundi ſordes patitur. Quare puram & angelicã in illo uiuamus uitam, ille ſit nobis in corde, in ore, in omni uita. Hunc penitus ſapiamus, hunc loquamur, hunc moribus exprimamus. In illo negotiũ, otium, gaudium, ſolatiũ, ſpem, præſidium omne collocemus. Hic à uigilantium animis nunquam diſcedat, hic dormiẽtibus occurſet. Hunc & literæ noſtræ & luſus etiam ſapiant, per hũc & in hoc creſcamus donec occurramus in uirum perfectum, & gnauiter obita militia, perpetuum cum illo triumphum agamus in cœlis. DIXI.

D. Eraſmi

SCRIPSIT ADOLESCENS.

VM mihi sint uni bona, quæ uel fron
dea tellus,
Vel olympus ingens continet:
Dicite mortales, quæ uos dementia
cepit,
Hæc aucupari ut undeuis
Malitis, quàm de proprio depoſcere fonte,
Adeo benigno, & obuio,
Mendaces cꝫ iuuet trepido miſeroćꝫ tumultu
Vmbras bonorum perſequi,
Pauci me, qui ſum ueræ largitor & autor
Felicitatis, expetant?
Forma rapit multos, me nil formoſius uſquam eſt,
Formam ardet hanc nemo tamen.
Suſpiciunt ceras, antiquaćꝫ ſtemmata multi,
At me quid eſt illuſtrius?
Vt qui ſim genitore Deo Deus ipſe profectus,
Genitrice natus uirgine.
Vnde fit, ut mecum uix geſtiat unus & alter,
Affinitatem iungere?
Maximus ille ego ſum cœlićꝫ ſolićꝫ monarcha,
Seruire nobis cur pudet?

Diues item,& facilis dare magna,& multa roganti,
Rogari amo,nemo rogat.
Sumq́,uocorq́ patris ſummi ſapientia, nemo
Me conſulit mortalium.
Ipſe ego ſum ætherei ſplendorq́ decusq́ parentis,
Me nemo ſtupet, aut ſuſpicit.
Sum firmus iuxta,ac iucundus amicus amico,
Me pariter,ac meas opes
Candidus,atq; lubens charis impertio, nemo hanc
Ambit neceſſitudinem.
Sum uia,qua ſola cœli itur ad aſtra,tamen me
Terit uiator infrequens.
Cur tandem ignarum dubitat mihi credere uulgus?
Æterna cum ſim ueritas.
Pollicitis cur ſtulte meis diffidere perſtas,
Cum ſit nihil fidelius?
Autor ad hæc uitæ cum ſim unicus ipſaq́ uita,
Cur ſordeo mortalibus?
Lux ego ſum,cur huc uertunt ſua lumina pauci?
Dux,cur grauantur inſequi?
Viuendi recte certiſſima regula ſolus,
Aliunde formas cur petunt?
Ipſe ego ſum ſolus uera, & ſine felle uoluptas,
Quid eſt quod ita faſtidior?
Vnica pax animi,quin huc deponitis ægri,
Curas edaces pectoris?

Si bene

Si benefacta truces etiam meminere leones,
Referuntq; beluæ uicem,
Respondere feri merito didicere dracones,
Si meminit officij canis,
Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,
Cur efferatior feris,
Meme non redamas homo, cui semel omnia feci,
Quem condidi, quem sanguine
Asserui proprio, propriæq; à morte recepi
Dispendio uitæ uolens?
Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus
Agnoscit altorem suum,
Cur me solus homo male gratus nosse recusas,
Et conditorem, & uindicem?
Vnus ego hic tibi sum cunctorum summa bonorũ,
Quid est quod extra me petas?
Quorsum distraheris per tot dispendia, grassans,
Laborioſa inertia?
Sum placabilis, & pronus misereſcere, quin hoc
Miser ad asylum confugis?
Idem iustus, & implacabilis ultor iniqui,
Cur non times offendere?
Corpus ego, atq; animum nutu sub tartara mitto,
Nostri metus uix ullum habet.
Proinde mei desertor homo, socordia si te
Adducet in mortem tua,

Præteritum nihil eſt, in me ne reiſce culpam,
Malorum es ipſe autor tibi.
Nam quid adhuc ſupereſt, ſi te neq; prouocat ardens
Suiq; prodiga charitas,
O bis marmoreum pectus, neq; mitigat unquam
Adeo profuſa benignitas.
Si neq; tantarum ſpes uel certiſſima rerum
Expergefacit, & allicit?
Si neq; tartareæ cohibet formido gehennæ,
Nec ullus admonet pudor?
Immo ſi durant magis hæc, adduntq; ſtuporem,
Tam multa, tamq; inſignia,
Vt facile immanesq; feras, chalybemq;, petramq;
Rigore uicto molliant,
Quid faciat pietas, quibus artibus abſtrahat ultro
Deuota morti pectora?
Inuitum ſeruare, nec eſt mentis (puto) ſanæ,
Et patria prohibet æquitas.

IMAGO PVERI IESV POSITA IN ludo literario, quem Londini inſtituit Coletus.

Diſcite me primum pueri, atq; effingite puris
Moribus, inde pias addite literulas.

CARMEN PHALECIVM.

Sedes hæc puero ſacra eſt IESV,
Formandis pueris dicata, quare
Edico,

Edico, procul hinc faceſſat, aut qui
Spurcis moribus, aut inerudita,
Ludum hunc inquinet eruditione.

CARMEN IAMBICVM.

Non inuenuſto antiquitas ænigmate
Studiŋ magiſtram, uirginem
Finxit Mineruam, ac literarum præſides
Finxit Camœnas uirgines.
Nunc ipſe uirgo matre natus uirgine,
Præſideo uirgineo gregi,
Et ſoſpitator huius, & cuſtos ſcholæ.
Adſunt miniſtri uirgines,
Pueros meos mecum tuentes angeli.
Mihi grata ubiqꝫ puritas,
Decetqꝫ ſtudia literarum puritas.
Procul ergo ſacro à limine,
Morum arceant mihi literatores luem,
Nihil huc recipiant barbarum.
Procul arceant illiteratas literas,
Nec regna polluant mea.

ALIVD.

Quin hunc ad puerum pueri concurritis omnes?
Vnus hic eſt uitæ regula, fonsqꝫ piæ.
Hunc qui non ſapiat, huius ſapientia ſtulta eſt,
Abſqꝫ hoc uita hominis mors (mihi crede) mera eſt.

SAPHICVM.

Cœperit fauſtis auibus precamur,
Semper augeſcens meliore fato,
Hic nouæ ſudor nouus officinæ,
Auſpice IESV.
Hic rudis (tanquam noua teſta) pubes
Literas graias, ſimul & latinas,
Et fidem ſacram, teneriſq; Chriſtum
Combibet annis.
Quid fuit læta ſobolem dediſſe
Corporis forma, niſi mens & ipſa
Rite fingatur, ſtudijſq; caſtis
Culta niteſcat?
Stirpe ab hac ſenſim noua pullulabit
Ciuium proles, pietate iuxta, ac
Literis pollens, breuiterq; regno,
Digna Britanno.
Ludus hic ſyluæ pariet futuræ
Semina, hinc diues nemus undiquaq;
Denſius ſurgens decorabit Anglum
Latius orbem.

EPITAPHIVM SCVRRVLAE temulenti, Scazon.

Pax ſit uiator, tacitus hos legas uerſus,
Vt ſacra uerba muſſitant ſacerdotes,
Ne mihi ſuauem ſtrepitus auferat ſomnum,

Repetatq;

Repetatq́ uigiles illico ſitis fauces.
Nam ſcurrula hocce ſterto conditus ſaxo.
Quondam ille magni clarus Euĭj myſtes,
Vt qui bis octo luſtra perbibi tota.
Oculis profundus déinde ſomnus obrepſit,
Vt fit, benigno membra cum madent Baccho.
Atq; ita peractis ſuauiter bonis annis,
Idem bibendi finis, atq; uiuendi
Fuit. Sed etiam me aliquis ebrium credat,
Aut ſomniare, qui iſta dormiens dicam.
Vale uiator, iam ſilenter abſcede.

FINIS.

MATRIMONII ENCOMIVM.

VANQVAM pro tua ſingulari ſapientia, ipſe abunde per te ſapis affinis iucundiſſime, nec alienis eges cõſiliĭs: tamẽ hoc uel ueteri noſtræ amicitiæ, quæ ab ipſis propè cunabulis unà cũ ætate nobis accreuit, uel tuis ſummis in me officĭjs, uel arctiſſimæ deniq; affinitati debere me putaui, ſi is eſſe uellem, quem tu me ſemper exiſtimaſti uirum & amicum, & gratum, ut id quod ad tuam tuorumq́; ſalutem ac dignitatem plurimum intereſſe iudicaſſem, te libenter ac libere admonerem. *Beneuolentiã captat.* *Attentio.*

Aliena:

Fides. Aliena nonnunquam rectius quàm noſtra perſpici-
mus. Tuum conſilium meis in rebus perſæpe ſum ſe-
cutus, neqꝫ minus felix mihi comperi, quàm erat ami-
cum. Nunc ſi uiciſſim in tuis meum ſequi uoles, futu-
rum arbitror, ut neqꝫ me ſuaſiſſe, neqꝫ te pœniteat pa-
ruiſſe. Cœnauit apud me ſexto Idus Apriles, cum in
uilla Mõtana eſſem, Antonius Baldus homo, ut ſcis,
tuarum rerum ſtudioſiſſimus, generiqꝫ tuo iam inde
ab initio coniunctiſſimus. Triſte plenumqꝫ lachryma
rum conuiuium. Nunciabat mihi magno utriuſqꝫ do
lore, matrem tuam, fœminã integerrimam, è uiuis con
ceſſiſſe: ſororem tuam luctu ac deſiderio uictam, ſteri-
litati dicatarũ uirginũ choro aſſcriptã eſſe: ad te unũ
ſpem ſtirpis tuæ rediſſe, amicos ſummo conſenſu tibi
puellam ſummo genere natam, forma præſtanti, opti
me moratam, poſtremo tui amãtiſſimam, ſumma cũ
dote obtuliſſe. Te uero neſcio qua ſeu doloris impotẽ
tia, ſeu religione, ita cœlibatũ decreuiſſe, ut nec generis
ſtudio, nec ſobolis amore, nec amicorũ ullis, aut moni
tis, aut precibus, aut lachrymis abduci poſſis à ſentẽtia.

Narratio habens inſparſa argutiarũ ſemina.

Semina argumentorum.

Propoſitio. Tu tamen uel me autore, mẽtem iſtam mutabis, &
cœlibatu relicto, ſterili ac parum humano uitæ inſtitu
to, ſanctiſſimo coniugio indulgebis.

Diuiſio, hoc eſt, limen argumentatiõis Qua in re neqꝫ tuorum charitatem, quæ tamẽ alio-
quin animum tuum uincere debebat: neqꝫ meam au-
toritatem quicquam mihi prodeſſe cupio, niſi clariſſi-

mis

mis rationibus ostendero: id fore tibi longe tum honestius, tum utilius, tum iucundius. Quid quod etiam hoc tempore necessarium?

Nam primum hac in re, si te honesti ratio mouet, quæ apud probos uiros plurimum ualere debet, quid matrimonio honestius, quod ipse Christus honestauit, qui nuptijs unà cum matre, non solum interesse dignatus est, uerumetiam nuptiale conuiuium miraculorum suorũ primitijs consecrauit? Quid sanctius, quod ipse rerũ parens instituit, adiunxit, sanctificauit: quod ipsa sanxit natura? Quid eo laudabilius, quod qui reprehendit, hæreseos damnetur? Tam est honorificũ matrimonium, quàm est infame uocabulum hæretici. Quid æquius, ꝙ id reddere posteris, quod ipsi à maioribus accepimus? Quid incõsideratius, quàm id sanctimoniæ studio, perinde ut prophanũ fugere, quod deus ipse totius sanctimoniæ fons ac parens sanctissimum haberi uoluit? Quid inhumanius, quàm hominem ab humanæ cõditionis legibus abhorrere? Quid ingratius, quàm id negare minoribus, quod ipse nisi à maioribus accepisses, ne esses quidem qui negare posses? Quod si matrimonij quærimus autorẽ, non à Lycurgo, non à Mose, non à Solone, sed ab ipso summo rerum omnium opifice cõditum & institutum est: ab eodem & laudatum, ab eodem honestatum consecratum ꝙ. Siquidem initio cũ hominem è limo finxisset,

Ab honesto primum ratiocinatur.

A laudabili.

Ab æquo. Rationes per contrarium.

Confirmationes cum laude ab origine rei

t miserã

Homo primũ cõditus, mox uxori iunctus

miseram prorsus & inamœnam eius uitam fore intellexit, nisi sociam Euam adiũgeret. Quare uxorem nó è luto illo quo uirum, sed ex Adæ cratibus eduxit, quò prorsus intelligeremus nihil nobis uxore charius esse debere, nihil coniunctius, nihil tenacius ad glutinatũ.

Post diluuium renouata matrimonij lex.

Idem ille post diluuium mortalium generi reconcilia/tus hanc primam legem prouulgasse legitur, non uti cœlibatum amplecterentur, sed ut crescerent, ut multiplicarentur, ut terrã implerent. At quo pacto, nisi coniugio darent operã? Et ne hic uel Mosaicæ legis libertatẽ, uel tempestatis illius necessitatẽ causemur, quid aliud sibi uult illud in Euangelicis quoq; literis repetitum comprobatumq; Christi suffragiũ? propter hoc inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Quid parentũ pietate sanctius? At huic tamen coniugalis præfertur fides. Quo autore? nempe deo. Quo tempore? non Iudaismi tantũ, sed Christianismi quoq;. Deseritur pater, deserit' mater, & adhæretur uxori. Filius emancipatus incipit sui iuris esse. Filius abdicatus desinit esse filius. At sola mors dirimit coniugium, si tamen illa dirimit. In his modo dirimitur, qui coniugium repetunt. Quàm diu perseuerat coniugalis affectus, nõ uidetur diremptum matrimonium.

Quod naturæ lege fuerit proditũ, euangelica cõprobauit autoritas.

A *pari.* Iam si cætera sacramenta, quibus ecclesia Christi potissimum nititur, religiosa quadam ueneratione coluntur, quis non uidet huic plurimum religionis deberi,

beri,quod & à deo,& primum omnium eſt inſtitutũ? Et cætera quidem in terris,hoc in paradiſo: cætera ad remedium,hoc ad conſortium felicitatis: cætera naturæ collapſæ ſunt adhibita, unum illud cõditæ datum eſt.Si leges à mortalibus inſtitutas ſanctas habemus, non erit coniugij lex ſanctiſſima,quam ab eodem accepimus,à quo & uitam, quæ una propè cum ipſo hominum genere nata eſt? *Ab impari.*

Denicꝙ ut legem exemplo confirmaret,adoleſcens, ut dictum eſt,ad nuptiale conuiuium uocatus,unà cũ matre libens adfuit:nec adfuit modo, uerumetiã prodigioſo munere honeſtauit, haud alibi miraculorum ſuorum initium auſpicatus. Cur igitur inquies, Chriſtus ipſe à coniugio abſtinuit? Quaſi uero non plurima ſint in Chriſto, quæ mirari potius quàm imitari debeamus,ſine patre natus, ſine parentis dolore proceſſit,clauſo monumento prodĳt. Quid in eo non ſupra naturam? Sint hæc illi propria.Nos intra naturæ legem uiuentes, ſuſpiciamus illa quæ ſupra naturam ſunt: quæ pro modulo noſtro ſunt æmulemur. Sed è uirgine naſci uoluit.E uirgine quidem, ſed coniugata. Virgo mater, deum decebat: coniugata, nobis quid eſſet agendum ſignificauit. Virginitas eam decebat, quæ cœleſtis afflatu numinis illibata pareret illibatũ. Sed Ioſeph ſponſus,nobis caſti coniugĳ leges cõmendat. Qui magis coniugalem ſocietatem potuit cõmen- *Confutatio.* *Altera confutatio.*

dare,quàm quod arcanam illam, & angelicis quoque mentibus ſtupendam,diuinæ naturæ cũ humano corpore animaq́ coniunctionem: quod ineffabilem illũ & æternum in eccleſiam ſuam amorem declarare uolens,ſe ſponſum illius, illam ſponſam ſuam appellat? Magnum,inquit Paulus,matrimoniq́ ſacramentũ eſt, in Chriſto,& in eccleſia. Si qua fuiſſet in rerum natura ſanctior copula:ſi quod fœdus religioſius, quàm coniugium,profecto ab eo ſumpta fuiſſet imago. Quid ſimile uſquam de cœlibatu legis in arcanis literis? Honorandum connubium, & thorus immaculatus prædicatur apud Paulum apoſtolũ: cœlibatus hic ne nominatur quidem,nec excuſatur,niſi penſatione maioris boni. Alioqui ſi quis naturæ legẽ ſecutus, det operam liberis,præferendus eſt illi, qui perſeueret in cœlibatu,non ob aliud,niſi ut ſibi liberius uiuat. Vere continentes ac uirgines laudatas legimus, cœlibatus ex ſe nullã habet laudem. Iam uero Moſaica lex ſterile con

In uita Annæ Ab impari.

iugium execratur,atq́ ob id à communibus aris quoſdam ſubmotos legimus. Quamobrem tandem? nempe ideo,quod tanquã inutiles,& ſibi duntaxat uiuentes,populũ nulla ſobole augerent. In Deuteronomio præcipuum benedictionis argumentum proponitur Iſraëlitis, quod nullus eſſet inter illos futurus ſterilis, nec mas, nec fœmina. Et Lya dicitur deſpecta à domino,quod non pareret. Quin & in Pſalmis inter præci-

puas

puas beatitudinis partes refertur, uxoris fœcunditas: Vxor, inquit, tua ſicut uitis abundans, filij tui ſicut no uellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Quod ſi lex da mnat ſterile matrimoniũ, cœlibes multo amplius da/ mnauit. Si natura pœnã non effugit, ne uoluntas qui/ dem effugiet. Si damnantur quorum uoluntati natu/ ra defuit, quid commerentur ij, qui ne operam quidẽ dederunt, ne ſteriles eſſent?

Laus coniugij a præmijs.

Hebræorum leges hoc honoris habebãt matrimo/ nio, ut qui ſponſam duxiſſet, eodem anno non cogere tur in bellum exire. Periclitatur ciuitas, niſi ſint qui eã armis tueantur. At certum exitium eſt, niſi ſint qui cõ/ iugij beneficio iuuentutem, ſemper mortalitate defi/ cientem ſufficiant. Quin & Romanæ leges eos qui cœ libes eſſent, damno etiam multabãt, à reipublicæ mu/ neribus ſecludebant. At qui liberis rempublicam au/ xiſſent, eis tanquam bene meritis præmium è publico ſtatuebant. Priſcæ leges pœnas conſtituerant aduer/ ſus cœlibes, quæ tametſi per Cõſtantinum Cæſarem temperatæ ſunt in fauorem Chriſtianæ religionis, ta/ men arguunt quàm non ſit è republica uel minui ciui tatem amore cœlibatus, uel ſpurijs impleri. Quin Cæ/ ſar Auguſtus cenſor inquiſiuit in militem, quod in du cenda uxore non paruiſſet legibus, & periclitabatur ni docuiſſet ſe trium liberorum parentem. Declarant & in hoc Cæſarum leges fauorem erga cõiugium, quod

A neceſsitate

indictas uiduitates à Miſcella inductas ſuſtulerũt, ac ſublatis pœnis huiuſmodi pacta tãquã præter æquũ & bonũ inita, pro irritis haberi uoluerũt. Adde quod Vlpianus declarat dotis cauſam ſemper & ubiq; præcipuam, quod haudquaquã fuiſſet, niſi præcipua quædam utilitas ex matrimonio reipublicæ proficiſceretᵉ. Habitus eſt honos coniugio, ſed maior fœcunditati: ſimul atq; contigiſſet nomen patris, hæreditatis & omnis legati atq; etiam caduci capax reddebatur. Id liquet etiam ex Poëta Satyrico: Per me ſcriberis hæres, Legatum omne capis, nec non & dulce caducum. Plus etiam cõmodorũ adferebat ius trium liberorũ, in his eſt immunitas à publicis legationibus. Quinq; porrò liberi uacationẽ impetrant à perſonalibus quoque muneribus, quod genus eſt tutela. Ei cui tredecim liberi contigiſſent, Iulianus Imperator non modo uacationem indulſit à decurionatu, ſed ſimpliciter ab omnibus muneribus. Nec ſilent huius tanti fauoris cauſas ſapientiſſimi legum conditores. Quid immortalitate felicius? Hanc natura negatam, matrimonium arte quatenus licet largitur reipublicæ. Cui nõ optabilis eſt apud poſteros memoria? hæc nullis fornicibus, nullis pyramidibus titulisue certius propagatᵉ, quàm liberorum procreatione. Apud Adrianum Imperatorem cauſam uicit Albinus, non alia commendatione, quàm quod reipublicæ dediſſet numeroſam ſobolẽ.

Proinde

Proinde diſpendio fiſci, paſſus eſt liberos in paterna bona in ſolidum ſuccedere, quod intelligeret imperiū magis fulciri propagatione iuuentutis, quàm pecuniarum acceſſione. Poſtremo cæteræ leges nec omnibus regionibus, nec quibuslibet temporibus cógruunt, ſola cóiugñ lex ad omnes orbis nationes, ad omne tempus pertinet. Lycurgus leges tulit, ut qui uxores nó ducerent, hi & æſtate arcerẽtur à ludis ac ſpectaculis, hyeme uero nudi forum circuirent, ac ſemetipſos execrati, iuſta pati dicerent, quod legibus non paruiſſent.

In ſumma, uis ſcire quantum matrimonio tribuerit antiquitas? uiolati matrimonñ pœnã perpende. Græci quondam uiolatum matrimonñ ius, decenni bello uindicandum cenſuerunt. Ad hæc, non Romanis modo, uerumetiã & Hebræis, & Barbaricis legibus, adulteris pœna capitalis ſtatuebatur. Furẽ quadrupli pœna abſoluebat, adulterñ ſcelus ſecuris expiabat. Apud Hebræos autem populi manibus lapidabatur, qui id uiolaſſet, ſine quo populus non eſſet. Nec hoc contenta legum ſeueritas, illud etiam permiſit, deprehenſum adulterum ſine iudicio, ſine legibus confodere: nimirũ id donans dolori maritali, quod grauate cõcedit uim à capite propellenti, quaſi lædat atrocius, qui coniugem adimat, quàm qui uitam. Profecto ſanctiſſimam quandam rem coniugium uideri neceſſe eſt, quod uiolatum humano ſanguine ſit expiandum: cuius

A pœnis.

Ab impari.

ius ultio nec leges,nec iudicem expectare cogit,quod ius nec in parricidio est.

Sed quid de scriptis legibus agimus? Naturæ hæc lex est,nõ in tabulis æreis exarata, sed animis nostris penitus insita:cui qui non paret, ne homo quidem sit existimandus,nedũ bonus ciuis. Nam si,ut Stoici homines acutissimi disputant,recte uiuere,est naturæ ductum sequi,quid tam naturæ consentaneum,q̃ matrimonium? Nihil enim tam à natura, non hominibus modo,uerumetiam reliquo etiam animantium generi insitum est,quàm ut suam quodq; speciem ab interitu uindicet,& propagatione posteritatis,tanquã immortalem efficiat. Quod sine coniugali coniunctione fieri non posse quis ignoret? Turpissimum autem uidetur, muta pecora naturæ parere legibus, homines Gigantum more naturæ bellum indicere. Cuius opus si oculis haud cæcutiẽtibus inspiciamus, intelligemus in omni rerum genere coniugij speciem quandam inesse uoluisse. Omitto enim iã de arboribus, in quibus Plinio autore cũ primis grãui adeo manifesto sexus discrimine coniugium inuenitur,præsertim in palmis, ut nisi marita arbor in fœminas circumstantes ramis incumbat, tanquam concubitum appetens, hæ planè steriles mãsuræ sint. Idem indicat autores esse,qui credant in omnibus quæ gignit tellus,inesse sexus & maris & fœminæ. Taceo de gemmis,in quibus sexum inueniri

A definitione

A natura.

A minore.

In arbore cõiugium.lib.13 cap.4

In gemmis.

ueniri ſcripſit idem autor, at nó ſolus. Nónne deus ita res cunctas uinculis quibuſdam cónexuit, ut aliæ alijs egere uideantur? Quid cœlum perpetuo motu uerſati le, nónne dum tellurem omnium parentem ſubiectã, uario rerum genere fœcũdat, uelut infuſo ſemine, mariti fungitur officio? Sed ſingula percurrere nimis longum arbitror. Quorſum autem hæc ſpectant? eò uidelicet, ut intelligamus coniugali ſocietate & conſtare, & contineri omnia: ſine ea diſſolui, interire, collabi cũcta. Fingunt ueteres illi ac ſapientiſſimi Poëtæ, quibus ſtudium fuit philoſophiæ præcepta fabularũ inuolucris tegere, Gigantes anguipedes terræ filios, extructis in cœlum mõtibus bellum ſuperis intuliſſe. Quid hæc ſibi uult fabula? Nimirum immanes quoſdam ac feros homines & obſcuros, à coniugali concordia uehementer abhorruiſſe, eoq; fulmine præcipitatos, hoc eſt, funditus interiſſe, cum id uitarent, quo ſolo conſtat humani generis incolumitas. At ijdem Orpheum Poëtam ac citharœdum ſaxa duriſſima cantu mouiſſe cõmemorant. Quid ſignificantes? Nempe uirum & ſapientem, & facundum, homines ſaxeos & ferarum ritu uiuentes, à uago cõcubitu prohibuiſſe, atq; ad matrimonij ſanctiſſimas leges adduxiſſe. Apparet igit', qui connubij amore non tangitur, eum non hominem, ſed ſaxum uideri, hoſtem naturæ, numini huius rebellem, ſuapte ſtultitia ſibi perniciem accerſere. Crudelior em̃

Coitus cœli & terræ.

Fabula & eius expoſitio

u eſt,

est,qui generi suo, quàm qui uni sibi molitur exitium.

Age uero, quandoquidem in fabulas minime fabulosas incidimus,idem Orpheus, cũ apud inferos Plutonem ipsum,manesq; permouit,ut Eurydicen suã liceret abducere: quid aliud Poëtas cogitasse putamus, quàm ut nobis coniugalem amorem commendarẽt, qui apud inferos quoq; sanctus, ac religiosus haberetur? Eodem pertinet, quod antiquitas cõiugio Iouem Gamelium præfecerit,Iunonem pronubam, Lucinã, quæ parturientibus adesset: superstitiose quidẽ errans in deorum nominibus,at non errans in hoc,quod matrimoniũ rem sacram,ac dignam quæ dñs curæ sit, iudicarit. Diuersi quidem apud diuersos populos ac nationes,ritus legesq; fuere. Nulla unquam gens tã fuit barbara,tam ab humanitate omni aliena , apud quã coniugiũ nomen non sanctum,non uenerandũ sit habitum.Hoc Thrax,hoc Sarmata,hoc Indus,hoc Græcus,hoc Latinus,hoc uel extremus orbis Britãnus,aut si qui sint his quoque semotiores , religiosum habuit. Quid ita? quia necesse est omnibus esse commune, quod communis hominum parens inseuit:& adeo penitus inseuit , ut huius rei sensus nõ solum ad turtures & columbas, uerumetiam ad immanissimas feras pertingat.Siquidem leones in uxorem mites sunt. Procatulis dimicant tigrides.Asinos per obstãtes ignes agit prolis tuendæ pietas.Atq; hoc sanè ius naturæ uocãt, ut

Ab autoritate & exemplis.

Pietas & in feris.

ut efficaciſſimũ, ita latiſſime patens. Vt igitur diligens cultor non eſt, qui præſentibus rebus contentus, arbores adultas ſatis quidem accurate tractat: cæterum neque propagandi, neq; inſerẽdi curam agit, propterea quod neceſſe eſt, paucis annis eos hortos quantumuis diligenter excultos interire, Ita parũ diligens in Rep. ciuis cenſendus, qui præſenti turba contentus, de propaganda ciuium multitudine non cogitat. Nemo igitur unquam egregius ciuis habitus eſt, qui non liberis gignendis, recteq; inſtituẽdis operam dederit. Apud Hebræos & Perſas laudi in primis erat, & plurimas habere uxores, tanquam ei patria plurimum deberet, qui eam numeroſiſſima ſobole locupletaſſet. *Simile.* *Hebræi.* *Perſæ.*

Num tu Abraham ipſo ſanctior uideri ſtudes? Is pater multarum gentiũ nõ eſſet appellatus, idq; deo auſpice, ſi uxoris contubernium refugiſſet. Num tu Iacob religioſior haberi quæris? Is Rachelis amplexus tam diuturna ſeruitute redimere nõ dubitauit. Num Solomone ſapientior? At quantum ille uxorum gregem domi aluit? Num Socrate caſtior, qui Xanthippen fœminam etiam moroſam domi pertuliſſe legit: non tam ut ille ſuo more iocabatur, quo domi diſceret tolerantiam, ſed ne in naturæ officio claudicaſſe uideretur? Intellexit enim uir unus, Apollinis oraculo ſapiens iudicatus, hac lege ſe genitum, ad hanc natum, hoc ſe debere naturæ. Nam ſi recte à ueteribus philo-

ſophis dictum eſt:ſi non temere à noſtris Theologis comprobatum:ſi merito, uelut adagionis uice ubique decantatum,neq; deum, neq; naturam quicquam fruſtra facere:cur hæc membra tribuit, cur hos ſtimulos, hanc gignẽdi uim addidit,ſi cœlibatus per ſe laudi ducitur? Si quis te magnifico munere donaret, arcu, ueſte,aut gladio,indignus accepto uideberis,ſi uti eo aut noles,aut neſcies. Cum cætera omnia tãta ratione ſint conſtituta,haud ueriſimile uideri debet, hac una in re

Confutatio. naturam dormitaſſe. Nec audio qui mihi dicat fœdã illam & obſcœnã pruriginem, & Veneris ſtimulos nõ à natura,ſed à peccato profectos. Quid tam diſſimile ueri? Quaſi uero matrimonium, cuius munus ſine his ſtimulis peragi nequit,non culpam præceſſerit. Iam in cæteris animantibus unde illi ſtimuli? à natura, an à peccato? Mirũ ni à natura. Nam in corporis affectionibus minimum intereſt inter hominẽ & reliquas animãtes. Poſtremo nos imaginatione fœdũ reddimus, quod ſuapte natura pulchrum ac ſanctum eſt. Alioqui ſi res non opinione uulgi, ſed ipſa natura uelimus expendere, qui minus fœdum brutorum animãtium more,edere,mandere,concoquere,excernere,dormire, quàm licita permiſſaq; Venere uti?

Confutatio. At uirtuti potius quàm naturæ parẽdum. Perinde quaſi uirtus ſit ulla dicenda, quæ cum natura pugnet: unde niſi proficiſcatur,ne eſſe quidem poterit,quæ cul

tu & disciplina perficiatur. Sed apostolorum te institutum delectat, qui & ipsi cœlibatū sunt secuti, & alios ad id uitæ genus sunt cohortati. Imitentur sanè apostolos uiri apostolici, quorum cum sit muneris & docere, & instituere plebem, non queunt simul & gregi, & uxori satisfacere. Quanquam & apostolis aliquot uxores fuisse constat. Episcopis cœlibatum concedamus. Quid tu apostolicum institutum sequeris, ab apostolico munere longe alieniſſimus, homo nimirū & prophanus, & priuatus? Illis hoc ueniæ datum est, ut uacent à coniugij munere, quo magis uacaret copiosiorē prolem Christo gignere. Sit istud sacerdotum ac monachorum priuilegium, quos apparet in Essenorum institutum succesſisse. Tui status alia ratio est. At ipse Christus, inquies, beatos pronunciauit, qui sese castrarunt, sed addit, ob regnum dei. Non reijcio autoritatem, sed sententiam interpretor. Primum arbitror hoc Christi dogma, ad ea tempora potiſſimum pertinere, quibus oportebat Ecclesiasten ab omnibus mundi negocijs quàm maxime expeditū esse. Cursitādum erat per omnes terras, imminebat undiq; persecutor. Nūc is est rerum ac temporum status, ut nusquā reperias minus inquinatam morum integritatem, quàm apud coniugatos. Exaggerent quantumlibet suum institutū monachorum ac uirginum examina: iactent quantū uolent ceremonias, cultusq; suos, quibus potiſſimum

Confutatio.

inter cæteros eminent: ſanctiſſimū uitæ genus eſt, pure, caſteq; ſeruatum coniugium, ſi mores utriuſq; ſtatus inter ſe conferas. Præterea nō is modo ſeſe caſtrat, qui uiuit cœlebs, ſed qui caſte, ſancteq; colit coniugij munus. Atque utinam uere caſtrati ſint, quicunq; ſuis uitijs magnificum caſtrationis prætexūt titulum, ſub umbra caſtitatis turpius libidinantes. Neq; enim mei pudoris eſſe puto, commemorare, in quæ dedecora ſæpe prolabantur, qui naturæ repugnant. Poſtremo ne præcipit quidem Chriſtus ulli cœlibatum, at idem diuortium palàm interdicit. Mihi ſanè uidetur, non peſſime conſulturus rebus ac moribus hominum, qui ſacerdotibus quoque ac monachis, ſi res ita ferat, ius indulgeat coniugij: præſertim cum ubiq; tam ingens ſit ſacerdotum turba, quorum quotuſquiſq; caſtam agit uitam? Quanto ſatius concubinas in uxores uertere, ut quas nunc habent cum infamia, cum irrequieta cōſcientia, habeāt palàm cum honeſta fama: ac liberos gignant, quos ut uere legitimos ament, ſancteq; inſtituant, quibus & ipſi pudendi non ſint, & uiciſſim ab illis cohoneſtentur. Atq; id, opinor, iam pridem procuraſſent epiſcoporum officiales, niſi prouentus ampli-

Confutatio. or eſſet ex concubinis, quàm ex uxoribus. Sed diuina quædam res eſt, angelica res eſt uirginitas. At humana quædam res eſt coniugiū. Ego nunc homo loquor homini, plebeius plebeio, infirmus infirmo. Laudāda quidem

quidem res eſt uirginitas, at ita, ſi non hæc laus ad ꝯ plurimos transferatur. Quã ſi uulgo uſurpare homines incipiant, quid uirginitate dici, cogitariúe poſſit exitialius? Tum ſi in cæteris maxime laudem mereat uirginitas, in te certe reprehenſione carere non poteſt, per quem ſtabit, quo minus optimum illud genus & immortalitate cũ primis dignum obliteretur. Poſtremo minimum abeſt à uirginitatis laude, qui ius illibatum coniugij ſeruat, qui uxorem gignendæ proli, non libidini habet. Si frater fratris ſine liberis defuncti ſemen excitare iubetur, tu uniuerſi tui generis ſpem interire ſines, præſertim cum ad te unum reciderit? Neque uero me clam eſt, magnis uoluminibus priſcorũ patrum decantatas uirginitatis laudes: quorum Hieronymus adeo miratur eam, ut non multum abſit à cõtumelia matrimonij, & ab epiſcopis orthodoxis ad palinodiam ſit inuitatus. Verum donetur hic ardor illis temporibus. Nunc optarim, ut iſti qui paſſim ſine delectu, ad cœlibatum ac uirginitatem adhortantur ætatem, quæ ſibi nondum eſt nota, hoc operæ colloca rent in deſcribenda imagine caſti puriq; matrimonij. Atqui his ipſis quibus tantopere placet uirginitas, nõ diſplicet bellum aduerſus Turcarum gentem, qui numero tot partibus nos ſuperant: quorũ ſi rectum eſt iudicium, conſequetur, ut in primis rectum & honeſtum habeatur, pro uirili liberis gignendis operã da-

Ex lege Moſaica.

Confutatio.

A conſequentibus.

re, &

re,& iuuentutẽ in belli uſum ſufficere. Niſi forte bombardas,tela, naues,ad hoc bellum apparandas putãt, uiris opus eſſe non putant. Idem probant ut ethnicorum parentes ferro trucidemus,quo liceat filios etiam inſcientes baptizare. Id ſi uerum eſt,quanto mitius eſt idem efficere coniugiorum officio? Nulla natio tam immanis eſt,quin execretur infanticidium. Principum leges pari propémodum ſeueritate puniunt prouocatum abortum, & accerſitam pharmacis ſterilitatem. Cur ita? Quia minimum intereſt inter eum,qui quod naſci cœperit,intercipit:& eum, qui procurat, ne quid naſci poſſit. Hoc quod in tuo corpore uel areſcit, uel magno etiam ſalutis periculo corrumpitur:quod in ſomnis elabitur,homo erat,ſi modo tu eſſes homo. Execrantur Hebræorum literæ,uirum,qui iuſſus congredi cum uxore fratris defuncti, ne quid naſceretur, proiecit ſemen in terram: & uita iudicatus eſt indignus,qui uitam inuidit naſcituro fœtui. At quantulum ab hoc differũt,qui ſibi perpetuam ſterilitatem indicunt? An non uidentur tot homines occidere, quot erant naſcituri,ſi liberis gignendis dediſſent operam? Quæſo, ſi cui ſit fundus ſoli natura feracis, quem incultum ſinat perpetuo ſterilem eſſe,nónne legibus pœnas daret,eò quod Reipub. interſit, ut ſuam quiſque rem bene tractet? Si punitur is,qui negligit agrum,qui ut maxime colatur,nihil aliud fert, quàm triticum, aut fabas, aut piſa:

A pari & impari.

A ſimili.

piſa:qua pœna dignus eſt,qui recuſat eum fundũ cole re,q cultus fert homines? Atq; illic diutino moleſtoq; labore eſt opus,hic breuem culturam etiam uoluptas ueluti paratum præmium inuitat. Quare ſi quid naturæ ſenſus,ſi honeſtum,ſi pietas,ſi religio,ſi officium, ſi uirtus te mouet,cur ab eo abhorres , quod deus inſtituit,natura ſanxit,ratio ſuadet , diuinæ pariter,& humanæ literæ laudant,leges iubent, omnium gentium cõſenſus approbat, ad quod optimi cuiuſq; exemplũ adhortatur. Quod ſi pleræq; res etiã acerbæ,uiro bono ſunt expetendæ,non alio nomine, quàm quod honeſtæ ſunt, matrimoniũ profecto multo maxime expetendum , de quo quis dubitare poſſit,plúsne habeat honeſtatis,an uoluptatis . Quid emẽ dulcius, quàm cum ea uiuere , cum qua ſis non beneuolentiæ modo, uerumetiam corporum mutua quadam communione arctiſſime copulatus? Si magnam quandam animi delectationem ex reliquorum neceſſariorum beneuolentia capimus,cum dulce in primis ſit habere , qui cum animi tui ſecretos affectus communices, qui cum perinde ut tecum loquaris, cuius fidei te tuto committas , qui tuas fortunas ſuas eſſe ducat: quid tu credis habere felicitatis mariti uxorisq; cõiunctionem , qua nulla poſſit in rerum natura inueniri,neq; maior,neq; firmior? Cum cæteris enim amicis animorum duntaxat beneuolentia coniungimur,cum uxore & ſumma charitate,

Epilogus ſuperiorum argumẽtationũ

A iucundo.

Rationes.

Confirmationes ex collatione.

BIBLIOTHEQUE DE L'ARSENAL

charitate,& corporum permixtione, & ſacramenti fœ dere,& fortunarum omniũ ſocietate copulamur? Præ terea in cæteris amicitijs quanta ſimulatio? quãta per/ fidia? Sed ij quos noſtri amantiſſimos exiſtimamus, ſicut hirũdines, exacta æſtate deuolant, ita fortuna re flante deficiunt. Nonnunquam recentior amicus uete rem eijcit. Paucos audiuimus, quorum fides uſque ad uitæ finem conſtiterit. Vxoria uero charitas non per/ fidia corrumpitur: nulla ſimulatione obſcuratur, nulla rerum mutatione conuellitur: deniq; ſola morte, imò ne morte quidem diſtrahitur. Illa parentum, illa ſoro/ rum, illa fratrum pietatem, tui amore cõtemnit: te unũ reſpicit, ex te pendet, tecum emori cupiat. Res eſt? ha/ bes quæ tueatur, habes quæ augeat. Non eſt? habes quæ quærat. Si res ſecũdæ ſint, duplicatur felicitas: ſin aduerſæ, erit quæ te conſoletur, quæ aſſideat, quæ inſer uiat, quæ tuum malum ſuum eſſe cupiat. An tu uolu/ ptatem ullam cum hac tanta coniunctione conferen/ dam cenſes? Si domi agis, adeſt quæ ſolitudinis tædi/ um depellat: ſi foris, eſt quæ diſcedentem oſculo proſe quatur, abſentem deſideret, redeuntem læta excipiat. Dulcis iuuentæ tuæ ſodalis, gratum ſenectutis ſolati/ um. Natura quidem homini dulcis eſt, uel quæuis ſo/ cietas: quippe quem ad beneuolentiam atq; amicitiã genuit. Hæc igit quomodo nõ erit dulciſſima, in qua nihil non commune eſt? Contrà autem, ſi feras quoq; ſolitudinem

ſolitudinem horrere, ſocietate delectari uidemus, mea ſententia, ne homo quidē ſit exiſtimandus, qui ab hac ſocietate omnium & honeſtiſſima, & iucundiſſima ab horreat. Quid enim eo homine odioſius, qui tanquā ſibi uni natus, ſibi uiuat, ſibi quærat, ſibi parcat, ſibi ſumptum faciat, neminem amet, ametur à nemine? An non iſtiuſmodi portētum dignū cenſebitur, quod cum Timone illo ex uniuerſo hominum cōtubernio in medium mare proīciatur? Neq; hic auſim illas tibi uoluptates proponere, quibus cū natura nihil uoluerit eſſe homini dulcius, neſcio tamen quo pacto à magnis ingenīs diſſimulantur potius, quàm contemnuntur. Quanquam quis adeo ſeuero, ne dicam ſtupido, ſit natus ingenio, qui eiuſmodi uoluptatum genere non capiatur: præſertim ſi citra numinis, aut hominis offenſam, citra famæ detrimentum poſſit cōtingere? Equidem eum non hominem, ſed planè ſaxum dixerim. Etiam ſi minima bonorum, quæ habet coniugium, pars eſt, ea corporum uoluptas. Sed fac te iſtam ut uiro indignam contemnere, quanquam ne uiri quidem uocabulum ſine his meremur: ponatur, ſi uis, inter extrema coniugij commoda: iam quid caſto amore eſſe poteſt amabilius, imò quid ſanctius atq; honeſtius? Accreſcit interim dulcis affinium turba. Duplicatur parentum, fratrum, ſororum, nepotum numerus. *Voluptas ab affinitate & liberis.*

Natura enim unam duntaxat matrem, unum pa-

trem tribuere poteſt Coniugio pater alter, altera ma/ ter accedit,qui te,ut cui ſua uiſcera commiſerint, ſingu lari pietate non proſequi non poſſunt. Iam uero quã/ ti illud æſtimabis,ubi pulcherrima cõiunx pulchra fa/ ciet te prole parentem? Vbi quis tibi paruulus aula lu ſerit Æneas, qui tuos, tuæq; coniugis uultus referat; qui te blanda balbutie patrem appellitet? Iam acceſſe rit coniugali charitati uinculum adamantinum, quod ne mors quidem ipſa queat abrumpere.

Felices,inquit Flaccus,ter & amplius, Quos irrupta tenet copula,nec malis Diuulſos querimonijs,Supre/ ma citius ſoluet amor die. Habes qui ſenectutem tuã oblectent,qui oculos claudant, qui iuſta perſoluãt, in quibus renatus uidearis,quibus ſuperſtitibus tu ne oc cidiſſe quidem puteris. Non abeunt ad alienos hære/ des,quæ tibi paraſti. Ita tãquam omnibus perfuncto uitæ munijs,ne mors quidem ipſa acerba uideri pote/ rit. Omnibus, uelimus nolimus, ſenectus imminet. Hac ratione natura proſpexit, ut in liberis ac nepoti/ bus repubeſcamus. Quis enim grauiter ferat ſenectu/ tem,ubi ſuos uultus,quos adoleſcens geſſit,in filio cõ/ ſpexerit? Mors omnibus parata eſt. At hac una uia, uelut immortalitatem quandã meditatur naturæ pro uidentia, dum ſic aliud ex alio propagat, ut ueluti cũ planta,arbore exciſa repullulat,nec interiſſe uideatur, qui prole relicta moritur. At minime me fugit, quid in/

ter

ter hæc obmurmures. Beata res est coniugiũ, si omnia secunda eueniant: sed quid si morosa contingat uxor? quid si impudica? quid si liberi impij proueniant? Occurrent animo tuo exempla eorum, quibus coniugiũ exitium attulerit. Exaggera quantum potes, sed tamẽ hominum ista uitia fuerint, non coniugij. Crede mihi, non solet nisi malis maritis mala uxor cõtingere. Adde quod tibi magna ex parte in manu est, ut bonam eligas. Quid si corrũpatur? A malo quidem marito, uxor bona corrumpi potest, à bono mala corrigi consueuit. Falsò uxores accusamus. Nemo, si quid mihi credis, unquam nisi suo uitio improbam uxorem habuit. Iam ex bonis parentibus, fermè similes nascũtur liberi. Quanquã & hi utcunq; nati, ferè tales euadunt, quales illos finxeris institutione. Iam uero non est q̃d zelotypiam metuas. Iste stulte animantium morbus est. Castus ac legitimus amor zelotypiã nescit. Quid tibi tragœdiæ in mentem ueniunt? Hæc maritũ adultera securi percussit, hæc ueneno sustulit, illa morum odio ad mortem adegit. Cur nõ potius Tiberij Gracchi Cornelia succurrit? Cur non Alcestis non optimi mariti coniunx optima? Cur non occurrit uel Iulia Pompeij, uel Catonis Portia? Cur non æterno nomine digna Artemisia? Cur non Hypsicratea Mithridatis Pontici regis uxor? Cur non Tertiæ Æmiliæ comitas in mentem uenit? Cur non Turiæ fides? Cur non

Refutatio incommodorũ matrimonij.

Zelotypia.

Lucretia, Lentulaq; ſuccurrit? Cur non Arria illa à Plinio celebrata? Cur non innumeræ aliæ, quarum & pudicitia, & fides in maritos, ne morte quidem potuit immutari. Rara, inquis, auis in terris, mulier proba. Et tu rara uxore dignum te finge. Mulier, inquit ſapiens ille, bona, pars bona. Aude tuis moribus dignam ſperare. Plurimum in hoc ſitum eſt, quã deligas: quomodo fingas, qualem ipſe te illi præbeas. Sed dulcior eſt,

Libertas. inquies, libertas. Quiſquis uxorem accipit, compedes accipit, quas ſola mors poſſit excutere. Quid autẽ dulce eſſe homini ſoli poſſit? Si dulcis eſt libertas, ſociam aſciſcendam cenſeo, qua cum bonum iſtud tibi commune eſſe uelis. Quanquã quid iſta ſeruitute liberius, ubi ita uterq; alteri obnoxius eſt, ut neuter manumiti uelit?

A ſimili. Aſtrictus es ei, quem in amicitiam recipis. At

Orbitas. hic nemo libertatem ademptam clamitat. At uereris, ne liberis morte abſumptis, orbus in luctum incidas. Si orbitatẽ times, ob id ipſum ducenda uxor eſt, quæ ſola hoc præſtare poteſt, ne ſimus orbi. Sed quid tu tam diligenter, imò anxie, omnia matrimonij incommoda diſquiris, quaſi cœlibatus nihil habeat incommodi? Quaſi uero ulla ſit uita mortalium, quæ non ſit omnibus fortunæ ſubiecta caſibus. E uita migret oportet, qui nihil incommodi ferre uelit. Quod ſi ad cœleſtem illam uitam reſpicias, mors hæc hominũ uita eſt, haud uita dicenda. Sin intra humanam conditionem

Violatio, βίαιον quo retorquetur argumentum.

animum

animum contineas, nihil est cõiugali uita neq; tutius, neq; tranquillius, neq; iucundius, neq; amabilius, neq; felicius. Ab exitu rem specta, quotũ quenq; uides, qui semel expertus coniugium, non auide repetat? Mauri cius meus, cuius eximia prudentia tibi nõ est incogni/ ta, nónne ab obitu coniugis, quam unice deamabat, altero mense duxit in thalamum nouam sponsam? Non adeo libidinis impatientia, sed negabat sibi uitã uideri uitam, absq; coniuge rerum omnium consorte. Iouius noster, nónne iam quartã ambit uxorem? Sic adamabat uiuas, ut nullam consolationem admissu/ rus uideretur. Sic una defuncta, ad sarciendam thala/ mi solitudinẽ properabat, quasi leuiter illas amasset. Sed quid nos de honesto ac iucundo disputamus, cũ non utilitas modo suadeat, uerum etiam necessitas ad coniugium impellat? Tolle matrimonium, perpaucis annis uniuersum hominũ genus funditus intereat ne/ cesse est. Xerxen illum Persarum regem, cum ex ædito loco ingentem illam, ac uix ulli creditam hominũ mul titudinem intueretur, lachrymas non tenuisse dicunt, quod ex tot hominũ milibus, post annos sexaginta, nullus omnino superfuturus esset. Cur quod ille de su/ is copijs intellexit, non etiam de uniuerso hominũ ge/ nere perspicimus? Sublato coniugio, quotus quisq; ex tot regionibus, puincijs, regnis, urbibus, cœtibus post centum annos supererit? Eamus nunc, & cœlibatũ mi/ remur.

Ab euentis.

Ab utili ac ne cessario.

remur,qui æternã sit generi nostro cladem allaturus. Quæ pestis,aut lues à superis,aut inferis immitti possit nocentior? Quid ab ullo diluuio timeri possit acerbius? Quid tristius expectetur,etiam si Phaëthonteũ redeat incendium? At ex huiusmodi quidem tempestatibus multa relinqui solent incolumia, ex cœlibatu nihil reliqui fieri potest. Videmus quantum morborum agmen,quot casuũ discrimina,noctes,diesq; hominum paucitati insidientur. Quot pestis absumit, quot absorbet mare,quot Mauors abripit? Taceo eñ de quotidianis mortibus. Circumuolat undiq; mors, ruit, rapit, properat quantum potest genus nostrum extinguere,& nos cœlibatum miramur,coniugium fugimus? Nisi forte placet Essenorum institutũ, aut Dulopolitarum, quorum gentem facinorosorum nũquã deficiens numerositas propagat. Num expectamus, ut Iupiter aliquis nos eodẽ munere donet, quod apibus tribuisse dicitur,ut sine concubitu fœtificemus, & posteritatis semina è flosculis ore legamus? An uero postulamus, ut sicut è Iouis cerebro Mineruam prognatam Poëtæ fabulantur,ita nobis è capite liberi exiliant? An deniq; ut iuxta ueterum fabulas, è terra ueluti mures in Ægypto,è saxis proiectis,quod est in fabulis, è duris arborum truncis homines producãtur? E terræ gremio permulta sine nostro cultu enascũtur. Plantulæ sub umbra matris sæpe pullulascunt: at ho-

Locus communis.

mini

mini hanc unam propagandi uiam natura esse uolu/
it,ut mutua mariti, uxorisq; opera mortalium genus
ab interitu uindicaretur. Quod si fugiãt tuo exemplo
mortales,ne ista quidem,quæ tu miraris,esse poterũt.
Cœlibatum miraris,suspicis uirginitatem? At nec cœ/
libes erunt, nec uirgines,si cõiugij usum sustuleris. Cur *Confutatio.*
igitur prælata est uirginitas,cur honorata, si exitiũ ad
fert mortalibus? Laudata est, sed pro tempore, sed in
paucis. Voluit enim deus hominibus cœlestis illius ui
tæ tanquam imaginem quandam & simulachrũ ostẽ/
di,ubi neq; nubent ullæ,neq; nuptum dabũt ulli. Sed
ad exemplum paucitas idonea est,multitudo inutilis.
Quemadmodum non omnes agri, quanquam fera/ *A simili.*
ces,ad usum uitæ serũtur:sed pars negligitur, pars ocu
lis pascendis colitur. At patitur hoc ipsa rerum copia,
in tanta aruorum amplitudine,exiguam partem steri
lem relinqui. Verum si nulli serantur, quis non uideat
nobis ad glandes fore redeundũ? Ita cœlibatus in tan
ta hominum multitudine, in paucis quidem laudem
habet, in omnibus summam reprehensionem habitu
rus. Iam si maxime in alijs sit uirtutis nomẽ habitura
uirginitas,in te certe uitiosa fuerit. Cæteri enim purita
ti studuisse uidebuntur:tu generis parricida iudicabe/
ris, quod cum honesto coniugio progagare potueris,
turpi cœlibatu passus sis interire. Liceat è numerosa
sobole uirginem deo cõsecrare. Rustici frugum primi/

tias ſuperis immolant,non uniuerſum prouentum: at te unum ſtirpis tuæ reliquias eſſe memineris oportet.

A pari. Nihil autem refert,utrum occidas, an ſeruare recuſes, qui à te uno ſeruari & poterat,& facile poterat. At ſororis exemplum te ad cœlibatum adhortatur. At iſta

βίαιον, Violatio. uel una re potiſſimum debebas à cœlibatu deterreri. Generis enim ſpem, quæ prius utriſque erat cómunis, nunc totam ad te unum reuolutam intelligis. Detur hæc uenia ſexui,detur ætati. Puella dolore uicta peccauit,ſtultarum mulierculârum, aut ſtultorũ monachorum impulſu ſeſe præcipitem dedit:tu maior natu,uirum te eſſe memineris neceſſe eſt. Illa maioribus ſuis commori uoluit,tu ne moriantur,operam dabis. Soror ſubduxit ſeſe officio,tu duorum tibi partes obeundas eſſe cogita. Nõ dubitarunt filiæ Loth cum patre temulento rem habere, ſatius eſſe iudicantes nefario etiam inceſtu generi conſulere,quàm pati interire. Tu matrimonio honeſto, ſancto, pudico, ſine offenſa, ſumma cum uoluptate, non conſules tuo generi alioquin intermorituro? Quare ſinamus eos Hippolyti inſtitutum imitari,ſectentur cœlibatum,uel qui mariti fieri poſſunt,patres non poſſunt:uel quorum tenuitas liberis educandis non ſuppeditat: uel quorum genus aliorum opera poſſit propagari, aut certe eiuſmodi eſt, ut magis Reip.conducat intermori quàm propagari: uel quos peculiaris quidam æterni numinis

Exemplũ cũ collatione.

Epilogus totius declamationis.

fauor,

fauor, è communi hominum sorte selectos cœlesti cui dam sanctioni destinauit, quorũ mira est raritas. Tu uero cum teste medico, uiro neq; imperito, & minime mendaci, magnam posteritatem promittere uidearis: patrimonium habeas amplissimum, genus autem tũ optimum, tum clarissimũ, ita ut obliterari sine nepha rio scelere, magnoq; Reip. detrimento non possit: tum adsit ætas integra, nec desit forma: offeratur uero con iunx puella, qua neq; integriorem, neq; illustriorẽ ullã uiderunt ciues tui, pudica, modesta, pia, facie diuina, cum dote amplissima: cum rogent amici, lachrymentẽ propinqui, instent affines, patria flagitet: ipsi maiorũ tuorum cineres è tumulis idipsum te obtestentur, tu tamen adhuc contaris, adhuc cœlibatum cogitas? Si qua res parum honesta abs te peteretur, si qua difficilis, tamen uel tuorum uota, uel generis charitas animum tuum expugnare debuerat. Quanto æquius est id amicorum lachrymas, patriæ pietatem, maiorum charitatem abs te obtinere, ad quod te diuinæ pariter & humanæ leges hortantur, natura instigat, ratio ducit, honestas allicit, tot commoda inuitant, necessitas etiam ipsa cogit? Sed iam argumentorum plus satis. Confido te iamdudum me monitore sententiam mutasse, animũq; ad salubriora consilia appulisse. Plurimum conducet in hoc suasorio genere longe omniũ utilissimo, diligenter exerceri. Dominatur enim ferè in

De exercitatiõe huius generis præceptio.

omnibus generibus. Primũ igitur cuiuſmodi ſit, quod perſuadere cupis, attente eſt conſiderandum. Deinde quæ ſunt in eo cõmoda omnia diligenter colligemus, & amplificabimus. Contrà uero ſi qua inſunt incommoda, quæq; illius animum poſſe deterrere uidentur, ea aut extenuabimus, aut remouebimus, excogitatis quamplurimis rationibus, & rationum cõfirmationibus, ac locupletationibus. Qui loci incident cõmunes, ad rem accommodãdi ſunt, uelut hic incidebat, omnibus rebus inſitam eſſe uim propagandi ſui. Item mille morbis, mille caſibus atteri genus humanum. Item quàm nihil in hac uita iucundum ſine conſorte. Item ſenectutem ac mortem tolerabiliorem fieri, paratis liberis. Poſtremo uero uidendum quibus argumentationum formis, aut quibus exornationibus ea quæ excogitata ſunt, quàm cõmodiſſime poſſint explicari.

ERASMVS ROTERODAMVS D. HENRICO AFINIO LYRANO, INSIGNI MEDICO S. D.

NVPER dum bibliothecam recenſeo doctiſſime AFINI, uenit in manus oratio quædam olim mihi nihil non experienti, in laudem artis medicæ declamata, continuo uiſum eſt orationem non optimam optimo dicare medico,

re medico,ut uel tui nominis lenocinio ſtudioſorũ cen turijs commendetur. Erit hoc interim mei in te animi qualecunq; documẽtum,donec dabitur aliud, noſtra neceſſitudine dignius. Bene uale, Louanij tertio Idus Mart. Anno milleſimo quingẽteſimo decimooctauo.

DECLAMATIO EIVSDEM IN LAVDEM ARTIS MEDICAE.

QVO ſæpius eſt ars medicinæ, medi/tatis atque elaboratis orationibus hoc ex loco, apud pleroſq; ueſtrum prædicata,idq; à uiris ſingulari facũdia prædítis, auditores celeberrimi, hoc mihi ſanè minus eſt fiduciæ,me uel tantæ rei,uel aurium ueſtrarũ expectationi ſatisfacturum. Neq; enim rem propè diuinam,noſtra facile *Attentio.* aſſequetur infantia, neq; uulgaris oratio de re toties audita,tædium poſſit effugere. Verum tamen ne ſalutari maiorum inſtituto uidear deeſſe,qui ſolenni encomio iuuẽtutis animos ad huius præclaræ ſcientiæ ſtudium,admirationem,amorem,excitandos,accendendos,inflammandosq; cenſuerunt,experiar & ipſe pro mea uirili (Siquidem me dicẽte adiutabit ueſtra tum attentio,tum humanitas, fauore candido proſequẽs, quem ad hoc muneris ueſtra adegit autoritas) medi/

cæ facultatis dignitatem,autoritatem,uſum,neceſſita/
tem,non dicam explicare, quod prorſus infiniti fuerit
negotij, ſed ſummatim modo perſtringere, ac ueluti
confertiſſimas locupletiſſimæ cuiuſpiam reginæ opes,
per tranſennam,ut aiunt, ſtudioſorum exhibere con/
ſpectibus. Cuius quidem ea uel præcipua laus eſt: pri/
mũ quod nullis omnino præconijs indiget,ipſa abun
de per ſe uel utilitate,uel neceſſitate commẽdata mor/
talibus, Deinde quod toties iam à tam præclaris inge
nijs prædicata,ſemper tamen nouam laudum ſuarum
materiam ingenijs etiam parum fœcundis ex ſeſe ſup
Laus per com peditat,ut nihil neceſſe ſit eam uulgato more inuidio/
parationem. ſis illis contentionibus,non ſine cæterarum diſciplina/
rum contumelia deprædicare. Quin illud magis me/
tuendum, ne domeſticas illius dotes, ne germanã ac
natiuam amplitudinem, ne maieſtatem humana con
ditione maiorem,mortalis oratio nõ aſſequatur. Tan
tum abeſt,ut uel aliena contumelia,uel aſcititijs Rhe/
torum fucis, aut amplificationum præſtigijs ſit attollẽ
da. Mediocrium eſt formarum, deformiorum compa
ratione,aut cultus lenocinijs commendari. Res per ſe
Fides. uereq; præclaras, ſatis eſt uel nudas oculis oſtendiſſe.
Iam primum enim (ut ad rem feſtinemus) reliquæ ar/
tes,quoniam nulla non magnam aliquam uitæ cõmo
ditatem attulit,ſummo quidem in pretio fuere,uerum
medicinæ quondã tam admirabilis fuit humano ge/

neri

neri inuentio, tam dulcis experientia, ut eius autores, aut planè pro dijs habiti sint, uelut Apollo, & huius filius Æsculapius. Sic enim refert Plinius, singula quosdam inuenta deorum numero addiderũt, aut certe diuinis honoribus digni sint existimati, uelut Asclepiades, quem Illyrici numinis instar receptum, Herculi in honoribus æquarunt. Non quidem probo quod fecit antiquitas, affectum sanè ac iudicium laudo, quippe quæ recte & senserit, & declararit, docto fidoq; medico nullum satis dignũ præmium persolui posse. Etenim si quis secum reputet, quàm multiplex in corporibus humanis diuersitas, quanta ex ætatibus, sexu, regionibus, cœlo, educatione, studijs, usu uarietas, quàm infinita in tot milibus herbarum (ne quid interim dicam de cæteris remedijs) quæ alibi aliæ nascuntur discrimina, tum quot sint morborum genera, quæ trecẽta nominatim fuisse prodita scribit Plinius, exceptis generum partibus, quarum omnium quàm nullus sit numerus, facile perpendet, qui tantum norit quot formas in se febris uocabulum complectatur, ut ex uno cætera æstimentur, exceptis his, qui quotidie noui accrescunt, neq; secus accrescũt, quasi de composito cum arte nostra bellum suscepisse uideantur, Exceptis uenenorum plus mille periculis, quorũ quot species sunt, tot sunt mortis genera, totidem remediorum differẽtias flagitantia, Exceptis casibus quotidianis, lapsuũ, ruinarum,

Laus ab origine.

A difficultate

ruinarum,ruptionum,aduſtionum,luxationum, uul/
nerum,atq; his cõſimilium,quæ propè cum ipſo mor
borum agmine ex æquo certant. Deniq; qui cogitet,
quanta ſit in corporum cœleſtium obſeruatione diffi/
cultas, quæ niſi cognoris, ſæpenumero uenenum erit,
quod in remedium datur. Ne quid interim cõmemo/
rem,ſæpe fallaces morborum notas,ſiue coloris habi/
tum ſpectes,ſiue lotij ſigna rimeris,ſiue pulſus harmo
niam obſerues,uelut hoc agentibus malis, ut hoſtem
medicum fallant,& imponant. Tantum undique ſeſe
effundit difficultatum, ut mihi difficile ſit omnes uel
oratione proſequi. Sed ut dicere cœperam,has omnes
rerum uarietates ſtudio perſequi, obſcuritates inge/
nio aſſequi,difficultates induſtria peruincere,ac pene/
tratis terræ fibris, excuſſis undiq; totius naturæ arca/
nis,ex omnibus herbis,fruticibus,arboribus,anima/
tibus,gemmis,ex ipſis deniq; uenenis, cunctis huma/
næ uitæ malis,efficacia quærere remedia, atq; horum
opportunum uſum, ex tot autoribus, tot diſciplinis,
imò & ab iſtis ſideribus petere,hæc,inquam,tam abdi
ta rimari cura,tam ardua uiribus animi adipiſci, tam
multa memoria complecti,tam neceſſaria ad ſalutem
uniuerſi mortalium generis in cõmune proferre, nón/
ne prorſus homine maius ac planè diuinum quiddã
fuiſſe uidetur? Abſit inuidia uerbis. Liceat id quod ue
ro uerius eſt ingenue prædicare. Non me iacto,ſed ar/

tem

tem ipsam effero. Etenim si dare uitam proprium dei munus est, certe datam tueri, iamq; fugientem retinere, deo proximum fateamur oportet. Quanquam ne prius quidem illud, quod nos soli deo proprium esse uolumus, medicorum arti detraxit antiquitas, ut credula, ita gratissima. Nam Æsculapiũ quidẽ ope Tyndaridam, & post eum complures ab Orco in lucem redisse credidit. Asclepiades hominem exanimatũ, elatum, comploratum q; ab rogo domum uiuum reduxisse legitur. Xanthus historicus catulum leonis occisum, præterea & hominem, quem draco occiderat, uitæ redditum fuisse posteris prodidit, herba quam halin nominant. Ad hæc Iuba in Africa quendam herba reuocatũ ad uitam testis est. Neq; uero laborauerim, si sint apud quos hæc fide careant, Certe (quod agimus) admirationem artis tanto magis implent, quanto magis supra fidem ueri sunt, & immensum esse fateri cogunt, id quod uero superst. Quanquam quantũ ad eum attinet, qui uitæ redditur, quid refert, utrũ anima denuo in artus relictos diuinitus reponat, an penitus in corpore sepulta, morbiq; uictoris oppressa uiribus, arte curaq; medici suscitet atq; eliciat, iamq; certo migratura retineatur? An non penè paria sunt, mortuum restituere, & mox moriturum seruare? Atqui permultos nominatim recenset Plinius libro historiæ mũdanæ septimo, qui iam elati partim in ipso

A simili.

rogo,partim post dies compluſculos reuixerint. Mira culum eſt,quod paucis dedit caſus. Et non magis mi/randũ,quod quotidie multis largitur ars noſtra? Etiã ſi hanc deo Opt.Max. debemus, cui nihil non debe/mus,ne quis hæc à me putet arrogantius dicta quàm uerius. Compluriũ morborũ ea uis eſt, ut certa mors ſint,niſi præſens adſit medicus, ueluti ſtupor is, q̃ mu/lieribus potiſſimum ſolet accidere,ueluti ſyncopis pro funda,paralyſis,apoplexia. Neq; deſunt ulli uel ſecu/lo,uel genti ſua in hanc rem exempla. Hic qui mortẽ ingruentem arte ſua depellit, qui uitam ſubito oppreſ ſam reuocat, nónne ceu numẽ quoddam dextrum ac propitium ſemper habendus eſt? Quot cenſes homi/nes ante diem ſepultos fuiſſe,priuſquàm medicorum ſolertia, morborum uires & remediorum naturas de/prehenderat? Quot hodie mortalium milia uiuunt ualentq;, qui ne nati quidẽ eſſent,niſi eadem hæc ars, & tot naſcendi diſcriminibus remedia, & obſtetrican/di rationem reperiſſet? Adeò ſtatim in ipſo uitæ limi ne, & pariens ſimul & naſcens ſalutarem medicorum opem miſerabili uoce implorat. Horũ arti uitam de/bet,& qui nondum uitam accepit, dum per eam pro/hibentur aborſus,dum mulieri ſeminis recipiendi reti/nendiq; uis confertur, dum pariendi facultas datur. Quod ſi uere dictum eſt illud: Deus eſt iuuare morta lem,profecto mea ſententia, aut nuſquam locum ha/

bebit

bebit illud nobile Græcorum adagium: ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, aut in medico fido probóq; locũ habebit, qui non iuuat modo, uerumetiam seruat. An non igitur ingratitudine ipsa uideat' ingratior, ac ipsa propè uita indignus, qui medicinam alteram secundũ deum uitæ parentem, tutricem, seruatricem, uindicem, non amet, non honoret, non suspiciat, non ueneretur? Cuius præsidijs nunquam ulli non est opus. Nam reliquis quidẽ artibus, nec semper, nec omnes egemus. Huius utilitate mortalium omnis uita constat. Nam fac abesse morbos, fac omnibus prosperam adesse ualetudinem, tamen hanc qui poterimus tueri, nisi medicus ciborum salutarium ac noxiorum discrimẽ, nisi totius uictus, quam Græci diætam uocant, rationem doceat? Graue mortalibus est onus senecta, quam nihilo magis licet effugere, quàm mortem ipsam. Atq; ea medicorum opera multis contingit, tum serius, tũ multo etiam leuior. Neq; enim fabula est quinta, quã uocant, essentia, senio depulso hominẽ uelut abiecto exuuio reiuuenescere, cum extent aliquot huius rei testes. Neq; uero par est, ut artẽ improbemus, quod huius professione quidam imponunt incautis. Iam non corporis tantum, quæ uilior hominis pars est, curã gerit, imò totius hominis curam agit, etiam si Theologus ab animo, medicus à corpore sumit initiũ. Siquidem propter arctissimam amborũ inter se cognatio-

Præseruatius

nem & copulam, ut animi uitia redundant in corpus ita uicissim corporis morbi animæ uigorem, aut impediunt, aut etiam extinguunt. Quis æque pertinax suasor abstinentiæ, sobrietatis, moderandæ iræ, fugiendæ tristitiæ, uitandæ crapulæ, amoris abiiciendi, temperandæ ueneris, atq; medicus? Quis efficacius suadet ægroto, ut si uiuere uelit, & salutarẽ experiri medici opem, prius animum à uitiorum colluuie repurget? Idẽ quoties uel diætetica ratione, uel ope pharmaceutica bilẽ atram minuit, labantes cordis uires reficit, cerebri spiritus fulcit, mentis organa purgat, ingenium emendat, memoriæ domicilium sarcit, totumq; animi habitum commutat in melius, nónne per exteriorem, ut uocãt, hominem, & interiorem seruat? Qui phreneticum, lethargicum, maniacum, sideratum, lymphatum restituit, nónne totum restituit hominẽ? Theologus efficit, ut homines à uitijs resipiscant: at medicus efficit, ut sit qui possit resipiscere. Frustra ille medicus sit animæ, si iam fugerit anima, cui paratur antidotus. Cũ impiũ hominem subito corripit paralysis, apoplexia, aut alia quædam præsentanea pestis, quæ uitã prius adimat, quàm uacet de castiganda cogitare uita, hunc qui restituit, alioquin infeliciter in suis sceleribus sepeliendum, nónne quodammodo tum corpus, tum animũ ab inferis reuocat? In eum certe locum reponit hominem, ut ei in manu iam sit, si uelit, æternam mortem fugere.

Quid

Quid ſuadebit lethargico Theologus, qui ſuadẽtem nõ audiat? Quid mouebit phreneticum, niſi medicus prius atram bilem repurgarit? Pietas cæteræq; uirtutes, quibus Chriſtiana conſtat felicitas, ab animo potiſſimum pendent, haud inficior. Cæterum quoniam is corpori illigatus, corporeis organis uelit nolit utit̃, fit ut bona pars bonæ mentis à corporis habitu pendeat. Permultos homines infelix corporis temperatura, quam Græci modo κρᾶσιν, modo σύσκμα uocant, uelut inuitos ac reclamantes, ad peccãdum pertrahit, dum animus inſeſſor fruſtra moderatur habenas, fruſtra ſubdit calcaria, ſed equum ferocientem in præcipitium ſequi cogitur. Animus uidet, animus audit, ſed ſi oculos occuparit glaucoma, ſi aurium meatus craſſus humor obſederit, fruſtra uim ſuam habet animus. Odit animus, iraſcitur animus, ſed plerunque uitioſus humor mentis organa obſidens in cauſa eſt, ut oderis quem amore dignum iudices, iraſcaris cui nolis iraſci. Philoſophiæ ſummã in hoc ſitam eſſe fatetur Plato, ſi rationi pareant affectus: atq; ad eam rem præcipuus eſt adiutor medicus, hoc agens, ut ea pars hominis uigeat ſapiatq;, cuius arbitrio geruntur, quæcunq; cum laude geruntur. Si hominis uocabulo cenſentur indigni, qui pecudum ritu rapiũtur cupiditatibus, huius nominis dignitatem bona ex parte debemus medicis. Id cum maximum ſit in ſingulis ac priuatis, quã-

to præclarius est beneficium, cum id præstatur in prin cipe? Nulla fortuna magis est obnoxia malis huiusmodi, quàm feliciſſimorum regum. Quos autem rerum tumultus ciet unius homũculi uitiatum cerebrũ? Fruſtra reclament qui ſunt à conſilijs, furis ô princeps, ad te redi, ni medicus arte ſua neq; uolẽti, neq; ſentienti ſuam mentem reddiderit. Si Caligulæ fidus adfuiſſet medicus, non uſq; ad pugionum ac uenenorũ ſcrinia in perniciem humani generis inſaniſſet. Atque ob eam ſanè cauſam publica conſuetudine receptum eſt apud omneis orbis nationes, ne princeps uſquã gentium agat abſque medicis. Proinde cordati principes nulli unquam arti plus honoris habuerunt, quàm medicinæ. Quandoquidem Eraſiſtratus (ut reliquos taceam) Ariſtotelis ex filia nepos, ob Antiochum regẽ ſanatum centum talentis donatus eſt à Ptolemæo huius filio. Quin & diuinæ literæ iubent medico ſuũ haberi honorem, non tantum ob utilitatem, uerumetiã ob neceſſitatem, ut in cæteros benemeritos ingratitudo ſit, ſi quis non agnoſcat beneficium, in medicũ impietas: quippe qui tanquam beneficij diuini adiutor, id arte ſua tuetur, quod optimum nobis & chariſſimum largitus eſt deus, uidelicet uitam. Parentibus nihil non debemus, quod per hos uitæ munus accepiſſe quodammodo uidemur. Plus mea ſententia debetur medico, cui toties debemus, quod parẽtibus ſemel dũtaxat

taxat debemus,si tamen illis debemus. Pietatem debemus his,qui hostem à ceruicibus depulit:& medico non magis debemus,qui pro nobis seruandis cum tot capitalibus uitæ hostibus quotidie depugnat? Reges ceu deos suspicimus, quia uitæ necisq; ius habere creduntur,qui tamen ut possint occidere, certe uitam nō aliter dare possunt,nisi quatenus non eripiunt, quemadmodum seruare dicuntur latrones,si quem non iugulent,nec aliam tamen uitā dare possunt, quàm corporis. At quanto propius ad diuinam benignitatem accedit medici beneficium,hominem iam inferis destinatū,arte,ingenio,cura, fideq; sua, uelut ex ipsis mortis faucibus retrahentis? Alijs in rebus profuisse sit officium,cæterum in certo corporis animiq; periculo seruasse, plusquàm pietas est. Adde his quod quicquid in homine magnū est, eruditio, uirtus, naturæ dotes, aut si quid aliud, id omne medicorum arti acceptū feramus oportet,quatenus id seruat,sine quo ne reliqua quidem queant subsistere. Si omnia propter hominē, & hominem ipsum seruat medicus, nimirum omniū nomine gratia debetur medico. Si non uiuit,qui uiuit morbis obnoxius, & uitam salubrē aut reddit,aut tuetur medicus,an non conuenit hunc ceu uitæ parentem agnoscere? Si res exoptanda est immortalitas, hanc medicorum industria quoad licet meditatur, quæ uitam in longum prorogat. Quid enim hic notissima re

feram

Exempla. feram exempla, Pythagoram, Chrysippum, Platonẽ, Catonem Censorium, Antonium Castorem, cumq; his innumerabiles, quorum plericq; medicinæ obseruatione, uitam ab omni morbo liberam, neq; fatiscente ingenij uigore, neq; concussa memoriæ soliditate, neque fractis aut labefactatis sensibus, ultra centesimum annum prorogarunt? An nõ isthuc est immortalitatis quam speramus, hic iam nunc imaginem quandã exhibere? Christus ipse immortalitatis autor ac uindex unicus, corpus assumpsit: mortale quidẽ illud, sed tamen nullis morbis obnoxium. Crucem nõ horruit, morbos horruit. An non pulcherrimum fuerit, nos principem nostrũ in hoc quoq; pro uiribus imitari? Apostolos, quorum nemo ferè non multam uixit ætatem, cæsos legimus, interfectos legimus, ægrotasse nõ legimus. Quocunq; pacto hoc illis contigit, certe præstat idem ars medicorum, quod illis præstitit sua felicitas. Nec enim audiendos arbitror, qui nobis non minus indocte, quàm impudenter solent illud obijcere: Virtus in infirmitate perficitur, somniantes Paulum graui capitis dolori fuisse obnoxium, cum ille infirmitatem, uel animi tentationem, uel quod uero propius est, improborum hominum molestam infectationẽ appellet. Atq; idem ille Paulus, inter apostolicas dotes donum curationis recensuit. Iam auget & illud nõ leui argumento medicinæ gloriam, quod & Cæsarea-

rum

rũm legum maiestas, & pontificiarum autoritas sese ultro medicorũ iudicio submittit, uelut in quæstionibus pubertatum, partuum ac ueneficiorum. Item in quæstionibus aliquot ad matrimonium faciẽtibus. O noua dignitas medicinæ. Agitur de capite hominis, & iudicis sententia pendet ex medici præiudicio. Summi pontificis pietas, si quid indulget in nonnullis, non aliter indulget, nisi medicorum accedat calculus. Atq; in decretis Romanus pontifex, episcopũ eum qui delatus fuerat, tanquam fœdo immaniq; morbo obnoxius, ex medicæ rei iudicio censet aut amouendum dignitate, aut suo loco restituendum. Diuus autem Augustinus ex medicorum cõsilio fieri iubet quod faciendum est, etiamsi nolit ægrotus. Idem honorem medico debitum, hoc est artis & industriæ præmium, recte eripi scribit ab eo qui detinet, uelut ab iniusto possessore, & quod alienum est mala fide occupante. Quin ñ quoq; qui conceptis precaminibus, dæmones impios è corporibus humanis exigunt, medicos non raro in consilium adhibent, uelut in his morbis, qui secretis rationibus, quædam sensuũ organa spiritusq; uitiãt, & adeo dæmoniacam speciem imitantur, ut nisi à medicæ rei peritissimis discerni nó queant, siue sunt crassiores aliqui dæmones, ut fertur illorum uaria natura, qui medicam etiam opem sentiant, siue morbus adeo penitus intimis animi recessibus insidet, ut à corpore

uideatur alienus. In cuius rei fidem dum ex innume/ris mihi compertũ exemplum refero, quæso ut me pa/tienter audiatis. Panaceum celeberrimi nominis medi cum adolescens colui, is me teste quẽdam restituit, no/mine Phlyarium, patria Spoletanum, qui ex uermi/bus in nouum maniæ genus inciderat, ita ut in mor/bo probe teutonice loqueretur, quod (uti constabat) sanus nunquã potuerat. Quis imperitus rei medicæ, non hunc dæmoniacum uel deieraſſet etiam? At is hominẽ facili paratoq; remedio menti reddidit. Red/ditus sibi teutonice nec loquebatur, nec intelligebat. Quod si quis hunc uere dæmoniacum fuisse conten/dat, ea sanè res uel maxime medicorum illustrat artẽ, cui compertum est & dæmones impios parêre, quem admodum in restituenda uita, ita & in exigendis spiri tibus diuinæ uirtutis tum ministræ, tum æmulæ. Ne/que uero deerant, qui factum hoc magicis artibus tri/buebant, quorum ego calumniam, arti nostræ gloriæ laudiq; uerto, per quam ea præstãtur, quæ uulgus ho minum humanis uiribus præstari posse non credit. Optimo igitur iure, priscis seculis, cum nondum sordi/di quæstus & spurcæ uoluptates uitiassent omnia, me dendi ars inter omnes una, diuinis ac summatibus ui/ris, opulentissimis regibus, clarissimis senatoribus præ cipue cordi fuit, nec alia mortalium generi gratior. Si/quidem Moses ille magnus, nõ alia ratione, quàm ar/

tis

cis medicæ, cibos suos distinxisse creditur. Orpheus Græcorum uetustissimus, de uiribus herbarum non/ nulla prodidisse legitur. Homerus ipse, citra cõtrouer/ siam unicus ingeniorum fons, plurimus est, & in her/ barum commemoratione, & in laude medicorum. Is & Moly nobis depinxit, herbarum omnium, teste Pli nio, laudatissimam, efficacem aduersus ueneficia. Cu/ ius inuentionem Mercurio tribuit, hac Vlyssem suum aduersus Circes pocula præmuniens. Idẽ Nepenthes indicat in conuiuijs adhibendum, quod mœrorem tri stitiamq; discutiat. Porrò Machaonem, Pæonẽ, Chi/ ronem, Podalirium, ut hac arte præstãtes, sæpicule nõ sine honore commemorat, quorum arte non solũ he/ roibus, uerum ipsis etiam dijs subuentum esse fingit, Illud uidelicet subindicans, summis etiã principibus medicorum præsidijs opus esse, atq; horũ uitam me/ dicis in manu esse, qui in cæteros omneis ius uitæ ac necis habere uidentur. Quid quod idem Poëta, libro Iliados undecimo huius artis professionem longe pul cherrimo nobilitauit elogio? cum ait: Vnum medicũ pluris habendum, quàm cæterorum hominũ permul tos. Rursum alibi medicum ita notat, ut dicat eũ eru/ ditum in omnibus, palàm testans id quod res est, hãc artem non una aut altera disciplina, sed omnium ar/ tium cognitione circuloq;, tum præter exactum iudi/ cium, multo etiam rerum usu constare. Pythagoras il

le Samius, cui diuinitatem quandam tribuebat anti/
quitas, de naturis herbarum nobile uolumen reliquis/
se legitur. Atq; ut Platonem, Aristotelem, Theophra/
stum, Chrysippum, Catonem Censorium, Varronẽ
prætream, quibus studio fuit, hanc artem suis uel stu
diis, uel negocijs admiscere, Mithridatem Ponti regẽ,
nõ perinde regnum alioqui locupletissimum, nõ tam
unius & uiginti linguarum miraculum, quàm rei me/
dicæ peritia nobilitauit, uereq; magnum uirum decla
rauit, qui artis huius commentationes, & exemplaria,
effectusq; in arcanis reliquit, ut autor est Plinius. Cu/
ius & hodie nobile Theriacæ genus nomine celebra/
tur. Nunc ferè regium habetur, aleam ludere, uenari,
nugas agere. At olim populi Romani principibus ni
hil magis erat curæ, quàm ut ex longinquo nouis im/
portandis herbis rem medicam adiuuarent, neq; po/
pulo illi tum orbis domino nõ aliud erat munus gra/
tius. Quid quod Christus ipse disciplinarum omniũ
& autor, & princeps sese non Iureconsultum, non Rhe
torem, nõ Philosophum, sed Medicum professus est,
dum de se loquens negat opus esse medico ijs, qui be/
ne habeant, dum Samaritanus uulneribus oleum ac
uinum infundit, dum sputum terræ mixtũ illinit ocu/
lis cæci. Quid quod idem, hac potissimum commẽda/
tione, cum adhuc orbi esset ignotus, sese paulatim in
animos atq; affectus hominum insinuauit? Non au/
ro, non

ro,non imperijs, sed morborum remedijs. Quod ille nutu fecit,nempe deus, hoc medicus pro uirili sua,cura imitatur. Neq; deest his quoq; diuina uis,nimirum medẽdi uiribus in hũc usum rebus à deo inditis. Nec alio uiatico magis instruxit apostolos, mandans, ut hoc protinus officio sibi deuincirent hospitem,medẽtes, inquit, morbis illorum,& ungentes oleo. Paulus ille magnus, dum Timotheo suo modicum uini præscribit usum, ad fulciendam stomachi imbecillitatem, nónne palàm medici partibus utitur? Sed quid hoc mirum in Apostolo,cum Raphaël angelus, Thobiæ cæcitati medicans,hinc nomen etiam inuenerit, apud arcanarum rerum studiosos? O cœlestem, uereq; sacram disciplinam, cuius cognomento diuinæ illæ mentes insigniuntur. Inter mortales alij alias artes uel discunt,uel profitentur, hanc unam oportebat ab omnibus disci,quæ nulli non est necessaria,Sed heu peruersissima hominum iudicia,Nemo nescire sustinet, quis nũmus legitimus sit,quis adulterinus,ne quid fallatur in re uilissima: nec scire studio est,quibus modis id q̃d habet optimum tueatur. In numismate nõ credit alienis oculis,in negocio uitæ ac sanitatis clausis quod dicitur oculis,sequitur alienum iudicium. Quod si totius artis absoluta cognitio non potest nisi paucis contingere,qui totam uitam huic uni studio dedicarunt,certe partem eam, quæ ad tuendam ualetudinẽ pertinet,

non conueniebat quenquam nescire. Etiã si bona pars difficultatis, non ab ipsa arte, sed ab improborum medicorum uel inscitia, uel ambitione proficiscitur. Semper apud efferas etiam ac barbaras nationes sanctũ ac uenerabile fuit amicitiæ nomẽ. Atq; is egregius habetur amicus, qui se fortunæ utriusq; comitem sociũq; præbet, quod uulgus amicorum uelut hirũdines æstate, rebus secundis adsint, rebus aduersis, quemadmodum illæ ingruente bruma deuolant. At quanto syncerior amicus medicus, qui Seleucidũ auium exemplo, quas narrant nusquam à Caspij montis incolis conspici, nisi cum illarum præsidio est opus aduersus uim locustarum fruges uastantiũ, rebus integris ac lætis nusquam sese ingerit, in periculis, in his casibus, in quibus uxor ac liberi sæpe deserunt hominem, uelut in phrenesi, phthiriasi, in peste, solus medicus cõstanter adest, & adest non inutili officio quemadmodum pleriq; cæterorum, sed adest opitulaturus, adest pro capite periclitantis cum morbo dimicans, nonnunquã suo quoque periculo. Et ô plusquàm ingratos, qui talis amici officio seruati, iam depulso periculo medicum odisse possunt, ac non potius parentis uice colunt ueneranturq;. Vulgarem amicum, qui subinde salutat obuiũ, ad cœnam rogãt, qui latus claudit, officio pensant, & talem amicum ubi desierint egere, auersantur? & ob hoc ipsum auersantur, quod intelligant illius officio

Simile.

nullam

nullam meritis parem gratiam rependi posse. Quod si is optimus uir est, qui maxime prodest Reipub. ars hæc optimo cuicq; uiro discenda est. Siquidē inter munia prophani magistratus non minima portio est, & haud scio an præcipua, dare operam, ut corpora ciuiū bene habeant. Quid prodest depulisse hostem à mœnibus, si pestilentia intus grassans, plures tollit quàm sublaturus erat gladius? Quid refert curasse ne cui pereat census, si perit prospera corporis ualetudo? Prisci qui bonorum ordines digesserūt, primas tribuunt bonæ ualetudini. Quid enim prodest incolumis possessio, nisi ualet possessor? Proinde leges priscorum, cum nondum quæstus & ambitio corrupisset omnia, potissimum huc spectabant, ut corpora ciuium essent ualida, robusta, beneq; temperata. Ea res partim pēdet à natiuitate, partim ab educatione, partim ab exercitamentis, & uictus ratione, nonnihil etiam ab ædificiorum modo. Nimirum medici fungebātur officio, qui bene temperata corpora iungebant matrimonio, qui nutrices adhibebant integræ ualetudinis, qui balnea publica, qui publica gymnasmata instituebant, qui ferebant leges sumptuarias, qui mutatis ædificijs, qui siccatis paludibus pestilentiam excludebant, qui in hoc uigilabant, ne quid esculentum aut poculentum uenderetur, quod læderet corporū incolumitatem. Et hodie principes ferè nihil ad se pertinere credūt, si pro uinis

nis uendãtur uenena, si tritico uitiato, si putribus pisci/
bus tot morbi inuehantur in publicum. Adeo nulla
uitæ pars est, quæ citra medicinæ præsidia recte pos/
Ab utili. sit administrari. Iam uero si qui sint, qui rerum precia
malint utilitate quæstuq; metiri (licet hæc ars diuinior
est, quàm ut huiusmodi rationibus sit æstimanda) ne
hac quidem parte cuiquam aliarum cedit artiũ. Neq;
enim ulla magis fuit frugifera, & ad rem subito paran
dam æque præsentanea. Erasistratus cuius ante memi
ni, à rege Ptolemæo, Critobulus ab Alexandro Ma/
gno, præmijs ingentibus ac uix credẽdis donati legun
tur. Quanquàm quod tandem præmium non exiguũ
uideatur, repensum seruatori capitis, pro cuius unius
salute tot hominum milia depugnabant? Quid ego
nunc commemorem Cassios, Carpitanos, Aruncios,
Albutios, quibus Romæ tum apud principem, tum
apud populum immodicũ quæstum fuisse refert Pli/
nius. Atq; adeo quid nos hæc ex priscis ætatibus repe
timus, quasi non hodie cuiq; complures succurrant,
quos hæc ars ad Crœsi opes euexerit? Rhetorica, aut
Poëtica non alit, nisi insignem. Musicus ni præcellat,
esurit. Iureconsulto tenuis prouentus est, ni sit eximi/
us. Sola medicina quomodocunq; doctum alit, ac tue
tur. Innumeris disciplinis, infinita rerũ cognitione cõ/
stat res medica, & tamen frequenter unum aut alterũ
remedium alit idiotam. Tantum abest, ut hæc ars ste/
rilitatis

rilitatis damnari possit. Adde quod cæterarum artiũ non ubiq; paratus est quæstus. Rhetor frigebit apud Sarmatas. Iuris Cæsarei peritus apud Britannos. Medicum quoquo terrarum sese contulerit, suus comitat' honos, suum sequitur uiaticum, ut in nullam disciplinam uerius competat uulgatissimum illud Græcorũ prouerbium: ὁ τέχνιον ἡ πᾶσα γῆ τρέφει. Sed hoc ipsum indignatur Plinius, aut certe apud hunc alĩq, quæstum esse medicinæ professionem. Maior est, fateor, hæc facultas, quàm ut quæstui lucroq; seruiat. Sordidarum id est artium. Sed nimis ingratum est, eam solam sua fraudare gratia, cui nulla par gratia rependitur. Egregius medicus ceu numen quoddam seruat gratis, seruat & inuitos. Sed impietas est, non agnoscere numinis beneficium. Nihil ille moratur mercedem, tu tamẽ dignus, qui legibus mulcteris ob insignem ingratitudinem. Iam haudquaquam me fugit, hanc egregiam artem & olim apud ueteres audisse male, & hodie apud indoctos quosdam male audire. Catoni non placuit, non quod rem damnaret, sed quod ambitiosam Græcorum professionẽ non ferret homo mere Romanus. Isq; tantum tribuit experientiæ, ut artem esse noluerit, sed idem uniuersam Græcorum philosophiam ex urbe pellendam censuit. Existimabat homo durus, ad purgãdum hominis corpus sufficere brassicam & crebros uomitus, & tamen ille ipse medicorũ hostis, ob- *Confutatio.*

seruatione medicinæ, in extremã usq; senectutem ro/ bur infractum tutatus scribitur. Solis, inquiunt, medi/ cis summa occidendi impunitas est. At hoc nomine magis suspiciendi boni medici, quibus cum in manu sit, non solum impune, uerumetiam mercede occidere, tamen seruare malunt. Quod possunt, facultatis est: quod nolunt, probitatis. Decãtatur iam passim inter pocula temulentorum adagium: Qui medice uiuit, mi sere uiuit. Quasi uero felicitas sit, distendi crapula, rum pi uenere, turgescere ceruisia, sepeliri somno. Sed istos Sycophãtas quid opus est oratione refellere, cum ipsi petulãtiæ suæ satis magnas pœnas dent arti, mox po/ dagra contorti, paralysi stupidi, desipiscẽtes ante tem/ pus, cæcutientes ante senectutem, iamq; prius uitupe/ ratæ medicinæ, exemplo Stesichori, seram canunt pali nodiam miseri. Et tamen his licet indignissimis, artis bonitas nó grauatur esse præsidio quantũ licet. Sunt qui mutuato ex uetere comœdia scommate, uocẽt me dicos σκαφάγους. Quasi uero nõ isto nomine uel præ cipue laudari mereantur, qui quo subueniant hominũ calamitatibus, ex illa sua sublimitate sese ad hæc sordi da deijciant. Quod si medicis tantum esset supercilij, quantum istis est procacitatis, liceret passim impune mori. Verũ habet hoc ars nostra cum bonis regibus commune, ut bene faciat, ac male audiat. Quod si ma/ xime sunt, ut sunt in hoc ordine, qui se pro medicis ge/ runt,

runt,cũ nihil minus ſint,quàm medici. Si ſunt,qui pro remedijs uenena miniſtrant, ſi ſunt qui ob quæſtum aut ambitionem ægrotis male conſulunt,quid iniquius eſt, quàm hominũ uitia in artis calumniam detorquere? Sunt & inter ſacerdotes adulteri, inter monachos homicidæ ac piratæ, ſed quid hoc ad religionem per ſe optimam? Nulla tam ſancta profeſſio eſt, quæ non alat ſceleratos aliquot. Votis quidem omnibus optandum,omnes principes eiuſmodi eſſe cuiuſmodi decet eſſe,quiq; cenſeantur hoc digni nomine. Nec tamen ideo damnandus eſt principatus,quod nonnulli ſub eo titulo prædones, reiq; publicæ hoſtes agant. Optarim & ipſe medicos omnes uere medicos eſſe, nec in his locum dari Græcorum prouerbio: πολλοὶ βοὺς κέντρ, παῦροι δ'ἐπὶ γῆς ἀροτῆρες. Optarim ab omnibus eã præſtari ſanctimoniam,quam Hippocrates ſacramẽto uerbis ſolennibus concepto à profeſſoribus exigit. Neq; tamen huc non enitendũ eſt nobis, ſi à pleriſq; negligi conſpicimus. Sed quoniam huius argumenti tanta eſt ubertas,uiri præſtantiſſimi, ut difficillimum ſit in eo dicendi finem inuenire, ne nó præſtem,quod initio ſum pollicitus,tempeſtiuum arbitror, uniuerſas eius laudes ſummatim complecti. Etenim ſi permultas res ſola commendat antiquitas, hãc artem primã omnium reperit neceſſitas. Si ſcientiam autores illuſtrant, huius inuẽtio ſemper dijs attributa eſt. Si quid *Epilogus.*

autoritatis addit honos, non alia tam passim ac tam diu diuinos honores meruit. Si magni fiunt, quæ summis uiris probãtur, hæc summos reges, hæc primates, non solum delectauit, uerumetiam illustrauit. Si difficilia quæ sunt, ea sunt & pulchra, nihil hac operosius, quæ tot disciplinis, tantarum rerum peruestigatione usuq; constat. Si dignitate rem æstimamus, quid excellentius, quàm ad dei benignitatem proxime accedere? Si facultate, quid potẽtius, aut efficacius, quàm totum hominem certo exitio periturum ipsi posse restituere? Si necessitate, quid æque necessarium atq; id, sine quo nec uiuere, nec nasci licet? Si uirtute, quid honestius, quàm seruare genus humanum? Si utilitate, nullius usus neq; maior est, neq; latius patet. Si compendio, aut hæc in primis frugifera sit oportet, aut ingratissimi mortales. Vobis igit̃ magnopere gratulor eximij uiri, quibus contigit in hoc pulcherrimo genere professionis excellere. Vos adhortor optimi iuuenes, hanc toto pectore cõplectimini, in hanc neruis omnibus incumbite, quæ uobis decus, gloriam, autoritatẽ, opes est cõciliatura, per quam uos uicissim amicis, patriæ, atq; adeo mortalium generi, non mediocrem utilitatem estis allaturi.

DIXI.

ERASMVS

ANTE complures annos, cum Senæ valetudinis confirmandæ gratia, menſes aliquot commorarer, Alexandrum archiepiſcopum, titulo diui Andreæ, feliciſſimæ indolis adoleſcẽtem, apud quem tum diuerſabar, uariis thematiis, quas Græci μελέτας uocant, exercui. Ex his à me neglectis, neſcio quo caſu, ſeruatum hoc unum inter ſchedas reperi. Id hac lege ad te mitto, ut ſi non probas, abiicias quò meretur. Sin approbas, noſtro exemplo tuos item adoleſcentes hoc genus argumentis exerceas, atq; etiam ſi uidetur, libellum hunc cæteris lucubrationibus meis adiiciendum cures. Bene uale Glareane, Heluetiæ tuæ decus.

D. ERASMI ROTERODAMI IN GENERE CONSOLATORIO DECLAMATIO DE MORTE.

QVAM acerbum uulnus ex optimi pueri deceſſu pater acceperis, equidẽ ex meo ipſius dolore facile coniectu ram facio. Quare uehemẽter ſim inhumanus, ſi parentem in tam triſti caſu lugere uetem, cum alienus ipſe non queam non lugere. Impudens autem merito ui- *Inſinuatio.*

dear,ſi tuo dolori parem mederi, cum mihi ipſi medi/
co ſit opus, ſicꝫ patri coner lachrymas abſtergere, cũ
ipſe lachrymarum nullum adhuc modum facere poſ/
Benevolẽtia. ſim. Quanquam enim hoc fortunæ telum,paternũ pe
ctus altius ferire debuit,tamen illud tibi præſtare ſolet
ſingularis quædam ſapientia, ut omneis caſus huma/
nos non ſolum forti & infracto, uerumetiã alacri per/
feras animo. Proinde tibi cõſtes oportet,ut animi do/
Propoſitio. lorem,omnino iuſtiſſimum (quis enim neget?) ſi non
dũ potes abĳcere,certe premas,ac modereris. Cur au/
tem non etiam abĳcias? uidelicet, ut quod ab idiotis
impetrat paucorum dierum ſpacium, id à ſapientiſſi/
mo uiro impetret ratio. Nam quæ matercula tam im
potenter filĳ mortem luget,cui dies non ægritudinem
leniat primũ,deinde penitus etiam adimat? Nuſquã
animo deĳci,ſapientis eſt: at in his caſibus, quibus o/
mnes ex æquo, maximi pariter ac minimi ſumus ob/
noxĳ, dolere immoderatius, extremæ uecordiæ mihi
uidetur eſſe. Quis enim ignorat,niſi prorſus incogitãs
hac ſe lege natum eſſe, ut quandocunꝫ uocarit deus,
ſit protinus hinc emigrandum? Itaꝫ qui mortem ho
minis deplorat,quæſo,quid aliud, quàm ſe mortalem
eſſe deflet? Aut cur potius mortẽ deplores,quàm nati
uitatem,cum utraꝫ iuxta ſecundum naturã ſit? Perin
de ac ſiquis gratias agat,quod ad cõuiuium ſit admiſ/
ſus, queratur autem ſeſe dimitti. Quod ſiquis uelut è

ſublimi

ſublimi ſpecula uniuerſi mortalium generis conditio/
nem uitamq; contempletur, non merito delicatus ſibi
uideatur, ſi inter tot orbitatis exempla, inter tam den/
ſa ſenum ac iuuenum funera, grauius diſcrucietur ani/
mo, perinde quaſi ſoli nouum aliquod ac magnũ ma/
lum acciderit, quaſiq; unus tanquam albæ, quod aiũt,
gallinæ filius, extra publicam aleam ſtatui poſtulet?
Quas ob res ſapientiſſimi legum cõditores, uti luctũ
aliquem parentum affectibus indulgent, ne uidelicet
â quibuslibet ἀπάθειαν illam exigere uideantur, à non
nullis etiam Stoicis damnatam, ita eum modicis ſanè
finibus circunſcripſerunt. Siue quod intelligerent, in id
genus caſibus, qui cum omnium ſunt communes, tum
uero non fortunæ iniuria, ſed ipſo naturæ curſu atque
ordine inducuntur, breuem mœrorem ſufficere uel in/
firmioribus, utpote natura uulnus quod inflixit, leni/
ente, ſenſimq; cicatricem obducente. Siue quia perpẽ
derint, dolorem nõ ſolum inutilem eſſe ijs quibus im/
penditur, uerumetiam pernicioſum ijs, à quibus ſumi/
tur, grauem ac moleſtũ amicis ac familiaribus, uitæq;
ſocijs. Iam uero ſiquis rem recta reputet uia, an nõ de/
mentiæ ſpecies eſſe uidetur, ultro malum malo adde/
re, & cum fati iacturam nulla ratione ſarcire poſſis, ta/
men ultro tibi perniciem accerſere? Perinde ut ſiquis
ab hoſte, nonnulla facultatũ parte ſpoliatus, quicquid
reliquum eſt, id omne iratus in mare deijciat, adq; eũ

modum

modum fortunam suã deplorare sese prædicet. Quod si nos parum mouet Mimus ille nobilis, & quouis etiam philosopho dignus, Feras, non culpes, quod uitari non potest, certe Dauidis sapientissimi regis exemplum pulcherrimum in mẽtem ueniat. Cui simulatq; pueri, quem tenerrime diligebat, mors est nũciata, confestim solo erexit sese, puluerem absterssit, cilicium abiecit, deinde lotus & unctus, uultu mutato, alacris ad epulas accessit. Id factum admirantibus amicis. Quid est? inquit, cur me iam conficiam dolore? Nam antehac, utcunq; spes erat fieri posse, ut meo luctu flexus deus infantem seruaret, nunc nullis ille lachrymis ad nos reuocari potest, nos ad illũ breui properabimus. Quis tam demens, ut cuiquàm supplex esse uelit, quẽ certo sciat precibus non commoueri? At morte nihil inexorabilius, nihil surdius, nihil rigidius. Arte mãsuescunt feræ, uel immanissimæ. Est quo frangatur marmor, est quo mollescat adamas, nihil est quo mortem delinias. Ea nec formæ parcit, nec opibus, nec ætati, nec imperijs. Atq; ob idipsum æquiore ferẽda animo, uel quod ineuitabilis, uel quod tam ex æquo communis omnibus. Iam uero quid ego tibi recensere pergã tot Ethnicorum exempla, qui suorũ interitum excelso infracto q; tulerint animo? A quibus animi fortitudine superari Christianos, nónne turpissimum uideatur? Nũc tibi succurrat nobilis illa, merito q; literis omniũ

celebrata

celebrata Telamonis & Anaxagoræ uox, Sciebā me genuisse mortalem. Succurrat Pericles Athenienſium dux, non tam eloquentia, quàm animi fortitudine celebris, qui cum intra quatriduū duobus mirificis adoleſcētulis orbatus eſſet, ſolito uultu, atq; adeo coronatus, etiam in concione diſſeruit. Succurrat Xenophon ille Socrate præceptore dignus, cui cū inter ſacrificandum mors filij eſſet nunciata, coronam modo depoſuit, atq; eandem mox repoſuit, ſimulatq; fortiter in acie cecidiſſe cognouit. Succurrat Dion Syracuſanus, qui cum in amicorum cōſeſſu nonnihil agitaret, ac ſubito tumultu in ædibus coorto, ſciſcitatus quid eſſet rei, didiciſſet filium de tegulis lapſum interiſſe, nihil cō motus, iuſſit extincti corpus mulieribus rite ſepeliendum tradi, ſeſe quod inſtituerat non omiſſurum. Hūc imitatus Demoſthenes, amiſſa filia chariſſima atque unica, ſeptimo ab eius obitu die coronatus, & cādido ueſtitu ad populum prodijt. Cuius facti, & fidem confirmauit & illuſtrauit gloriam, Æſchinis inimici criminatio. Succurrat rex Antigonus, cui cum nunciatū eſſet, filium in extraordinario conflictu concidiſſe, pauliſper cunctatus, & intuitus eos qui renunciarant, magno quidem animo, Sero, inquit, interiſti Alcinoë (nā id erat filio nomen) qui tam temere in hoſtes te conieceris, neq; tuæ ſalutis, neq; meorum memor monitorum. Quod ſi Romana te magis capiunt exempla, re-

ſpice Puluillum Horatium, cui Capitolium dedicanti cum nunciatum eſſet,filium uita defunctum eſſe, nec manum à poſte remouit, neq; uultum à religione ad priuatũ dolorem flexit. Reſpice Paulum Æmilium, qui intra ſeptem dies duobus amiſſis filijs, progreſſus in concionem, ultro populo Romano gratulatus eſt, quod publicam fortunæ inuidiam domeſtico luctu re demiſſet. Cogita Q. Fabium Maximum, qui cum filium conſularem, & egregijs clarum geſtis amiſiſſet, cõſul in concionem prodijt, & encomiũ filij recitauit. Intuere Catonem Cenſorium, cui cum filius natu maior obiiſſet, ſingulari ingenio, ſumma uirtute iuuenis, ad hæc prætor iam deſignatus, nihil tamen hoc caſu commotus eſt, ut Reipub. negocia ſegnius adminiſtraret. Occurrat Martius, cognomento Rex, is cum filiũ ſummæ pietatis, magnæ ſpei, poſtremo unicum amiſiſſet, orbitatem ſuam adeo infracto tulit animo, ut ſtatim à rogo iuuenis curiam peteret, ac Senatum legis ferendæ cauſa euocaret. Occurrat L. Sylla, cui filij mors nihil omnino acerrimam illius in hoſtes uirtutem contudit, nec effecit, ut falsò ſibi felicis cognomẽtum uſurpaſſe uideretur. L. Bibulus poſtero ſtatim die, quàm utrunq; filium interfectum cognouit, ad ſolita officia proceſſit in publicum. Huius collega C. Cæſar, cũ Britanniam peragraret, & filiæ mortem didiciſſet, tamen intra tertium diẽ imperatoria obijt munera. M. Craſſus in

ſus in Parthico bello, cum filiĳ caput pilo præfixũ con ſpiceret, nam id hoſtes ludibriĳ cauſa propius acceden tes oſtentabant, conuitiĳs etiam exaſperantes calami/ tatem, uſqueadeo non eſt animo cõſternatus, ut repẽ/ te per omnes ordines equo circunuectus clamaret, ſu/ um hoc malum priuatim, cæterum publicam Reipub. ſalutem in militum incolumitate ſitam eſſe. Atque ut omittam exemplorum agmen, Gallos, Piſones, Scæ/ uolas, Metellos, Scauros, Marcellos, Aufidios, Claudi us Cæſar cum eum amiſiſſet, quem & genuerat & ad/ optauerat, ipſe tamen pro roſtris laudauit filiũ, in con ſpectu poſito corpore, interiecto tantummodo uela/ mento, quod Pontificis oculos à funere arceret, & flen te populo Romano, ſolus non fleuit pater. Atque ut hos quidem imitari pulchrum, ita turpiſſimum ſit, nõ præſtare uiros eum animum, quem fœminæ præſtite/ runt. Cornelia duos filios, T. Gracchũ & C. Gracchũ, & occiſos uidit & inſepultos. At cõſolantibus amicis, miſeramq; dicentibus: Nunquam, inquit, non felicem me dicã, quæ Gracchos peperi. Sed quid nos hæc ex priſcorum annalibus repetimus? Quaſi uero nõ quo/ tidiana uita ſatis exemplorum ſuppeditet? Circunſpi ce uicinos, circũſpice cognatos & affines, quot reperies etiam mulierculas, quæ mortem liberorum moderate ferant? Intantum non opus eſt ad hanc rem magnis philoſophiæ præſidiĳs. Nam ſiquis modo ſecum ani/

mo reputarit, quàm calamitosa sit hæc nostra omnis uita, quot periculis, quot morbis, quot casibus, quot curis, quot incommodis, quot uitijs, quot iniurijs sit obnoxia, quàm exigua pars eius nobis abeat, non dicam cum uoluptate, sed non aliqua ægritudine contaminata, deinde quàm fugax etiam ac præceps, propémodũ etiam gratulabitur ijs, qui maturius eam reliquerint. Breuitatem grauiter expressit Euripides, qui uitã mortalium, dieculam unam appellat. Sed melius Phalereus Demetrius, Euripidem castigans, qui eam non potius temporis punctum dixerit. Optime uero Pindarus, qui uitam hominum, umbræ somnium appellat. Res duas maxime nihili coniunxit, umbrã & somniũ, ut planè quàm sit inanis hæc uita, demonstraret. Porrò quàm eadem sit calamitosa, probe perspexisse uidẽtur antiqui Poëtæ, qui mortalium genus non alio epitheto rectius insigniri posse iudicarunt, & si eos μοχθηρούς καὶ δειλούς, id est, calamitosos ac miseros cognominarent. Nam prima pars æui, quæ quidem optima putatur, sese nescit. Mediam protinus negociorum tumultus, curæq; excipiunt. Extremã morbi ac senectus occupat, ut de felicissimis interim agamus. Quis igit non optimo iure probet illam Sileni sententiam, optimum esse non nasci, proximum, quàm ocyssime aboleri? Quis non approbet Thracum institutum, qui nascentes luctu lamentisq; excipiunt: rursum exeuntes è

uita,

uita gaudio gratulationibusq; prosequi solẽt? Quod siquis ipse sibi narret, quæ suis auditoribus solitus est Hegesias, is & suam mortẽ optabit potius, quàm horrescet, & suorum obitum æquissimo feret animo. At obstrepit interim paternus dolor. Ante diem perijt, perijt adhuc ephebus, perijt optimus, ac singulari pietate filius, uitaq; longissima dignus. Queritur naturæ uices inuerti, quod filio pater, iuueni senex superstes sit. Sed obsecro te per deum immortalem, quid tandem appellas ante diem? Quasi uero non unusquisq; uitæ dies & supremus esse possit. Alius inter materni latebras uteri, uix dum homo præfocatur, & inter fingentis adhuc naturæ manus intercidit. Alius dum nascit, alius dum uagit in cunis, abripitur: alius in ipso statim æui flore, uix dũ percepto uitæ sensu, perit. Ex tot hominum milibus, quàm paucis datum est ad senectæ limen, quemadmodũ uocat Homerus, pertingere? Hac nimirum lege deus animum in huius corpusculi præsidio constituit, ut quocunq; die, quocunque momento iusserit decedere, protinus inde sit exeundum. Neque uero quisquam ante diem euocari sibi uideri possit, cũ nulli sit certus dies præscriptus, sed is demum legitimus sit dies quemcunq; imperator ille noster supremum esse uoluerit. Nos si sapimus, unumquemlibet perinde ut supremum operiemur. Quanquam in tanta uitæ breuitate fugacitateq;, quantulum quæso refert, *Confutatio.*

fert,paulo ſerius,an maturius eximaris? Neque enim magis intereſſe uidetur, quàm cum plures ad capitis ſupplicium ducuntur,primus,tertius,an octauus feria ris,nihilominus mox feriendus. Quid enim aliud ipſa uita,quàm perpetuus quidam ad mortem curſus? Ni ſi quod cómodius cum his agitur, qui à tam laborio/ ſa uitæ functione maturius dimittuntur. Verum ut amentis eſt, iniuſſu imperatoris è caſtris excedere: ita ſtulti atq; ingrati, miſſionem à duce celerius datā non libenter amplecti,maxime ſi iam non ſine laude diſce/ dat qui dimittitur,ſiq; ad præmium,non ad ignomi/ niam auocatur. Neq; enim conuenit æui ſpacium ſol/ ſtitijs metiri. Recte factis æſtimāda eſt ætas,ut is diu uixiſſe putetur, non qui plurimos annos ἐτώσιον ἄχ/ θος ἀρόσσας, ut inquit Homerus,terram preſſit, & nume ro addidit,ſed qui gnauiter peracta uitæ fabula,hone ſtam ſui memoriā poſteris reliquit. An quereris, q̄d ſtatim tibi talem filiū dederit deus, qualem optaſſes poſt annos multos euadere? Quid quod neq; uſque/ adeo præmature defunctus eſt noſter adoleſcēs. Iam uiceſimum attigerat annum, qua quidem ætate,mea ſententia, optimum eſt mori, quia uiuere dulciſſimū. Iam patriæ ciuem bonum,iam patri filium pium,iam æqualibus conuictorem iucundum,deniq; ſuperis bo nam & integram mentem præſtiterat. Deceſſit uitio/ rum ignarus,calamitatum imperitus. Porrò quid alla

tura

tura fuerit uita longior,incertum . Certe plerunq; fieri uidemus,ut posterior ætas,& grauioribus uitijs adole scétiæ puritatem inficiat,& pluribus calamitatibus iu/ uentutis felicitatem contaminet.His omnibus seu ma lis,seu periculis illum mors cita subduxit . Nunc deni/ que tuto gloriari potes , te filium optimum habuisse, uel habere magis . Sed habueris tantum,non habeas etiam . Vtrum potius æquum est, discruciari te quod amiseris,an gaudere,qui talem habueris? Vide ne pa/ rum grati sit animi,meminisse repetiti muneris,nõ me minisse dati.Magnũ profecto munus, filius pius, sed ita datum,ut ad tempus eo fruereris, non ut perpetuo tuum esset. Sic enim tecum cõsidera uir sapientissime, imò sic pariter considereemus . Siquis princeps summi precij summæq; artis tabulam nobis dedisset utẽdã. utrum eam, quandocunq; collubitum fuerit reposcen ti sereno uultu reddemus, gratias insuper agentes, an tristes ad hunc modum cum eo expostulabimus? O te crudelẽ,quàm precioso munere nos spoliasti,quan/ tam uoluptatem nobis ademisti , quàm cito rem tam egregiam nec opinãtibus eripuisti. Nónne is optimo iure,tam ingratis querimonijs ad hunc respõderit mo dum? Hoccine præmij pro meo officio reporto? Itáne nihil meministis,nisi hoc tãtum quod belliſſimam ta/ bulam amisistis? Excidit animo,gratis & ultro cómo/ dasse me? uos tot iam dies mea benignitate pauisse

oculos,

oculos,animum oblectasse? Quod dedi,benignitatis erat: quod reposco, meo iure facio, uobis aliquid ex me lucri fuit, iacturæ nihil fuit, nisi quod uestro uitio id esse proprium fingebatis,quod erat commodatitium. Proinde perire uobis uidetur,quod repetitur,imò quo precioſior,quo iucũdior ea res fuit, quam utendã permisi,hoc magis atq; magis mihi debetis. Nec ante tempus repetitum uideri oportet,quod citra iniuriam poterat non committi. Hæc ratio,si nullo pacto refelli poterat, cogita quanto iustius natura doloré ac querelas nostras huiusmodi sermone possit reprehendere? Atq; his nimirum rationibus,dolorem nostrum leniri conueniebat,etiam si mors totum hominem tollet,neq; quicquam nostri post funus supereſſet. Nũc si saltem hoc credimus,de quo nihil addubitauit Socrates ille Platonicus, uidelicet hominem ipsum animum esse,corpus hoc nihil aliud esse, quàm animi uel organum,uel domicilium, aut ut uerius dicam, sepulchrum & carcerem,unde cum emerserit, tum demum sui iuris esse,multoq; quàm antea felicius uiuere,quid est quod mortem incusemus, quandoquidem usque adeo non perit ille qui moritur, ut tum demq; nasci uideatur potius? Et nobis animo frui licet, quod oculis non cernimus, nihilo secius quàm amicis absentibus cogitatione frui solemus. Et haud scio,an aliquãto suauius,quàm si eos coràm oculis conspiceremus,propte-

Transitio.

rea

rea quod corporum conuictus,non raro nobis offen/ſarum materiam conſueuit miniſtrare, & conſuetudi/nis aſſiduitas, amicitiæ iucunditatem nonnihil immi/nuere.Eius rei ſi deſideras exemplum,an non ſat argu mento ſunt apoſtoli,qui tum demum uere frui Chri/ſto,uereq; amare cœperunt, poſteaquàm illis corpo/rea præſentia fuiſſet adempta? Sic eſt profecto bono/rum amicitia, animorum non corporum coniunctio/ne conſtat. Qui uere amant,animos amant, nó corpo ra. At animorum copulam nulla uis, nulla temporũ, nulla locorum intercapedo poteſt dirimere. Porrò ni/mis q; puerile eſt, amicũ iam periſſe putare, ſimulat/que ſub oculis eſſe deſierit. Tu quoties libebit,filiũ tibi cogitatione ſermonibusq; præſentem reddes: ille ui/ciſſim tui meminit,ſentitq; penitus animi tui affectus, nonnunquam & in ſomnis occurſabit patri,& arcanis quibuſdam modis animi utriuſq; ſeſe complectentur & confabulabuntur. Quid autẽ prohibet,quo minus iam nunc imagineris cum illo te uiuere, qui cum pau/lo poſt es uicturus? Quantulum enim eſt hoc omne quod uiuimus? Sed hactenus ijs remedijs ſum uſus, quibus cum Ethnico quolibet agere poteram. Nunc quid pietas, quid Chriſtiana fides à nobis impetrare debeat,paucis conſideremus. Iam primum ſi maxime miſera mors eſſet, tamen oportebat boni conſulere, quod nulla uia corrigi poterat. Rurſum ſi totum extin

Tranſitio per epilogum.

gueret hominem,æquius tamen ferenda,quod tot huius uitæ calamitatibus finem imponat. Porrò si animum originis æthereæ,graui corporis ergastulo liberat, propémodum etiam gratulandum ijs, qui è uita decesserint, & in felicem illam libertatem postliminio redierint. Nunc uero cum haud dubie pias animas ex huius uitæ procellis, ad immortalitatis portum transmittat,ac ne pilum quidem hominis perimat: quippe corporibus quoq; ad immortalitatem aliquãdo reuocandis,utrum quæso lugere,an magis gratulari conuenit ei,quẽ ex hoc turbulentissimo uitæ pelago,in tranquillam illam immortalitatis stationem mors matura transuexerit? Age paulisper huius uitæ (si modo uita est appellanda)sordes, erumnas, pericula in unum congere:rursus è diuerso eius uitæ commoda, quæ pios hinc ereptos manẽt compone,& facile uidebis,hoc homine nihil esse iniustius, qui summum bonum,ad quod unum nati conditiq; sumus, perinde quasi maximum malum deploret. Orbum te clamitas,cum filium cœlo genueris, cuius ceu numinis cuiusdã memoriam, ut sacrosanctam uenerari possis, qui cœlitus tui curam agens,res tuas ceu dexter aliquis deus bene fortunare ualeat. Neq; enim ille,aut non sentit res mortalium, aut solitam in patrem pietatem unà cum corpore deposuit. Viuit profecto, mihi crede, uiuit ille, adestq; præsens nobis, & hoc ipsum nostrum colloquium

quium audit sentitq́, ac fortassis hunc ipsum luctum nostrum ridet ac damnat. Quod ni corporum horũ moles obsisteret, fortassis & audiremus eum lachrymas nostras huiusmodi dictis increpãtẽ. Quid isthuc est quod agitis? Quid senectutem uestram inutili, ne dicam amenti luctu conficitis? Quid iniquissimis querimonijs, fatum, fortunã, mortem in ius trahitis? An mihi ex istius uitæ malis exempto, & in hanc felicitatẽ euecto inuidetis? Sed bona uerba. Nõ inuidet nec paterna pietas, nec amicitiæ candor. Verum quid aliud sibi uult ista comploratio? An lachrymis dignum censetis, quod è seruitute in libertatem, de erumnis ad felicitatem, de caligine in lucem, de periculis in tutum, de morte ad uitam, de morbis ad immortalitatẽ, de tot malis ad summum bonũ, de caducis ad æterna, de terrenis ad cœlestia, deniq; quod ab hominum colluuie ad angelorum contubernium sum traductus? Iam appello uestros istos animos. Quæso, per uestram in me pietatem, si uobis esset in manu, me ad istam reuocare uitam, num essetis reuocaturi? At quo tandem flagitio tantum odium commerui? Si reuocari nolitis, quorsum attinent istæ querelæ, non solum inutiles, ut dixi, uerumetiam impiæ? Porrò nisi me immortalitas iamdudum omnis doloris expertem reddidisset, ego uicissim uestras istas lachrymas, alijs lachrymis deflerem, & tam crassam animi uestri caliginem commise-

Prosopopœia

rarer. At noſtram ipſorum uicem deploramus, inqui-
Confutatio. tis. Verum iſthuc ſanè haud amantium eſt, ſed ad ſeſe reſpicientium, & uel alieno incommodo ſuis rebus cō-ſulere uolentium. Sed age quid tandem iſthuc iactu-ræ eſt, quod mea mors uobis attulit? an quod conſpe-ctu meo frui nō licet? Atqui nihilo ſecius interim me-moria noſtri frui licet, tanto quidem felicius, quāto tu-tius. Nam id quod res eſt, exiſtimate me malis omni-bus præreptum, quæcunq; in uita homini poſſunt ac-cidere, & quorum magnam partē ueſtra uiuacitas ex-perta eſt. Non eſt qui uobis obſequium exhibeat, ſed eſt qui apud deum Opt. Max. pro ueſtra ſalute patro-num agat, ut ſedulum, ita & efficacem. Deniq; quātu-lum hoc momenti eſt, quod noſtram dirimet conſue-tudinem? Vos modo pro ueſtra uirili date operā, ut pie peracta uitæ fabula, mors dignos reperiat, qui huc traducamini. Hæc, inquam, ſi nobis loqueretur filius, nónne merito noſtri luctus nos pudeſceret? His fer-mè rationibus, animi mei uulnus lenire ſoleo, quæ tibi communia facere uolui, nō quod his remedijs magno pere egeres: ſed arbitratus ſum congruere, ut qui cum mihi luctus eſſet communis, cum eodem & cōſolatio-nem communicarem. Cæterum ut quæ fuſius diſſerta ſunt, in epilogum contraham, hoc pacto efferueſcentē
Epilogus. animi tui dolorem coërcebis. Mortuus eſt filius, ge-nueras mortalem. Tanto bono priuatus ſum, reddidi

ſti ei

sti ei qui gratis dederat. Grauis orbitas, leuius ferẽdũ, quod aliquâ sarciri potest. Patrem destituit, quid prodest flere, quod mutari non potest? Aut cur anxie deplores, quod tibi cum tot hominum milibus commune est? Sed interitum filij non possum non flere, quidnis potius quàm perit, qui bene moritur. At occubuit immatura morte, nulla mors non matura recte morienti. Ante diem uiuere desijt. Nullus cuiquam certus mortis dies. In ipso æui flore extinctus est, tum optimum est mori, cum uiuere est suauissimũ. Obijt adolescens, hoc pluribus uitæ malis subductus est. Optimum amisi filium, gaude quod talem habueris. Innocens è uita decessit. Nulla mors magis optanda, minusq; deploranda. Sed interim filio frui non licet, at animo licet, & mox ipso totus toto frueris. Si quid nouisti rectius istis, candidus imparti. Si non, his utere mecũ, ac bene uale, quod quidem uult etiam ipse filius.

DIXI.

CLAMATIVNCVLA.

Oratio Episcopi respondentis ijs, qui sibi nomine populi gratulati essent, & omniū nomine obedientiā quam uocant, detulissent.

HVNC ego profecto diem festiuum in primis, niueaq́ (quod dici solet) insigniendum gemma duco, filijq́ charissimi, quo mihi in uita nullus illuxit adhuc, uel ornatior, uel iucūdior. Incredibilem enim animo capio uoluptatem, non tam ex honore, quem mihi summo cōsensu, studijsq́ flagrantissimis detulistis (neque enim me fugit hic honos, quanto cum onere coniunctus sit) neq́ rursus ex laudibus oratione uestra mihi tributis, quas mihi nec arrogo, nec agnosco, sed tamen uestra omnium tam pia alacritas impendio me delectat, uestra tam religiosa aggratulatio totum me gaudio perfundit, propterea quod nihil addubitē, quin sanctissimam istam lætitiam, non simulatio, non theatrica uanitas, non mortalis affectus, sed numen aliquod pectoribus uestris illapsum excitarit. Proinde lætum ac felix omen accipio, negocium hoc uestrū superis probari, ijsdemq́ bene fortunantibus, mihi pariter ac uobis feliciter cessurum. Onus grauissimū imponitis, & hoc imponitis grauius, quo studijs ardentioribus uos

ipsos

ipſos meæ traditis fidei. Sed eadem ueſtra pietas, quæ ſarcinam addit, bonam ponderis partem adimet. Me am ſolicitudinem, quam & meum exigit officiũ, & ue/ ſtra promeret fiducia, obediendi promptitudo leniet. Mihi minus graue fuerit, pro chariſſimis meis filijs ad uigilare, & facile conſulitur ultro parentibus, ac penè præuolantibus. Quare laudes iſtas non tam meas q̃ ueſtras, quibus me diſertiſſime ſtudioſiſſime q̃ exor/ naſtis, deinde quæ uiciſſim à me ueſtræ pietati debe/ bantur, eas omneis communiter in Chriſti principis noſtri gloriam referamus, cuius ni fallor, auſpicijs res tota hæc geritur, ut iuxta uocem eximij Pauli, in omni bus & per omnia prædicet deus, à quo ceu fonte pro/ fluit, quicquid uſquam in uita mortalium boni eſt, cui uni debetur omnis honos & gloria. Is tum mihi tum uobis omnibus eſt uotis quàm maxime puris & ardẽ tiſſimis implorandus, ut me talem reddat paſtorem, qualem ueſtra meretur pietas, qualẽq̃ modo ueſtra depinxit oratio. Formam agnoſco, meritum nõ agno ſco, niſi quod ſedulo me adniſurum recipio, ut paſtorẽ ſentiatis, non prædonem: patrem, non tyrannum: opi tulatorem, non oppreſſorem: medicum, non expilato rem, breuiter ut intelligatis me hoc quicquid eſt mune ris, uobis geſſiſſe non mihi. Pios ac bonos uos mihi concredidiſtis, dabitur opera, ut uos uobis ipſis reddã meliores. Qui epiſcopatũ reditibus cenſuq̃ metitur,

quiduis

quiduis potius est quàm episcopus. Ego mihi nõ alia ratione uidebor splendidus & opulẽtus episcopus, q̃ si conspexero filios meos pietatis ac uerorum bonorũ quotidianis accessionibus Christo reddi gratiores. Has opes, hanc gloriam, hanc felicitatem, uos ex parte mihi præstare ualetis, adiuuante Christo. Non est optandum fieri præsulem, boni gregis præsulem esse optabile est. Quo sanè nomine iam nunc, quà par est, animi lætitia, summo pastori grator, mihiq̃ gratulor, qui me mystico hoc coniugio, sponsæ incontaminatæ sponsum dederit, atq̃ optimi lætissimiq̃ gregis custodem esse uoluerit, gregis, inquam, neq̃ uitijs morbidi, nec tabidi, nec hulcerosi, neq̃ dissidijs intestinis male dissipati, neq̃ socordiæ macie fœdi, neq̃ pullo uellere, sed fidei synceritate, uitæq̃ integritate sani, constantia ualidi, mutua charitate collecti, pijs studijs uegeti, morum innocẽtia niuei. Dotes istas iampridem magnas in uobis, ut confidam indies auctum iri, facit ista uestra singularis alacritas, qua uestrum obsequium, uestram obediẽtiam sic defertis, ut facile appareat id ex animo fieri magis, quàm ex solenni receptoq̃ more. Qua ex re, mihi credite, non secus sum affectus, atque olim erat Dauid ille regum sanctissimus, gaudio gestiens inenarrabili, cũ aspiceret populum suum ultro & alacriter ad templi structuram donaria congerentem. Quod enim bono pastori (qui in suos parentis affectus,

affectus, aut ſi quid eſt parente amantius, ſumere de/
bet) ſpectaculum exhiberi queat gratius aut iucũdius,
quodúe (ut Pauli uerbis dicam) animo ſentiri poſſit
gaudium abundantius, quàm ut filios ſuos uideat in
Chriſti charitate geſtientes & alacres? Itaq; cuius affe
ctum mihi ſentire uideor, eiuſdem uerbis precor, ſem/
perq; precabor, ut iſtam in uobis uoluntatem conſer/
uet, neq; conſeruet modo, uerumetiam augeat atq; di
latet. Porrò meo nomine uos Solomonis exẽplo, me/
cum deum Opt. Max. orabitis, ut qui per uos onus
hoc impoſuit, idem impertiat cœleſtem illã, ſemperq;
ipſius throno aſſidentem ſapientiam, ut mihi iugiter
adſit mecumq; laboret, quo liceat gregem mihi tradi/
tũ cœleſti paſtori bona fide annumerare, auctiorẽq;
ac uegetiorem reddere, ut hæc cuſtodia, quam uos ho
die ſumma cum alacritate detuliſtis, ego maxima cu/
ra ſuſcepi, mihi pariter & uobis feliciter cedat, ſed ita
ut & meus conatus, & ueſtrum obſequium, in Chriſti
gloriã exuberet, cui nos ſeruimus, dum uo/
bis præimus, uos parêtis, dum no
bis auſcultatis.

DIXI.

CLARISSIMO PRAESVLI TRAIECTEN/
SI PHILIPPO, ERASMVS ROTE/
RODAMVS S. D.

GRATVLARER tibi Philippe Præsul, non minus uitæ ornamentis, quàm sum/morum ducum imaginibus clarissime, quod tãti muneris honore sis auctus, ni compertum haberem, quàm inuitus susceperis, quãq; grauate optimi maximiq; principis CAROLI au/toritate fueris adactus, cuius alioqui charitati nihil non eras daturus. Atq; hæc ipsa res spem nobis certis/simam facit, fore, ut cum laude perfungaris suscepto, quandoquidem Plato uir exquisitissimi, planeq; diui/ni iudicij, non alios existimat ad Rempub. gerendam idoneos, quàm eos qui huc nolentes pertrahũtur. Au/get autem nostram de te fiduciam, quoties in mẽtem uenit, & cui tu succedas fratri, & quo patre sitis ambo profecti. Nam Dauid germanus tuus, uir eruditus iu/xta ac prudẽs, permultis annis sic locum istum tenuit, ut suis ornamentis, plurimum splendoris ac dignita/tis addiderit ipsi muneri, per se licet amplissimo, mul/tis ille quidem modis magnus ac suspiciendus, sed in hoc præcipue salutaris Reip. quod nihil ducebat anti/quius pace publica, hac quoq; in parte patrem PHI/LIPPVM Burgundiæ ducem referens, uirum nulla non re maximum, sed tamen pacis artibus cũ primis insignem, & æternæ hominum memoriæ commẽda/tum.

tum. Qui tibi hoc etiam impensius erit exprimendus, ut nó tantum filius patri, sed ut PHILIPPVS Philippo respondeas. Intelligit iam dudum tua prudentia, quid abs te populus uniuersus expectet. Triplex onus humeris sustines, patris exemplum ac fratris, tũ horum temporum fata (quid enim aliud dicam?) nescio quomodo ad bellum pertrahentia. Vidimus ipsi nuper, ut quidam amicis quàm hostibus grauiores, nihil intentatum reliquerint, ne bellorum aliquando finis esset: rursus ut uix expresserint alíq; qui Reip. principíq; ex animo bene uolunt, ut pacem cũ Francis semper optandam, hisce uero temporibus etiam necessariam amplecteremur. Cuius sanè rei indignitas mouit animum meum, ut tum pacis undique profligatæ querimoniam scriberem, quo nimirum hac ratione, iustissimum animi mei dolorem uel ulciscerer, uel lenirẽ. Libellum ad te, ceu primitiolas nouo Episcopo debitas mitto, quo diligentius tueatur tua celsitudo pacẽ utcunq; partam, si non patiar eam obliuisci quanto negocio nobis constiterit. Bene uale.

EIECTAE PROFLIGATAEQVE,
AVTORE D. ERASMO
ROTERODAMO.

PAX LOQVITVR.

SIME licet immerentem, suo tamen commodo, sic auersarentur, eijcerent, profligarentque mortales, meam modo iniuriam & illorũ iniquitatem deplorarem: nunc cũ me profligata, protinus fontem omnis humanæ felicitatis ipsi à semet arceant, omniumq; calamitatum pelagus sibi accersant, magis illorũ mihi deflenda est infelicitas, quàm mea iniuria: & quibus irasci tantum maluissem, horum dolere uicem, hos commiserari compellor. Nam utcunq; amantẽ ab se propellere, inhumanum est: bene merentẽ auersari, ingratum: parentem ac seruatricem omnium affligere, impium. Cæterum tot egregias cõmoditates quas mecũ adfero, sibimetipsis inuidere, proq; his ultro tam tetrã malorum omnium lernam accersere, an non hoc extremæ cuiusdam dementiæ uidetur? Sceleratis irasci par est, at sic furijs actos, quid aliud quàm deflere possumus? Qui non alio sanè nomine magis deflendi sunt, quàm quod ipsi sese non deflent, nec alio magis infelices, quàm quod infelicitatem suam non sentiunt, quã-

do nõ/

do nonnullus gradus est ad sanitatem, morbi sui magnitudinem agnoscere. Etenim si ego sum Pax illa diuorum simul & hominum uoce laudata, fons, parens, altrix, ampliatrix, tutatrix rerum bonarum omnium, quas uel cœlum habet, uel terra, si sine me nihil usquã florens, nihil tutum, nihil purum, aut sanctum, nihil aut iucundum hominibus aut gratum superis: si contra hæc omnia, bellum semel omnium malorum, quicquid usquam est in rerum natura, Oceanus quidã est, si huius uitio subito marcescunt florentia, dilabuntur aucta, labascunt fulta, pereunt bene condita, amarescunt dulcia: denicꝙ si res est adeo nõ sancta, ut omnis pietatis ac religionis sit maxime præsentanea pestis, si nihil hoc uno infelicius hominibus, nihil inuisius superis, quæso per Deum immortalem, quis credat istos homines esse, quis credat ullam sanæ mentis micã inesse, qui me talem, tantis impendijs, tantis studijs, tanto molimine, tot technis, tot curis, tot periculis, studẽt eijcere, tantumꝙ malorum uelint tam chare emere? Si me ad istum modum spernerent feræ, leuius ferrẽ. & in me admissam cõtumeliam naturæ imputarem, quæ ingenium immite inseuisset, si mutis pecudibus essem inuisa, cõdonarem insciticæ, propterea quod his ea uis animi negata sit, quæ sola dotes meas queat perspicere. At ô rem indignã ac plusquàm prodigiosam, unum animal ædidit natura, ratione præditum,

ac diuinæ mentis capax, unum beneuolentiæ concor-
diæq́ genuit,& tamen apud quantumlibet efferas fe-
ras,apud quantumuis brutas pecudes, mihi citius lo-
cus ſit,quàm apud homines. Iam tot orbium cœleſti-
um,licet nec motus ſit idem, nec uis eadem, tamen ijs
tot iam ſeculis conſtant uigentq́ fœdera. Elementorũ
pugnantes inter ſe uires,æquabili libramine pacẽ æter
nam tuentur,& in tanta diſcordia, conſenſu,commer-
cioq́ mutuo concordiam alunt. In animãtium corpo
ribus quàm fidus membrorum inter ipſa cõſenſus, q̃
parata defenſio mutua? Quid tam diſſimile quàm cor
pus & anima? Et tamen quàm arcta neceſſitudine cõ-
nexuerit hæc duo natura,nimirum declarat ipſa diuul
ſio. Proinde ut uita nihil aliud eſt, quàm corporis &
animæ ſocietas, ita ſanitas omnium corporis qualita-
tum cõcentus eſt. Animantia rationis expertia in ſuo
quæq́ genere ciuiliter,concorditerq́ degunt. Armen-
tatim uiuunt elephanti, gregatim paſcuntur ſues &
oues,turmatim uolant grues & graculi, habent ſua co
mitia ciconiæ,pietatis etiam magiſtræ,mutuis officijs
ſeſe tuentur Delphini, nota eſt formicarum & apum
inter ipſas concors politia. Sed quid de his loqui per-
go, quæ tametſi ratione uacant,ſenſu non uacant? In
arboribus,in herbis amicitiam poſſis agnoſcere. Steri
les ſunt quædã, niſi marem adiũgas,uitis ulmum am-
plectitur,uitẽ amat perſica. Vſqueadeo quæ nihil ſen-
tiunt,

tiunt,tamen pacis beneficiũ ſentire uidentur.Sed hæc rurſum ut ſentiendi uim non habent, ita quod uitam habeant,iſs quæ ſentiũt finitima ſunt.Quid æque brutum atq; ſaxorum genus? Dicas tamen his quoq; pacis & concordiæ ſenſum ineſſe.Ita Magnes ferrum ad ſeſe trahit, attractum tenet. Quid quod inter immaniſſimas etiam feras conuenit? Leonum inter ipſos feritas non dimicat.Aper in aprum non uibrat dentem fulmineum,lynci cum lynce pax eſt,draco non ſæuit in draconem,luporum concordiam etiam prouerbia nobilitarunt.Addam, quod magis etiam mirum uideatur,impij ſpiritus,per quos cœlitum atq; hominũ concordia primum dirupta eſt,& hodie rumpitur, tamen inter ſe fœdus habent,ſuamq; illam qualemcunq; tyrannidem conſenſu tuentur : ſolos homines,quos omnium maxime decebat unanimitas, quibusq; cum primis opus eſt ea,neq; natura tam alijs in rebus potens & efficax conciliat,nec inſtitutio cõiungit, nec tot ex conſenſu profecturæ commoditates conglutinant, nec tantorum deniq; malorum ſenſus & experientia in mutuum amorem redigit.Figura communis omnium,uox eadem, & cum cætera animãtium genera corporum formis potiſſimum inter ſe differant, uni homini indita uis rationis, quæ ita ſit illis inter ipſos cõmunis, ut cum nullo ſit reliquorum animantium communis.Vni huic animanti ſermo datus,præcipuus ne

ceſſitudinum

ceſſitudinum conciliator, Inſita ſunt communiter di/
ſciplinarum ac uirtutum ſemina, ingenium mite placi/
dumq́, & ad mutuam beneuolentiam propenſum, ut
per ſe iuuet amari, & iucũdum ſit de alĩs uel gratis be
nemereri, niſi quis prauis cupiditatibus, ceu Circes
pharmacis corruptus, ex homine degenerarit in belu/
am. Hinc eſt uidelicet, quod uulgus quicquid ad mu/
tuam beneuolentiam pertinet, humanum appellat, &
humanitatis uocabulum non iam naturam nobis de/
claret, ſed mores hominis natura dignos. Addidit la/
chrymas, exorabilis ingenĩ documentum, quo ſi quid
forte inciderit offenſæ, & amicitiæ ſerenitatem nubecu
la aliqua offuſcarit, facile redeant in gratiam. En quot
rationibus natura concordiam docuit? Nec his tamẽ
contenta mutuæ beneuolentiæ lenocinĩs, amicitiam
homini non ſolam iucundam eſſe uoluit, uerumetiam
neceſſariam. Eoq́ tum corporum, tum animorum do
tes ita partita eſt, ut nemo ſit omnium tam inſtructus,
quin infirmorum etiam officio nonnunquam adiuue
tur, nec eadem attribuit omnibus, nec paria, ut hæc in/
æqualitas mutuis amicitĩs æquaretur. Alĩs in regioni
bus alia proueniunt, quo uel uſus ipſe mutua doceret
commercia. Cæteris animãtibus ſua tribuit arma præ
ſidia q́, quibus ſeſe tuerentur, unum hominem produ
xit inermem, atq́ imbecillum, nec prorſus aliter tutũ,
quàm fœdere mutuaq́ neceſſitudine. Ciuitates repe/

rit

rit neceſſitas, & ipſarum inter ſe ſocietatem docuit ne-
ceſſitas, quo ferarum ac prædonum uim iunctis uiri-
bus propellerẽt. Adeo nihil eſt in rebus humanis, q̃d
ipſum ſibi ſufficiat. In ipſis ſtatim uitæ primordijs pe-
riſſet hominum genus, niſi conditum propagaſſet cõ-
iugalis concordia, nec enim naſceretur homo, & mox
natus interiret, atq; in ipſo uitæ limine uitam amitte-
ret, niſi obſtetricum amica manus, niſi nutricum ami-
ca pietas, ſuccurreret infantulo. Atq; in hunc uſum ue-
hementiſſimos illos pietatis igniculos inſeuit, ut parẽ-
tes etiam illud ament, quod nondum uiderunt. Adie-
cit mutuam liberorum erga parentes pietatem, ut illo
rum imbecillitas horum præſidijs uiciſſim ſubleuare-
tur, fieret q; illa cũctis quidem ex æquo plauſibilis, ſed
Græcis aptiſſime dicta ἀντιπελάργωσις. Accedũt huc
cognationum & affinitatum uincula. Accedit in non-
nullis ingeniorum, ſtudiorum formæq; ſimilitudo, cer
tiſſima beneuolentiæ conciliatrix, in multis arcanus
quidam animorum ſenſus, ac mirus ad mutuum amo
rem ſtimulus, quem ueteres admirati numini ſeu ge-
nio aſſcribebant. Tot argumentis natura docuit pacẽ
cõcordiamq;, tot illecebris ad eam inuitat, tot laqueis
trahit, tot rebus compellit. Et poſt hæc quæ nam iſta
tam ad nocendum efficax Erinnys, his omnibus diſru
ptis, diſiectis, diſcuſſis, inſatiabilem pugnandi furiam
inſeuit humanis pectoribus? Niſi primũ admiratio-

nem, deinde ſenſum etiam mali adimeret aſſuetudo, quis crederet humana mente præditos iſtos, qui ſic iugibus diſſidijs, litibus, bellis inter ſeſe certant, rixãtur, tumultuantur? Poſtremo rapinis, ſanguine, cædibus, ruinis ſacra profanaq; miſcẽt omnia: nec ulla tam ſancta fœdera, quæ illos in mutuã perniciem debacchantes queant dirimere. Vt nihil etiam acceſſerit, ſatis erat commune hominis uocabulum, ut inter homines conueniret. Sed eſto nihil apud homines profecerit natura, quæ plurimũ ualet & in beluis, itáne nihil & apud Chriſtianos ualuit Chriſtus? Parum efficax ſit doctrina naturæ, quæ maximã uim habet in his quoq; quæ ſenſu uacant: cæterum cum hac multo præſtantior ſit doctrina Chriſti, cur ea ſe profitentibus non perſuadet id quod unum omnium maxime ſuadet, nempe pacem mutuamq; beneuolẽtiam, aut ſaltem hãc tam impiam efferamq; belligerandi inſaniã dedocet? Cũ hominis uocabulum audio, mox accurro uelut ad animal mihi proprie natum, confidens fore ut illic liceat acquieſcere: cum Chriſtianorum audio titulum, magis etiam aduolo, apud hos certe regnaturam etiam me ſperans. Sed hic quoq; pudet ac piget dicere, Fora, Baſilicæ, curiæ, templa ſic undique litibus perſtrepunt, ut nuſquam apud Ethnicos æque. Adeò, ut cum bona pars humanæ calamitatis ſit aduocatorum turba, tamen hæc etiam ad litigãtium undas paucitas ſit, ac ſolitudo.

litudo. Ciuitatem aſpicio, ſpes ilico oboritur, inter hos ſaltem conuenire, quos eadem cingũt mœnia, eædem moderantur leges, & uelut una uectos naui commune continet periculum. Sed ô me miſeram, quàm hic quoq; diſſidijs omnia uitiata cõperio, adeò ut uix domum ullam reperire liceat, in qua mihi ſit dies aliquot locus. Sed plebẽ omitto, quæ maris ritu, ſuis æſtibus rapitur, in principum aulas, uelut in portum quendã me recipio. Erit, inquã, certe apud hos locus paci, plus hi ſapiũt quàm uulgus, ut qui ſint plebis animus, atq; oculus populi. Tum eius uices gerunt, qui doctor eſt & princeps concordiæ, à quo quidem cum omnibus, tum his præcipue ſum commendata. Et omnia bene pollicentur. Video blandas cõſalutationes, amicos cõplexus, hilares compotationes, cæteraq; officia humanitatis. At ô rem indignam, apud hos nec umbrã ueræ concordiæ licuit cernere. Fucata, fictaq; omnia, factionibus apertis, clancularijs diſſidijs ac ſimultatibus corrupta ſunt uniuerſa. Denique adeò apud hos non eſſe ſedem paci comperio, ut hinc potius omnium bellorum fontes ac ſeminaria. Quò me poſthac conferã infelix, poſteaquàm toties fefellit ſpes? At principes fortaſſe magni ſunt potius quàm eruditi, magisq; ducuntur cupiditatibus, quàm recto animi iudicio. Ad eruditorum greges confugiam, Bonæ literæ reddunt homines, Philoſophia pluſquàm homines, Theolo-

gia reddit diuos. Apud hos certe dabitur conquieſce/re,tot circumactæ ambagibus. Verum prohdolor,en hic quoq; bellorum aliud genus,minus quidem cruentum,ſed tamen nō minus inſanum. Schola cum ſcho/la diſſidet, & ceu rerum ueritas loco commutetur, ita quædam ſcita non traiiciunt mare, quædam non ſu/perant alpes, quædam non tranant Rhenum, imò in eadem academia cum rhetore bellum eſt dialectico, cum iureconſulto diſſidet theologus. Atq; adeo in eodem profeſſionis genere, cum Thomiſta pugnat Scotiſta, cum reali nominalis, cum Peripatetico Platoni/cus, adeo ut ne in minutiſſimis quidē rebus inter hos cōueniat, ac ſæpenumero de lana caprina atrociſſime digladientur, donec diſputationis calor ab argumentis ad conuitia, à conuitijs ad pugnos increſcat, & ſi res pugionibus aut lanceis non agitur, ſtylis ueneno tinctis ſeſe confodiunt, dentata charta dilacerant inuicem, alter in alterius famam letalia linguarum uibrāt ſpicula. Quò me uertam, toties experta mihi data uerba? Quid ſupereſt, niſi una ueluti ſacra ancora Religio? Huius profeſſio licet ſit Chriſtianorum omnium communis, tamen eam iſti peculiariter profitentur titulo, cultu, ceremonijs, qui uulgo ſacerdotum cognomento commendantur. Hos itaq; procul intuenti cuncta ſpem faciunt, portum mihi paratum eſſe. Arridēt ueſtes cādidæ, meoq; colore inſignes, uideo cruces pa/

cis,

cis ſymbola, audio dulciſſimũ illud fratris cognomẽ, eximiæ charitatis argumẽtum, audio ſalutationes pacis, læto omine felices, cerno rerum omnium communionem, coniunctum collegium, templum idem, leges eaſdem, conuentus quotidianos. Quis hic non confidat paci locum fore? Sed ô rem indignam, nuſquam ferè collegio cõuenit cum epiſcopo, parum hoc, niſi & ipſi inter ſeſe factionibus ſcinderentur. Quotuſquiſq; ſacerdos eſt, cui non ſit cum aliquo ſacerdote lis? Paulus rem nõ ferendam cenſet, quod Chriſtianus litiget aduerſus Chriſtianum, & ſacerdos cum ſacerdote, epiſcopus cum epiſcopo certat? Verũ his quoq; forſitan ignoſcat aliquis, quod longo iam uſu propémodũ in prophanorum conſortium abierunt, poſteaquàm eadem cum illis cœperũt poſſidere. Age fruantur ij ſanè ſuo iure, quod ceu præſcriptione ſibi uindicãt. Vnum hominum genus ſupereſt, qui ſic aſtricti ſunt religioni, ut etiam ſi cupiant, nullo pacto queant excutere, nõ magis profecto, quàm teſtudo domũ. Sperarẽ apud hos mihi fore locum, niſi toties fruſtrata ſpes me prorſus deſperare docuiſſet. Et tamen ne quid intentatum relinquã, experiar. Quæris exitum? A nullis reſilij magis. Nam quid ſperem, ubi religio cum religione diſſidet? Tot factiones ſunt, quot ſunt ſodalitia, Dominicales diſſident cum Minoritis, Benedictini cum Bernardinis, tot nomina, tot cultus, tot ceremoniæ ſtudio

diuersæ, ne quid omnino conueniret, sua cuiq; placẽt, aliena damnat & odit quisq;. Quin idem sodalitium factionibus scinditur, obseruantes insectantur Coletas, utriq; tertium genus, quod à conuentu cognomẽ habet, cum nihil inter istos conueniat. Iam ut par est, omnibus rebus diffisa, optabam uel in uno quopiam monasteriolo latitare, quod uere tranquillũ esset. Inuita dicam, quod utinam non esset uerissimum, nullum adhuc reperi, quod non intestinis odijs ac iurgijs esset infectum. Pudor sit recensere, quàm nihili de nugis tricisq; quantas cieant pugnas uiri senes, barba pallioq; uerendi, postremo, ut sibi uidentur, impense tum eruditi, tum sancti. Arridebat spes nonnulla, fore, ut alicubi inter tot coniugia qualiscunq; daretur locus. Quid enim non pollicetur, domus communis, fortuna communis, lectus communis, liberi communes? Denique corporum ipsorum ius mutuum, ut unum potius hominem credas è duobus conflatum, quàm duos? Huc quoq; sceleratissima illa Eris irrepsit, totq; uinculis copulatos dirimit dissidijs animorũ. Et tamen inter hos citius cõtingat locus, quàm inter eos, qui tot titulis, tot insignibus, tot ceremonijs absolutam charitatem profitentur. Tandem illud in uotis esse cœpit, ut saltem in unius hominis pectore daretur locus. Ne id quidem contigit, idem homo secum pugnat, Ratio belligerat cum affectibus, & insuper affectus cum affectu cõfli-

ctatur,

ctatur,dū aliò uocat pietas,aliò trahit cupiditas: rur/ sum aliud ſuadet libido,aliud ira,aliud ambitio,aliud auaritia. Et huiuſmodi cum ſint, non pudet tamen il/ los appellari Chriſtianos, cum modis omnibus diſſi/ deant ab eo,quod Chriſto præcipuum eſt ac peculia/ re. Vniuerſam eius uitam contemplare, quid aliud eſt quàm concordiæ mutuiq; amoris doctrina? Quid aliud inculcant eius præcepta,quid parabolæ, niſi pa/ cem, niſi charitatē mutuā? Egregius ille uates Eſaias, cum cœleſti afflatus ſpiritu, Chriſtum illum rerum o/ mnium conciliatorem uenturum annunciaret,num ſa trapam pollicetur? num urbium euerſorem? num bel/ latorem? num triumphatorem? Nequaquam. Quid igitur? Principem pacis. Siquidem cum omnium opti mum principē intelligi uellet, ab ea re denotauit, quā omnium optimam iudicaſſet. Neq; mirum ita uiſum Eſaiæ, cum Syllius Ethnicus Poëta hunc in modum de me ſcripſerit,

Pax optima rerum,quas homini natura dedit.

Concinit huic myſticus ille Citharœdus: Et factus eſt,inquiens,in pace locus eius. In pace dixit, nō in ten toriis, non in caſtris. Princeps eſt pacis,pacem amat, offenditur diſſidio. Rurſum Eſaias: Opus iuſtitiæ pa/ cem appellat,idem ſentiens,ni fallor,quod ſenſit Pau/ lus ille, & ipſe è Saulo turbulento redditus trāquillus, & pacis doctor,cum charitatem cæteris omnibus arca ni ſpiritus.

ni ſpiritus dotibus anteponens, quo pectore, qua facundia meum encomium detonuit Corinthijs? Cur enim non glorier ſic laudari à uiro tã laudato? Is aliâs Deum pacis appellat, aliâs pacem Dei uocat, palàm indicans hæc duo ſic inter ſeſe cohærere, ut ibi pax eſſe non poſſit, ubi Deus non adſit: nec illic eſſe Deus poſſit, ubi pax non adſit. Itidem & pacis angelos in diuinis libris uocatos legimus, pios ac Dei miniſtros, ut per ſe liqueat, quos belli angelos oporteat accipi. Audite ſtrennui bellatores, uidete ſub cuius ſignis militetis, nimirum illius, qui primus diſſidiũ ſeuit inter Deũ & hominem. Quicquid calamitatũ ſentit mortalitas, huic diſſidio debet acceptum ferre. Friuolum eſt enim quod argutantur quidam, in arcanis literis Deũ exercituum, & Deum ultionum dici. Permultum enim intereſt inter Iudæorum Deum, & Chriſtianorũ Deũ, etiamſi ſuapte natura unus & idẽ Deus eſt. Aut ſi nobis quoq; placent tituli ueteres, age ſit exercituum Deus, modo acies intelligas uirtutum concentum, quarũ præſidio uitia demoliuntur homines pij. Sit ultionũ Deus, modo uindictam accipias, uitiorum correctionem, ut cruentas ſtrages, quibus Hebræorum libri referti ſunt, non ad laniandos homines, ſed ad impios affectus è pectore profligandos referas. Sed ut quod inſtitutum erat, perſequamur, quoties abſolutam felicitatem ſignificant arcanæ literæ, pacis nomine id declarant.

Confutatio.

clarât. Velut Esaias: Sedebit, inquit, populus meus in pulchritudine pacis. Et alius: Pax, inquit, super Israël. Rursum Esaias admiratur pedes annunciantium pacem, annunciantium bona. Quisquis Christum annũciat, pacem annunciat. Quisquis bellum prædicat, illũ prædicat, qui Christi dissimillimus est. Age iam, quæres dei filium pellexit in terras, nisi ut mundum patri reconciliaret? ut homines inter se mutua & indissolubili charitate conglutinaret? postremo, ut ipsum hominem sibi faceret amicũ? Mea igit̃ gratia legatus erat, meum agebat negocium. Atq; ob id Solomonem sui typum ferre uoluit, qui nobis εἰρηνοποιὸς, id est pacificus dicitur. Quantumuis magnus erat Dauid, tamen quia bellator erat, quia sanguine fuerat inquinatus, non sinitur extruere domum domini, non meret̃ hac parte gerere typum Christi pacifici. Iam illud interim perpende bellator, si prophanant bella, numinis iussu susceptа gestaq́; , quid facient quæ suasit ambitio, quæ ira, quæ furor? Si pium regem polluit effusus sanguis Ethnicorum, quid faciet tam ingens effusio sanguinis Christiani? Obsecro te Christiane princeps, si modo uere Christianus es, contẽplare tui principis imaginẽ, obserua quomodo regnũ suum inierit, quomodo progressus sit, quomodo hinc decesserit, & mox intelliges quomodo abs te geri uelit, nimirum ut summa curarum tuarum pax sit, & concordia. Nato iam Christo,

num bellicis tubis insonant angeli? Clangorem tubarũ audiere Iudæi, quibus bellare permissum est. Hæc congruebant auspicia, quibus fas erat odisse inimicos, At genti pacificæ longe aliam cantionem canunt pacis angeli. Num classicum canunt? Num victorias, triumphos, trophæaq; pollicentur? Minime. Quid tandem? pacem annunciant, congruentes cum prophetarum oraculis, & annunciant non ijs, qui cædes spirant ac bella, qui feroces ad arma gestiunt, sed qui bona uoluntate propensi sint ad concordiam. Prætexant quæuelint suo morbo mortales, ni bellum amarent, nõ sic iugibus bellis inter se conflictarentur. Age Christus ipse iam adultus, quid aliud docuit, quid aliud expressit, quàm pacem? Pacis omine suos subinde salutat, Pax uobis, eamq; salutandi formam suis præscribit, uelut unice dignam Christianis. Atq; huius præcepti non immemores Apostoli, pacem præfantur in suis Epistolis, pacem optant ijs, quos unice diligunt. Rem præclaram optat, qui salutem optat, sed felicitatis summam precatur, quisquis pacem precatur. Hanc ille toties in omni uita commendatam, uide quãta sollicitudine commẽdet moriturus. Diligatis, inquit, inuicem sicut dilexi uos. Ac rursum: Pacem meã do uobis, pacem relinquo uobis. Auditis quid relinquat suis? num equos? num satellitium? num imperium? num opes? nihil horum. Quid igitur? pacem dat, pacẽ relinquit,

pacem cum amicis,pacem cum inimicis. Iam illud mihi consideres uelim, quid à cœna mystica, iam imminente mortis tempore,supremis illis precibus flagitarit à patre. Rem opinor haud uulgarem popoſcit,qui ſe sciebat impetraturum quicquid peteret. Pater, inquit,ſancte,ſerua eos in nomine tuo, ut ſint unum,sicut & nos. Vide quæſo, quàm insignem concordiam exigat in ſuis Christus:nó dixit,ut ſint unanimes, ſed ut ſint unum, neq; id quocunq; modo, ſed ſicuti nos, inquit,unum ſumus, qui perfectiſſima & ineffabili ratione ſumus idem,& illud obiter indicans,hac una uia ſeruandos eſſe mortales, ſi mutuam inter ſeſe pacem aluerint. Porrò quod huius mundi principes insigni quopiam ſuos notant,quo poſſint à cæteris dignoſci, præſertim in bello. Vide qua tandem nota Christus insignierit ſuos,non alia uidelicet, quàm mutuæ charitatis. Hoc inquiens argumento cognoſcent homines uos eſſe meos diſcipulos, non ſi ſic aut ſic ueſtiamini, non ſi his aut his ueſcamini cibis,nó ſi tantum ieiunetis,non ſi tantum pſalmorum exhauſeritis, ſed ſi dilexeritis inuicem,neq; id ſanè uulgari modo,ſed quemadmodũ ego dilexi uos. Innumera ſunt philoſophorum præcepta,uaria ſunt Moyſi, plurima regum ædicta,unicum eſt,inquit,præceptũ meum, ut ametis inuicem. Idem orandi formam ſuis præſcribens, nónne in ipſo ſtatim initio mire admonet concordiæ Chri-

ſtianæ? Pater, inquit, noſter. Vnius eſt precatio, una communis omniũ eſt poſtulatio, una domus, eadẽq; familia ſunt omnes, ab uno patre pendent omnes, & qui conuenit eos iugibus bellis inter ſeſe conflictari? Quo ore compellas communem patrem, ſi in fratris tui uiſcera ferrum ſtringis? Iam quoniam unum hoc uoluit altiſſime inſidere ſuorum animis, quot ſymbolis, quot parabolis, quot præceptis concordiæ ſtudium inculcauit? Se paſtorem uocat, ſuos oues. Et obſecro, quis unquam uidit oues pugnantes cum ouibus? Aut quid faciũt lupi, ſi grex ipſe ſemet inuicem lacerat? Cũ ſe uitis ſtirpem uocat, ſuos uero palmites, quid aliud quàm expreſſit unanimitatem? Portentum uideatur piaculis procurandum, ſi in eadem uite palmes cũ palmite bellet: & oſtentum nõ eſt, ſi Chriſtianus pugnet cum Chriſtiano? Poſtremo ſi quid omnino Chriſtianis ſacroſanctum eſt, certe ſacroſanctum eſſe debet, ac penitus animis illorum inſidere, quæ Chriſtus extremis illis mandatis tradidit, ueluti teſtamentum condens, ac filijs ea cõmendans, quæ cuperet illis nunquã uenire in obliuionẽ. Aut quid aliud in his docet, mandat, præcipit, orat, niſi mutuum inter ipſos amorem? Quid illa ſacroſancti panis, & calicis philoteſij cõmunio, niſi nouam quandam & indiſſolubilem concordiam ſanxit? Cæterum quando ſciebat non poſſe cõſtare pacem, ubi de magiſtratu, de gloria, de opibus, de

uindicta

uindicta certamen est, ideo penitus affectus eiusmodi reuellit ex animis suorum, uetat in totum ne malo resistant, iubet ut & de male merentibus bene mereantur si possint, bene precentur male precãtibus. Et Christiani sibi uidentur, qui ob quantumuis leuem iniuriolam, magnã orbis partem in bellum pertrahunt? Præcipit ut qui in suo populo sit princeps, is ministrum agat, nec alia re præcellat alijs, nisi quod melior sit, & pluribus prosit. Et non pudet quosdam ob pusillam accessiunculam, regni pomœrijs addẽdam, tantos cieretumultus? Docet auium & liliorum ritu in diem uiuere. Vetat sollicitudinem in posterum diem extendere, uult totos è cœlo pendere, diuites omnes excludit à regno cœlorum: & nõ uerentur quidam ob pecuniolam non exolutam, fortasse nec debitam, tantum humani sanguinis effundere? Atque his temporibus hæ uel iustissimæ suscipiendi belli causæ uident. Profecto haud aliud agit Christus, iubens ut unum quiddam à se discant, miti esse animo, minimeq; feroci. Cum iubet relinqui donariũ ad aram, nec prius offerri, quàm cum fratre reditum sit in gratiam, nónne palàm docet rebus omnibus anteponendam esse concordiam, nec ullam uictimam esse Deo gratam, nisi commendante me? Respuebat Deus Iudaicum munus, fortasis hœdum, aut ouem, quod à dissidentibus offerret: & Christiani sic inter sese belligerantes, sacrosanctam

illam uictimam audent offerre? Iam cũ ſe gallinæ pul los ſub alas aggreganti facit adſimilem, & apto ſym- bolo depinxit concordiam? Ille congregator eſt, & qui conuenit Chriſtianos eſſe miluios? Eódem pertinet, quod lapis dictus eſt angularis, utrunq; parietem cõ/ mittens & continens: & qui conuenit, ut huius uicarij totum orbem ad arma cõmoueãt, regnaq; regnis cõ/ mittant? Summum illum conciliatorem habent prin/ cipem, ut iactant, & nullis rationibus ipſi ſibi poſſunt reconciliari. Cõciliauit ille Pilatũ & Herodem, & ſuos in concordiam redigere non poteſt? Petrum adhuc ſe mijudæum, qui in præſenti capitis diſcrimine, dominũ ac præceptorẽ tueri parabat, obiurgat ipſe qui defen/ debat, gladiũq; iubet recondere: & Chriſtianis ob le/ uiſſimas cauſas nunquã nõ expromptus diſtrictusq; eſt gladius, idq; in Chriſtianos. An ille ſe gladij præſi dio defenſum uelit, qui moriens deprecatur pro necis autoribus? Omnes Chriſtianorum literæ, ſiue uetus legas Teſtamentum, ſiue nouum, nihil aliud quàm pacem & unanimitatem crepãt, & omnis Chriſtiano/ rũ uita nihil aliud quàm bella tractat? Quæ nam eſt hæc pluſquàm ferina feritas, quæ tot rebus nec uinci poteſt, nec leniri? Quin potius aut Chriſtianorum ti/ tulo gloriari deſinant, aut Chriſti doctrinam expri/ mant concordia. Quouſq; uita pugnabit cum nomi/ ne? Inſignite quantumlibet ædes ueſtesq; crucis ima/

gine,

gine,non agnoſcet Chriſtus ſymbolum,niſi quod ipſe præſcripſit,uidelicet cõcordiæ. Congregati uident eum tem in cœlum , congregati iubentur operiri ſpiritum cœleſtem. Et inter congregatos ſe ſemper uerſaturum promiſerat , ne quis ſperaret uſquam in bellis adeſſe Chriſtũ. Iam igneus ille ſpiritus , quid aliud eſt quàm charitas? Nihil igne communius, citra diſpendium ullum ignis igni accenditur. Vis autem cognoſcere ſpiritum illum cõcordiæ parentem eſſe? exitum uide. Erat, inquit,cunctis cor unum, & anima una. Tolle ſpiritũ è corpore,continuo dilabitur omnis illa membrorum compago. Tolle pacem,& perit omnis Chriſtianæ uitæ ſocietas. Tot hodie ſacramentis infundi cœleſtem ſpiritum affirmant Theologi. Si uerum prædicãt, ubi peculiaris ſpiritus illius effectus , cor unum & anima una? Sin fabulæ ſunt, cur tantum honoris hiſce rebus defertur? Atq; hæc ſanè dixerim, quo magis Chriſtianos ſuorum morum pudeat , nõ quo ſacramentis aliquid detraham . Nam quod populum Chriſtianum Eccleſiam uocari placuit, quid aliud quàm unanimitatis admonet? Qui conuenit caſtris & Eccleſiæ? Hæc aggregationem ſonat,illa diſſidium: ſi pars Eccleſiæ gloriaris eſſe, quid tibi cum bellis ? ſi ab Eccleſia ſemotus es,quid tibi cum Chriſto? Si eadem omneis habet domus,ſi communem habetis principem,ſi eidem militis omnes , ſi ſacramentis iiſdem eſtis initiati,ſi iiſdem

gaudetis

gaudetis donatiuis, si ijsdem alimini stipendijs, si commune petitur præmium, quid ita inter uos tumultuamini? Videmus inter impios istos commilitones, qui mercede ad cædis peragendæ ministerium cõducti ueniunt, tantam esse concordiam, nõ ob aliud, nisi quod sub ijsdem militant signis, & pietatem profitentes tot res non conglutinant? Itáne nihil agitur tot Sacramẽtis? Baptismus communis omnium, per hũc Christo renascimur, & execti mundo Christi membris inserimur. Quid autem tam idem esse potest, quàm eiusdẽ corporis membra? Ab hoc igitur, neq; seruus est quisquam, neq; liber, neq; Barbarus, neq; Græcus, neque uir, neq; fœmina, sed omnes idem in Christo sunt, qui omnia redigit in concordiam. Scythas ita iungit paululum sanguinis utrinq; gustati è calice, ut pro amico nihil conctentur & mortem oppetere, Ethnicis etiam sancta est amicitia, quam mensa communis conciliauit: & Christianos cœlestis ille panis, ac mysticus ille calix non continet in amicitia, quam ipse sanxit Christus, quam illi quotidie renouant, ac repræsentãt sacrificijs? Si nihil illic egit Christus, quorsum opus hodie tot ceremonijs? si rem seriam egit, cur sic à uobis negligitur, quasi rem ludicram ac scenicam egerit? Audet quisquam ad sacram illam mensam amicitiæ symbolum, audet ad pacis conuiuium accedere, qui bellũ destinat in Christianos, & eos parat perdere, pro quibus seruandis

seruandis mortuus est Christus, eorum haurire sanguinem, pro quibus suum sanguinẽ fudit Christus? O pectora plusquàm adamantina, in rebus tam multis consortium est, & in uita tam inexplicabile dissidium? Eadem nascendi lex omnibus, eadem senescendi moriendiq; necessitas. Eundem generis principem habent omnes, eundẽ religionis autorem, eodem omnes redempti sanguine, ijsdem omnes initiati sacris, ijsdẽ aluntur sacramẽtis, quicquid ex his redit muneris, ab eodem proficiscitur fonte, & ex æquo commune est omnibus. Eadem omnium Ecclesia, denique præmium idem omnium. Quin cœlestis illa Hierusalem, ad quã suspirant uere Christiani, à pacis uisione nomen habet, cuius interim Ecclesia typum sustinet. Et qui fit, ut hæc tantopere discrepet ab exẽplari? Adeo nihil promouit tot uijs solers natura, nihil ipse Christus perfecit tot præceptis, tot mysterijs, tot symbolis? Vel ipsa mala conciliant & malos, iuxta prouerbium: Christianos inter se, nec bona, nec mala ulla conciliant. Quid humana uita fragilius, quid breuius? quot ea morbis, quot casibus obnoxia? Et tamen cum plus habeat ex sese malorum, quàm ut ferri possit, tamen maximam malorum partem ipsi sibi accersunt dementes. Tanta cæcitas humanos animos occupat, ut nihil horũ perspiciat. Sic præcipites aguntur, ut omnia naturæ Christiq; uincula, omnia fœdera rumpãt, dissecent, diffrin

gant. Pugnant passim atq; assidue, tumultuandi nec modus, nec finis. Colliditur gens cum gente, ciuitas cũ ciuitate, factio cum factione, princeps cum principe, & ob duorum homuncionum, qui mox uelut ephemera sint interituri, seu stultitiam, seu ambitionẽ, res humanæ sursum deorsum miscentur. Missas faciam ueterum bellorum tragœdias. Repetamus decem ab hinc annis acta, ubi non gentium crudelissime pugnatum est terra, mariq; ? Quæ regio non Christiano sanguine commaduit ? Quod flumen, quod mare, non humano cruore tinctum est ? Et ô pudor, pugnãt immanius, quàm Iudæi, quàm Ethnici, & feræ. Quicquid bellorum Iudæis gestum est aduersus Allophylos, id Christianis gerẽdum erat aduersus uitia, quibus nũc cum uitijs conuenit, cum hominibus bellum est. Et tamen Iudæos diuina iussio ducebat ad pugnam. Christianos, si prætextibus detractis, rem uere æstimes, transuersos rapit ambitio, agit ira pessimus consultor, pertrahit habendi nunquam satiata cupiditas. Atque his ferè cum exteris res erat, Christianis cum Turcis fœdus est, inter ipsos bellum. Iam Ethnicos tyrannos ferè gloriæ sitis ad bellum extimulabat, atq; hi tamen sic Barbaras atq; efferas nationes subigebant, ut uinci expediret, & uictor de uictis benemereri studeret. Dabant operam, ut quàm fieri posset, incruenta esset uictoria, quo simul & uictori honesta fama præmiũ esset,

esset,& uictis solatium uictoris benignitas. At pudet meminisse, quàm pudendis, quàm friuolis de causis, Christiani principes orbem ad arma cõcitent. Hic obsoletum ac putrem aliquẽ titulum, aut reperit, aut cõmentus est. Quasi uero ita magni referat, quis regnũ administret, modo publicis commodis recte consulatur. Ille causatur omissum nescio quid in fœdere centũ capitum. Hic illi priuatim infensus est, ob sponsam interceptam, aut scomma liberius dictum. Et quod est omnium sceleratissimum, sunt qui tyrãnica arte, quod populi cõcordia potestatem suã labefactari sentiant, dissidio stabiliri, subornent qui data opera bellum excitent, quo simul & coniunctos dirimant, & infelicem populum licentius expilent, id procurant scelestissimi quidam, qui populi malis aluntur, & quibus pacis tempore non multum est quod agant in Repub. Quæ Tartarea furia uenenum hoc in pectus Christianum potuit immittere? Quis hãc tyrannidem docuit Christicolas, quam nec Dionysius ullus, nec Mœzentius ullus, nec Phalaris ullus nouit? Beluæ uerius quàm homines, & sola tyrannide nobiles, nec usquam cordati nisi ad nocendum, nec unquam concordes, nisi ad opprimendam Rempub. Et hæc qui gerũt, pro Christianis habentur, audent humano sanguine undiq; polluti, ad sacras ædes, ad sacras aras accedere. O pestes in extremas insulas deportandas. Si Christiani corporis

unius membra sunt, cur non gratulatur quisq; alienæ felicitati? Nunc propè iusta mouendi belli causa uidetur, regnum finitimum, rebus omnibus paulo florentius. Etenim si uerum fateri uolumus, quid aliud commouit, & hodie commouet tam multos ad armis lacessendum Franciæ regnum, nisi quod est unũ omniũ florentissimum? Nullum latius patet, nusquam senatus augustior, nusquam Academia celebrior, nusquã concordia maior, & ob hoc ipsum potestas summa. Nusquam æque florent leges, nusquam illibatior religio, nec Iudæorum cõmercio corrupta, uelut apud Italos, nec Turcarum aut Maranorũ uicinia infecta, quẽadmodum apud Hispanos & Hungaros. Germania, ne quid dicã de Bohœmis, in tot regulos dissecta est, ac regni ne species quidem ulla. Sola Francia ceu flos illibatus Christianæ ditionis, & uelut arx quædam tutissima, si qua fors tempestas ingruat, tot modis impetitur, tot artibus incessitur, nec ob aliud, nisi cuius gratia cõueniebat gratulari, si qua uæna Christianæ mentis esset in istis. Atq; his tam impijs factis prætexitur titulus pius, sic sternunt uiam ad propagandum imperium Christi. O rem monstrosam, parum consultum putant Reipub. Christianæ, nisi pulcherrimam ac felicissimam ditionis Christianæ partem subuerterint. Quid quod in his tractandis feras etiam ipsas feritate præcedunt? Non omnes pugnant beluæ, nec ferarum.

rum,nisi in diuersum genus conflictatio est,quemad-modum & ante diximus,sæpius inculcãdum,quo ma-gis inhæreat animis. Vipera nõ mordet uiperam,nec lynx lyncem discerpit. Ac rursum illæ cum pugnant, suis pugnant armis,illas armauit natura:homines in-ermes natos,ô deum immortalem, qualibus armis ar mat ira? Tartareis machinis impetũt Christiani Chri stianos. Quis enim credat bombardas,hominis inuẽ-tum esse? Nec illæ tam densis agminibus in mutuum exitium ruunt. Quis unquam uidit decem leones cum decem tauris congredi? At quoties uiginti millia Chri stianorum cum totidem Christianis ferro decertant? Tanti est lædere,tanti est haurire sanguinem fratrum. Nec illis ferè bellum est,nisi cum fames,aut cura sobo lis in rabiem agit. At Christianis quæ tam leuis iniu-ria est,ut non uideatur idonea bellandi occasio? Si fa-ceret ista plebes,utcunq; prætexi poterat inscitia. Si iu uenes,excusari poterat ætatis imperitia. Si prophani, nonnihil eleuaret atrocitatem facti personæ qualitas. Nunc ab ijs potissimum uidemus oriri bellorum semi na,quorum consilio moderationeq; populi motus cõ poni conueniebat. Contẽptum illud & ignobile uul-gus condit egregias urbes, conditas ciuiliter admini-strat,administrando locupletat. In has irrepunt satra-pæ,& ceu fuci,quod aliena partum est industria,surri-piunt,& quod à plurimis bene congestum est, à pau-

cis male dissipatur, quod recte conditum, crudelissime diruitur. Quod si prisca non meminerunt, repetat qui uolet, secum hisce duodecim annis gesta bella, causas expendat, comperiet omnia principū gratia suscepta, magno populi malo gesta, cum ne tantillum quidem ad populum attineret. Iam quod olim fœdum habebatur apud Ethnicos, caniciem galea premere, ut inquit ille, id apud Christianos laudi ducitur. Turpe senex miles Naſoni, & istis magnifica res est bellator septuagenarius. Imò ne sacerdotes quidē ipsos pudet, quos olim Deus nec in sanguinaria illa & inclementi lege Moysi, uoluit ullo sanguine pollui: non pudet Theologos Christianæ uitæ magistros, nō pudet absolutæ religionis professores, nō pudet episcopos, nō pudet Cardinales & Christi uicarios, eius rei autores ac faces esse, quam Christus tantopere detestatus est. Qui conuenit mitræ & galeæ? Quid pedo cū gladio? Quid Euangelico codici cum clypeo? Qui cōuenit pacis omine salutare populum, & orbem ad turbulentissimas pugnas concitare? pacem dare lingua, re bellum immittere? Tun' eodem ore quo Christum pacificum prædicas, bellum laudas, eademq; tuba Deum canis & satanam? Tun' apud concionem sacram, cuculla tectus, ad cædem incitas simplicem populū, qui ex ore tuo doctrinam expectabat Euangelicam? Tun' apostolorum occupans locum, pugnantia doces cum apo

stolorum

ſtolorum præceptis? An nó uereris, ne quod de Chriſti præconibus dictum eſt, Quàm ſpecioſi pedes nunciantium pacem, nunciantium bona, nunciantium ſalutem, in diuerſum uertatur, Quàm fœda lingua ſacerdotum, adhortantium ad bellum, incitantium ad mala, prouocantium ad perniciem? Apud Romanos adhuc impie pios, qui pontificium maximum iniret, ex more confirmabat iureiurãdo, ſe manus ab omni ſanguine puras ſeruaturum, adeo ut ne læſus quidem ulciſceretur. Atq; huius ſacramenti fidem cõſtanter præſtitit Titus Veſpaſianus, imperator Ethnicus, idq; laudi datur à ſcriptore Ethnico. At ô prorſus ſublatam è rebus humanis frontem, apud Chriſtianos Deo dicati ſacerdotes, & qui his quoq; ſanctius aliquid præ ſe ferunt monachi, ad cædes, ad ſtrages inflammãt principum ac plebis animos. Et Euangelij tubam Martis tubam faciũt, obliti dignitatis ſuæ ſurſum ac deorſum curſitant, nihil non tum faciunt, tum patiuntur, dum bellum excitent: & per hos principes alioqui fortaſſis quieturi, ad pugnam inflammantur, quorum autoritate tumultuantes ſedari conueniebat. Imò quod eſt prodigioſius, belligerantur ipſi, idq; earum rerum gratia, quas & apud impios contemnere philoſophi, quarumq; cõtemptus proprius ac peculiaris eſt uiris apoſtolicis. Ante paucos annos, cum fatali quodam morbo mundus ad arma raperetur, Euangelici præcones,

hoc

hoc eſt, Minores ac Dominicani quidam è ſuggeſto ſacro claſſicum canebãt,& ultro ad furiam propenſos magis accendebant. Apud Britannos animabant in Gallos,apud Gallos animabãt in Britannos.Omnes ad bellum inſtigabant.Ad pacem nemo prouocabat, præter unum aut alterũ, quibus penè capitale fuit me uel nominaſſe. Curſitabant ultro citroq; ſacroſancti præſules,& dignitatis & profeſſionis ſuæ obliti,publi/cum orbis morbum opera ſua exacerbantes,tum hinc Iulium pontificem Romanum, hinc reges ad matu/randum bellum inſtigantes, perinde quaſi non ſatis ipſi ſua ſponte inſanirent,& tamen hanc manifeſtariã inſaniam magnificis titulis prætexímus. Huc patrum leges,huc piorum hominum ſcripta, huc arcanæ ſcri/pturæ uerba impudentiſſime detorquemus,ne dicam impie. Imò iam eò propè redijt res, ut ſtultum & im/pium ſit aduerſus bellum hiſcere, & id laudare quod in primis ore Chriſti laudatum eſt. Parum conſulere populo,parũ fauere principi uidetur, qui ſuaſerit rem omnium ſaluberrimam, & ab omnium peſtilẽtiſſima dehortetur. Iam ipſa caſtra ſequũtur ſacrifici, præſunt in caſtris epiſcopi,& relictis eccleſijs ſuis,Bellonæ rem agunt.Imò gignit iam bellum ſacerdotes, gignit epi/ſcopos,gignit Cardinales,quibus Campi legatus ho/norificus titulus,& apoſtolorum ſucceſſoribus dignus habetur.Quo minus mirum,ſi Martem ſpirant,quos

Mars

Mars genuit. Et quo malum ſit inſanabilius, tantam impietatem pietatis ſpecie prætexunt. Vexilla crucem habent. Miles impius, & nummis aliquot ad lanienā ac cædem cō ductus, crucis inſigne præfert, & belli ſym bolum eſt, quod ſolum dedocere bellū poterat. Quid tibi cum cruce ſcelerate miles? Iſtis animis, iſtis factis, dracones, tigrides, ac lupi conueniebant. Iſtud ſignum eius eſt, qui non pugnando, ſed moriēdo uicit, qui ſeruauit, non perdidit, quodq; cum primis admonere te poterat, cū quibus hoſtibus tibi res ſit, ſi modo Chriſtianus es, & qua ratione uincendum ſit. Tu ſalutis inſigne geſtas, ad fratris perniciem properans, & cruce perdis eum, qui cruce ſeruatus eſt? Quid quod ab arcanis illis & adorandis ſacris, nā hæc quoq; pertrahuntur in caſtra, in quibus inprimis ſumma Chriſtianorum concordia repræſentatur, curritur in aciem, dirum ferrum in fratris uiſcera ſtringitur, & facinoris omniū ſceleratiſſimi, quo non aliud eſſe poteſt impijs ſpiritibus gratius, Chriſtum faciunt ſpectatorem, ſi tamē illic dignatur adeſſe Chriſtus. Denicq; quod eſt omniū abſurdiſſimum, in utriſq; caſtris, in utraque acie crucis ſignum relucet, in utriſque ſacra peragūtur. Quid hoc mōſtri eſt? pugnat crux cum cruce, Chriſtus aduerſus Chriſtum belligeratur? Hoc ſignum Chriſtiani nominis hoſtes terrere ſolet. Cur nūc oppugnāt, quod adorant? homines non una digni cruce, ſed uera. Quæſo,

quid in hiſce ſacris orat miles, Pater noſter? Os durũ, audes eum appellare patrem, qui fratris tui iugulum petis? Sanctificetur nomen tuum. Qui magis dehonestari poterat nomen Dei, quàm iſtiuſmodi inter uos tumultibus? Adueniat regnum tuum. Sic oras, qui tãto ſanguine tyrannidem tuam moliris? Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, ita & in terra. Pacẽ uult ille, & tu bellum paras? Panem quotidianum à cõmuni patre petis, qui fraternas exuris ſegetes, & tibi quoque mauis perire, quàm illi prodeſſe? Iam quonã ore dices illud? Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, qui ad paricidium feſtinas? Deprecaris periculum tentationis, qui tuo periculo fratrem in periculum pertrahis? A malo liberari poſtulas, cuius inſtinctu ſummum malum fratri machinaris? Plato negat appellandũ bellum, quod Græci moueãt aduerſus Græcos. Seditio eſt, inquit. Et iſtis ſanctum etiã bellum eſt, quod ob quamlibet cauſam tali milite, talibus armis cũ Chriſtiano gerit Chriſtianus? Ethnicorum leges, culeo inſutum in profluentem abiiciunt, qui ferrum fraterno ſanguine imbuerit. An minus fratres ſunt, quos Chriſtus copulauit, & quos ſanguinis propinquitas? Et tamen hic præmiũ eſt paricidio. O miſeram bellantium ſortem. Qui uincit, paricida eſt: qui uincitur, perit. Nihilo ſecius paricidio obnoxius, quod paricidium conatus eſt. Et poſt hæc exe

crantur

crant Turcas uelut impios,& à Christo alienos,quasi uero cum hæc agũt,ipsi Christiani sint,aut quasi Turcis ullum spectaculum exhiberi possit iucũdius,quàm si cõspiciant illos mutuis telis sese cõfodientes. Immolant,ut aiunt, Turcæ dæmonibus, at cum his nulla uictima sit acceptior,quàm si Christianus mactet Christianum,quæso,quid aliud facis quàm illi? Tum enim gemina fruuntur hostia spiritus impij, cum pariter & qui mactat,& qui mactatur fit uictima. Si quis Turcis fauet,si quis amicus est dæmonibus,hostias huiusmodi frequenter offerat. Sed audio iamdudum, quid excusent homines in suum ipsorum malum ingenioси. Cogi se queruntur,& inuitos ad bellum pertrahi. Detrahe personam istam,abijce fucos, tuũ ipsius pectus consule,reperies iram,ambitionem,stultitiam huc pertraxisse,non necessitatem. Nisi forte hac fini necessitatem metiris,si non per omnia satis fiat animo. Ad populum phaleras,Deus fucis non deluditur. Atq; interea solennes aguntur supplicationes,magnis clamoribus petitur pax,uociferãtur immani boatu, ut pacem nobis dones,te rogamus,audi nos. Nónne iure optimo Deus istis responderit: Quid me ridetis? Rogatis ut depellam, quod ipsi uobis accersitis uolentes? Deprecamini, cuius ipsi uobis estis autores. Si quælibet offensa bellum parit,cui tandem non est quod queratur? Inter uxorem & maritum incidunt, ad quæ sit cõ-

Confutatio.

niuendum,niſi malis dirimi beneuolentiam. Quod ſi quid eiuſmodi ſit ortũ inter principes, quid opus erat mox ad arma rapi? Sunt leges, ſunt homines eruditi, ſunt uenerandi Abbates, ſunt reuerẽdi Epiſcopi,quorum ſalubri conſilio tumultus rerum cõponi poterat. Cur non hos potius arbitros faciunt, quos haud poſſint tam iniquos nanciſci, quin minore malo diſceſſuri ſint,quàm ſi armis experiantur? Vix ulla tam iniqua pax,quin bello uel æquiſſimo ſit potior. Prius expende ſingula,quæ bellũ uel poſtulat,uel adducit,& quantum lucri feceris intelliges.Summa eſt Romani pontificis autoritas. Aſt cum gentes, cum principes impijs bellis tumultuãtur,idq; annos aliquot,ubi tum Pontificum autoritas,ubi poteſtas Chriſto proxima? Hic certe erat expromenda,niſi ipſi ſimilibus tenerẽtur cupiditatibus. Vocat Pontifex ad bellum,paretur. Vocat idem ad pacem,cur non obtemperatur itidem? Si pacem malunt, cur Iulio bellandi autori tam alacriter obeditum eſt,Leoni ad pacem & concordiam prouocanti uix quiſquam obtemperat? Si uere ſacroſancta eſt Romani pontificis autoritas, certe maxime ualere par eſt,quoties ad id prouocat, q̃d unice docuit Chriſtus. Cæterum quos Iulius ad bellum exitiale potuit excitare,cum Leo ſanctiſſimus pontifex nõ idem poſſit,tot modis ad Chriſtianam concordiam prouocãs, declarant ſeſe, Eccleſiæ prætextu,ſuis ſeruiſſe cupiditatibus,

tibus,ne quid dicam acerbius. Si ex animo tædet bellorum,dabo consilium,quo concordiam tueri possitis. Solida pax haud constat affinitatibus, haud fœderibus hominum, ex quibus frequenter exoriri bella uidemus. Repurgandi fontes ipsi,unde malum hoc scatet,prauæ cupiditates tumultus istos pariunt. Et dum quisq; suis inseruit affectibus,interim affligitur Resp. nec tamen assequitur hoc ipsum quisq;,quod malis rationibus affectat. Sapiant principes,& populo sapiãt, non sibi,ac uere sapiant,ut maiestatem suam,ut felicitatem,ut opes,ut splendorem his rebus metiant̃,quæ uere magnos & excellentes faciunt. Sint eo animo erga Rempub. quo pater erga familiam. Ita se magnũ existimet rex, si quàm optimis imperet: ita felicem, si suos felices reddiderit:ita sublimem, si quàm maxime liberis imperet:ita opulentũ, si populum habeat opulentum:ita florentem,si ciuitates perpetua pace florẽtes habeat. Atq; hunc principis animũ imitentur proceres ac magistratus. Omnia Reip. cõmodis metiant̃, & hac uia rectius suis cõsuluerint commodis. Rex qui hoc sit animo,num is facile commouebitur, ut pecuniam à suis extorqueat,quam Barbaro militi numeret? Suos ad famã adiget, ut impios aliquot duces ditet? Num is suorum uitam tot periculis obñciet? Nõ opinor. Hactenus exerceat imperium,ut meminerit se hominem imperare hominibus, liberum liberis, postre-

mo Christianum Christianis. Huic uicissim tantũ de/ ferat populus, quatenus ad publicam utilitatem cõdu cit. Non aliud exiget bonus princeps. Mali uero cupi/ ditates retundet ciuium consensus. Absit utrinque pri uati commodi ratio. Plurimum honoris habeatur ijs, qui bellum excluserint, qui cõcordiam restituerint in/ genio consilióue suo. Denicq; qui hoc modis omnibus moliatur, non ut maximam militum ac machinarum uim comparet, sed ut ijs non sit opus. Quod pulcherri mum facinus, tot imperatorũ unus Diocletianus ani/ mo concepisse legitur. Quod si bellum uitari non po/ test, ita geratur, ut summa malorum in eorum capita recidat, qui belli dedere causas. Nũc principes tuti bel/ ligerantur, ductores hinc crescunt, maxima malorum pars in agricolas ac plebem effunditur, ad quos nec at tinet bellum, nec ipsi belli causam ullam dederũt. Vbi principis sapientia, si hæc nõ perpendit? ubi principis animus, si hæc leuia ducit? Inuenienda ratio, qua fiat ne toties mutentur, ac uelut obambulẽt imperia, quod omnis rerum nouatio tumultũ gignat, tumultus bel/ lum. Id facile fiet, si regũ liberi intra ditionis fines elo/ centur, aut si quẽ libeat finitimis adiungere, spes omni bus successionis præcisa esto. Nec fas sit principi ditio nis portionẽ ullam uendere aut alienare, perinde qua/ si priuata sint prædia, liberæ ciuitates. Nã liberæ sunt quibus rex imperat, seruiunt quos tyrannus premit.

Nunc

Nũc huiuſmodi matrimoniorum uicibus fit, ut apud Hybernos natus, repente imperet Indis, aut qui modo Syris imperabat, ſubito rex ſit Italiæ. Fitq; ut neutra regio principem habeat, dum priorem relinquit, & à poſteriore non agnoſcitur, nimirum ignotus, alioq; mũdo natus. Atq; interim dum illud parit, dum euincit, dum ſtabilit, alterum exhaurit proteritq;, nonnunquam amittit utrunq;, dum utrũq; complecti ſtudet, uix alteri adminiſtrando idoneus. Semel inter principes conueniat, quid quiſq; debeat adminiſtrare, ac ditionis fines ſemel datos, nulla proferat aut contrahat affinitas, nulla cõuellant fœdera. Ita ſuam quiſq; portionem enitetur quàm poteſt ornatiſſimam reddere: dum in unam omne ſtudium intendet, hanc conabit rebus optimis locupletatã ſuis liberis relinquere. Atq; hoc ſanè pacto futurum eſt, ut ubiq; floreant omnia. Cæterum inter ſeſe, non affinitatibus, aut factitijs ſodalitatibus, ſed ſyncera puraq; amicitia copulentur, maximeq; ſimili communiq; ſtudio benemerendi de rebus humanis. Principi uero ſuccedat, uel qui genere proximus, uel qui populi ſuffragijs maxime iudicabit idoneus. Cæteris ſat ſit, inter honeſtos haberi proceres. Regium eſt neſcire priuatos affectus, & omnia publicis commodis æſtimare. Ad hæc longinquas peregrinationes uitet princeps, imò pomœria regni nunquam tranſire uelit, memineritq; dicti longo ſeculorũ conſenſu

consensu probati, Frons occipitio prior est. Locupleta tum se existimet, non si quid alijs ademerit, sed si sua reddiderit meliora. Cum de bello agitur, ne adhibeat in consilium iuuenes, quibus ideo bellum placet, quod experti non sunt quātum habeat malorum: néue eos, quibus expedit turbari publicam tranquillitatē, quiq; populi calamitatibus aluntur, ac saginantur: senes cor datos & integros accersat, & quorū pietas patriæ spe ctata sit. Nec temere ad unius aut alterius libidinem bellum moueat, quod semel cœptum, haud facile finitur. Res omnium periculosissima, nō nisi totius populi consensu suscipiatur. Belli causæ statim præcidendæ sunt. Ad quædam conniuendum, comitas comitatem inuitabit. Nonnunquam emenda pax. Ea si ratione subduxeris, quid bellum fuerit exhausturum, & quot ciues ab exitio serues, paruo empta uidebitur, etiamsi magno emeris, quando præter ciuium tuorum sangui nem, plus erat bello impendendum. Ineas rationem, quantum malorum uitaris, quantum bonorum tuearis, & impendíj nō pœnitebit. Fungantur interim suo officio præsules, sacerdotes uere sint sacerdotes, monachi professionis suæ meminerint, theologi quod Christo dignum est doceant. Conspirent omnes aduersus bellū, in hoc latrēt omnes. Pacem publice priuatimq; prædicent, efferant, inculcēt. Tum si minus possint efficere, ne ferro decernatur, certe ne probent, ne intersint,

ne rei

ne rei uel tam ſceleratæ, uel certe tã ſuſpectæ, ipſis au-
toribus, honos habeat. Satis ſit in bello cæſis, in pro-
phano ſepulchrum dari. Si qui boni ſunt in hoc gene-
re, qui certe pauciſſimi ſunt, non ob hæc fraudabuntur
ſuo præmio. Cæterum impij, quæ maxima turba eſt,
minus ſibi placebunt, honore detracto. De his bellis
loquor, quæ uulgo Chriſtiani cũ Chriſtianis, leuibus
aut iniuſtis de cauſis committunt. Nec enim idem ſen
tio de his, qui ſimplici pioq; ſtudio uim incurſantium
Barbarorum depellunt, & ſuo periculo publicam trã-
quillitatem tuentur. Nunc trophæa ſanguine tincta
eorum, pro quorũ ſalute Chriſtus ſuum fudit ſangui-
nem, reponuntur in templis, inter apoſtolorũ ac mar-
tyrum ſtatuas, quaſi poſthac pium ſit futurum, nõ fie
ri martyres, ſed facere. Abunde magnum erat, hæc in
foro, aut armario quopiam repoſita ſeruari: in ſacras
ædes, quas puriſſimas eſſe decet, nihil recipi conuenit,
quod ſanguine ſit inquinatum. Sed antiquitas in tem
plis reponebat uictoriæ monumenta. Verum, ſed in
quibus ſacrificabatur dæmonibus, non deo. Sacerdo-
tes Deo ſacri nuſquam adſint, niſi ad dirimẽda bella.
In hæc ſi conſentiant, ſi eadem ubique inculcent, pluri-
mum habitura momenti eſt cõcors autoritas. Quod
ſi hic fatalis eſt humani ingenij morbus, ut prorſus
abſq; bellis durare nequeat, quin potius malum hoc
in Turcas effundit? Tametſi præſtabat & hos doctri

na,benefactis, uitæq; innocentia,ad Christi religionẽ allicere,quàm armis adoriri. Attamen si bellum,ut diximus,omnino uitari non potest, illud certe leuius sit malum, quàm sic impie Christianos inter se committi,collidiq;.Si mutua charitas illos nõ adglutinat,certe coniunget utcunq; communis hostis, & qualiscũq; syncretismus erit,ut absit uera cõcordia.Postremo magna pars pacis est,ex animo uelle pacem. Quibus eñ pax uere cordi est,hi omnes pacis occasiones arripiũt: quæ obstant,aut negligunt,aut amoliuntur,permulta ferunt,dum tantum bonum sit incolume.Nũc ipsi bellorum seminaria quærunt:quod ad concordiam facit, eleuant, aut dissimulãt etiam:quod ad bellum tendit, ultro exaggerant,exulcerantq;.Pudet referre,ex cuiusmodi nugis,quantas excitent tragœdias, & ex q; minuta scintillula,quæ rerũ tempestates exoriantur.Tũc illud iniuriarum agmen uenit in mentem, & suũ quisque malum sibi exaggerat. At benefactorum interim profunda obliuio,ut iures affectari bellũ.Et sæpe principum priuatum quiddam est, quod orbem ad arma compellit. At plusquàm publicũ esse debet, ob quod bellũ suscipiatur.Quin ubi nihil subest causæ,ipsi dissidiorum causas sibi fingũt,regionũ uocabulis ad odiorum alimoniam abutentes:& hunc stultæ plebis errorem alunt magnates, & in suum abutuntur compendium,alunt sacerdotes quidã. Anglus hostis est Gallo, nec

lo,nec ob aliud,nisi quod Gallus est. Scoto Britānus infensus est,nec aliā ob rem,nisi quod Scotus est. Germanus cum Franco dissidet,Hispanus cum utroq;.O prauitatem,disiungit inane loci uocabulum,cur nó potius tot res conciliant? Male uis Britannus Gallo. Cur nó potius bene uis homo homini? Christianus Christiano? Cur res friuola plus apud istos potest, q̄ tot naturæ nexus? tot Christi uincula? Locus corpora dirimit,non animos. Separabat olim Rhenus Gallum à Germano, at Rhenus non separat Christianum à Christiano. Pyrenæi mōtes Hispanos ab Italis seiungunt,at ijdem non dirimunt Ecclesiæ communionem. Mare dirimit Anglos à Gallis,at non dirimit religionis societatē. Paulus apostolus indignatur audire inter Christianos has uoces: Ego sum Apollo, ego sum Cephæ,ego sum Pauli,nec impia cognomina sinit secare Christum omnia conciliantem:& nos commune patriæ uocabulū grauem causam iudicamus, cur gens in gentis internitionem tendat? Ne id quidē satis nō nullorum animis bellorum auidis,praue datāq; opera dissidiorum ansas quærunt, ipsam diuidunt Galliam,& ea uocabulis distrahūt,quæ nec maria,nec montes, nec uera regionum nomina distrahunt. E Gallis Germanos faciunt,ne uel nominis consortio coalescat amicitia. Si in actionibus odiosis,uelut diuortij,nec litem facile recipit iudex,nec quamlibet admittit proba

tionem, cur isti in re omnium odiosissima quamlibet friuolam causam admittũt? Quin potius id quod res est cogitant, mundum hunc communem esse patriam omnium, si patriæ titulus conciliat: ab ijsdem maioribus ortos omneis, si facit amicos sanguinis affinitas: Ecclesiam unam esse familiam, ex æquo communem omnibus, si domus eadem copulat necessitudines, in hãc partem ingeniosos esse par est. Toleras quædam in socero, non ob aliud nisi quod socer est: & nihil toleras in eo, qui religionis consortio frater est? Multa cõdonas generis propinquitati, & nihil condonas affinitati religionis? Certe nullum uinculũ arctius alligat, quàm Christi sodalitas. Cur id solum ob oculos obuersatur, quod animum exulcerat? Si paci faues, sic cogita potius, in hoc læsit, sed sæpe aliâs profuit, aut alieno impulsu læsit. Postremo, quemadmodũ apud Homerum dissidij causas, quod inter Agamemnonẽ & Achillem intercesserat, in Aten deam reijciunt, qui uocant ad concordiam: ita quæ excusari non possunt, aliquando fatis imputentur, aut malo cuipiã si libet Genio, & in hæc odium ab ipsis hominibus transferatur. Cur magis ad perniciem suam sapiunt, quàm ad tuẽdam felicitatem? Cur ad malum, quàm ad bonũ sunt oculatiores? Qui paulo cordatiores sunt, expendunt, considerant, circumspiciunt, priusquàm priuatũ quoque negocium aggrediantur. Et clausis oculis præcipi-

tes in

tes in bellum ipſi ſeſe conijciunt, præſertim cum ſemel admiſſum,excludi non poſſit, quin è puſillo fit maximum, ex uno plura,ex incruento cruentum , maxime cum hæc procella non unum aut alterum affligat, ſed uniuerſos pariter inuoluat. Quod ſi uulgus hæc parũ expendit, certe principis & optimatũ partes ſunt,hæc ſecum reputare.Sacerdotum eſt iſta rationibus omnibus infulcire,uolentibus ac nolentibus ingerere. Hærebunt tandem ſi nuſquam non audiantur . Ad bellum geſtis? primum inſpice,cuiuſmodi res ſit pax,cuiuſmodi bellum,quid illa bonorum , quid hoc malorum ſecum uehat,atq; ita rationem ineas,num expediat pacem bello permutare.Si res quædam admirabilis eſt, regnum undiq; rebus optimis florens , bene conditis urbibus,bene cultis agris,optimis legibus, honeſtiſſimis diſciplinis,ſanctiſſimis moribus: cogita tecũ, hæc felicitas mihi perturbanda eſt,ſi bello.Contrà,ſi quando conſpexiſti ruinas urbiũ, dirutos uicos,exuſta phana,deſolatos agros,& id ſpectaculum miſerandum,ut eſt,uiſum eſt,cogita hunc eſſe belli fructum . Si graue iudicas ſceleratam cõductitiorum militum colluuiem in tuam regionem inducere,hos ciuium tuorum malo alere,his inſeruire,his blandiri, imò horum arbitrio te ipſum ac tuam incolumitatem committere:fac cogites hanc eſſe belli cõditionem . Si abominaris latrocinia, hæc docet bellum:ſi execraris paricidium, hoc in bello

discitur. Nam qui uereatur unum occidere cõmotus, qui leui autoramẽto cõductus tot homines iugulat? Si præsentissima Reipub. pestis est, legum neglectus, silent leges inter arma. Si fœdum existimas stuprum, incestum, & his turpiora, horum omnium bellum magister est. Si fons omnium malorum est impietas, & religionis neglectus, hæc belli procellis prorsus obruitur. Si iudicas pessimum esse Reipub. statum, cũ plurimum possunt qui pessimi sunt, in bello regnant sceleratissimi: & quos in pace sufflgas in crucem, horũ in bellis primaria est opera. Quis enim melius per deuia ducet copias, quàm latro exercitatus? Quis fortius diripiet ædes, aut spoliabit templa, quàm parietum perfossor, aut sacrilegus? Quis animosius feriet hostẽ, & hauriet ferro uitalia, & gladiator, aut paricida? Quis æque idoneus ad injciendum ignem urbibus aut machinis, quàm incendiarius? Quis æque contemnet fluctus, marisq; discrimina, ac pirata diutinis prædationibus exercitus? Vis palàm cernere, quàm res sit impia bellum, animaduerte per quos geritur. Si pio principi nihil antiquius esse debet, quàm suorum incolumitas, huic bellũ in primis inuisum sit, oportet. Si principis felicitas est imperare felici, pacem potissimũ amplecti debet. Si præcipue optandum bono principi, ut imperet quàm optimis, bellum detestetur oportet, unde scatet omnis impietatis sentina. Si suas opes esse putat

purat quicquid ciues possident, bellum omnibus ratio
nibus uitet, quod ut feliciſſime cadat, certe facultates
omnium atterit, & quod honeſtis artibus partum eſt,
in immanes quoſdam carnifices erogandum. Iam il/
lud etiam atq; etiam perpendant, ſuam cuiq; blandi/
ri cauſam, & ſuam cuiq; ſpem arridere, cum illa ſæpe/
numero peſſima ſit, quæ commoto uideatur æquiſſi/
ma, & hæc nō raro fallit. Sed finge cauſam iuſtiſſimā,
finge exitum belli proſperrimum, rationem fac ineas
omnium incommodorum quibus geſtum eſt bellū, &
cōmoditatum quas peperit uictoria, & uide num tan
ti fuerit uincere. Vix unquam uictoria contingit incru
enta. Iam habes tuos humano ſanguine pollutos. Ad
hæc ſupputa morum, publicæq; diſciplinæ iacturam,
nullo compendio ſarciendam. Exhauris tuum fiſcum,
expilas populum, oneras bonos, ad facinus excitas im
probos, neq; uero confecto bello, protinus & belli reli
quiæ ſopitæ ſunt. Obſoleſcunt artes, includūtur nego/
ciatorum cōmercia. Vt hoſtem includas, prius temet/
ipſum à tot regionibus cogeris excludere. Ante bellū
omnes finitimæ regiones tuæ erant, pax enim rerū cō
mercijs facit omnia communia. Vide quantā rem ege
ris, nunc uix tua eſt, quæ maxime tua eſt ditio. Vt op/
pidulum excindas, quot machinis, quot tētorijs opus
eſt? Imitatitiam urbem facias oportet, ut ueram euer/
tas, at minoris aliud uerum oppidum extrui poterat.

Ne

Ne liceat hosti prodire ex oppido, tū exul à patria sub dio dormis. Minoris constaturum erat, ædificare noua mœnia, quàm ædificata machinis demoliri. Vt ne computem hic, quod pecuniarum effluit inter exigentium, recipientium, ac ducū digitos, quæ sanè pars est non minima. Quod si horum singula ad uerū calculū reuoces, ni compereris decima impendiorū parte pacem redimi potuisse, patiar æquo animo me profligari undiq;. Sed parū excelsi animi tibi uideare, si qd remittas iniuriarum: imò nullum est certius argumentum humilis animi, minimeq; regij, quàm ulcisci. Maiestati tuæ nonnihil decedere putas, si cū finitimo principe agēs, & fortasse cognato, aut affini, fortassis aliâs bene de te merito, de tuo iure decedas aliquantulum. At quanto humilius deijcis maiestatem tuam, dū barbaris cohortibus, & infimæ sceleratorum feci, nunquā explendæ, auro subinde litare cogeris, dum ad Cares uilissimos simul ac nocentissimos blandus ac supplex mittis legatos, dum tuum ipsius caput, dum tuorū fortunas illorum credis fidei, quibus nihil est neq; pensi, neq; sancti? Quod si quid iniquitatis uidebitur habere pax, caue sic cogites, hoc perdo, sed tanti pacē emo. At dixerit argutior aliquis, Facile donarim, si res ad me priuatim pertineat. Princeps sum, negocium publicum, uelim nolim, ago. Nō facile bellum suscipiet, qui nihil nisi publicum spectat. Atqui contrà uidemus omneis

Confutatio.

omneis ferè belli cauſas ex his rebus naſci, quæ nihil ad populum pertineant. Vis hanc aut illam ditionis partem uindicare, quid iſtud ad populi negocium? Vis ulciſci, qui filiæ renunciauit, quid hoc ad Rempu/blicam? Hæc expendere, hæc perſpicere, uere ſapientis, uereq; magni eſt principis. Quis unquã aut latius im/perauit, aut ſplendidius Octauio Auguſto? At is cu/piebat etiam deponere imperiũ, ſi quem uidiſſet Rei/pub. magis ſalutarem principem. Merito laudata eſt ab egregijs autoribus uox illa cuiuſdam Imperatoris, Pereãt, inquit, filij mei, ſi quis alius melius ſit Reipub. conſulturus. Hos animos Reipub. præſtiterunt homi/nes impij, quod ad Chriſti religionem attinet: & Chri ſtiani principes uſqueadeo uilem ducũt populũ Chri ſtianũ, ut grauiſſimo orbis incendio priuatas ſuas cu/piditates uel ulciſci uelint, uel explere? Iã audio quoſ/dam ita tergiuerſantes, ut negẽt ſe tutos eſſe poſſe, niſi uim improborum acriter propellant. Cur igitur inter innumeros Imperatores Romanos, ſoli Antonini Pi us & Philoſophus petiti non ſunt? Niſi quod nemo tutius regnat, quàm qui paratus eſt & deponere, utpo te quod Reipub. gerat, non ſibi. Quod ſi nihil uos mo uet, neq; naturæ ſenſus, neq; pietatis reſpectus, neque tanta calamitas, certe Chriſtiani nominis probrũ ani/mos ueſtros in concordiã redigat. Quota mundi por/tio tenetur à Chriſtianis? Atq; hæc tamen eſt illa ciui

Confutatio.

tas in ædito monte sita, spectaculum facta Deo & hominibus. At quid sentire putandū est, quid loqui, quæ probra in Christum euomere Christiani nominis hostes, ubi uident Christianos sic inter sese concertare, leuioribus de causis quàm Ethnici, crudelius quàm impij, machinis tetrioribus quàm ipsi? Quorum inuentum est bombarda? Nónne Christianorum? Et quo res sit indignior, his induntur apostolorum nomina, insculpuntur diuorū imagines. O crudelis irrisio. Paulus ille pacis hortator perpetuus, Tartaream machinā torquet in Christianum? Si cupimus Turcas ad Christi religionem adducere, prius ipsi simus Christiani. Nunquam hoc illi credent, si quod est, perspiciāt nusquā magis sæuire, quàm apud Christianos, id quod Christus unum omnium maxime detestatus est. Et quod Homerus Ethnicus demiratur in Ethnicis, cum suauium etiam rerū, ut somni, cibi, potus, choreæ, musices satietas sit, belli infelicis nullam esse satietatem. Id apud eos uerissimum est, quibus ipsum etiam belli uocabulum abominandum esse oportuit. Roma furiosa quondam illa bellatrix, tamen Iani sui templum aliquoties uidit clausum. Et qui conuenit apud uos nullas esse bellandi ferias? Quo nam ore prædicabitis eis Christum pacis autorem, ipsi perpetuis dissidijs inter uos tumultuantes? Iam quos putatis animos addit Turcis uestra discordia? Nihil enim facilius & uincere dissidentes.

re dissidentes. Vultis illis esse formidabiles? Cõcordes estote. Cur ultro uobis & præsentis uitæ iucũditatem inuidetis, & à futura felicitate uultis excidere? Multis malis per se obnoxia est uita mortalium, magnã molestiæ partem adimet concordia, dum mutuis officijs alius alium aut consolatur, aut iuuat. Si quid boni obtinget, id tum suauius, tum communius reddet cõcordia, dum amicus impartit amico, & beneuolus beneuolo gratulatur. Quàm friuola sunt, quamq; mox peritura, pro quibus inter uos tumultus est. Mors omnibus imminet, nõ minus regibus, quàm plebeijs. Quos tumultus ciet animalculum, mox fumi in morem euaniturũ? In foribus adest æternitas. Quorsum attinet, pro rebus istis umbraticis, perinde moliri, quasi uita hæc esset immortalis? O miseros, qui felicem illã priorum uitam non credunt, aut nõ sperant: impudentes, qui sibi pollicentur è bellis ad eam iter esse, cum illa nihil sit aliud, quàm ineffabilis quædam felicium animorum communio, cum iam ad plenum cõtinget, quod Christus tam enixe rogauerat patrem cœlestem, ut sic inter se iungerẽtur illi, quemadmodum ipse patri iunctus esset. Ad hanc summam cõcordiam, qui possitis esse idonei, nisi eam interim pro uirili meditemini? Vt non subito ex spurco heluone fit angelus, ita non subito ex bellatore sanguinario, martyrum & uirginũ socius. Eia satis iã superq; fusum est Christiani, si pa-

rum est,humani sanguinis , satis in mutua debaccha' tum exitia,satis hactenus Furijs,Orcoq; litatum,satis diu quæ Turcarum pascat oculos,acta est fabula. Sal tem aliquando post nimium diu toleratas bellorũ mi ſerias resipiscite.Quicquid hactenus insanitum est,fa/ tis imputetur:placeat Christianis,quæ quondam pro phanis placuit, superiorum malorũ obliuio : posthac communibus consilijs in pacis studium incumbite, & sic incumbite,ut non stupeis,sed solidis atq; adaman/ tinis uinculis coëat,nunquam dirumpenda . Vos ap/ pello principes , de quorum nutu potissimum pendẽt res mortalium , qui Christi principis imaginem inter mortales geritis,agnoscite regis uestri uocem ad pacẽ uocantis,existimate totum orbem diutinis fessum ma lis,hoc à uobis flagitare. Si quid cui dolet etiamnum, æquum est hoc publicæ omniũ felicitati donare . Ma/ ius est negocium, quàm ut leuibus causis debeat retar dari. Appello uos sacerdotes Deo sacri, hoc studijs o/ mnibus exprimite , quod Deo gratissimum esse scitis: hoc depellite,quod illi maxime inuisum. Appello uos Theologi,pacis Euangelium prædicate , hanc semper popularibus auribus occinite . Appello uos Episcopi, alijq; dignitate ecclesiastica præminentes , ad pacem æternis uinculis astringẽdam uestra ualeat autoritas. Appello uos primates,& magistratus, ut sapiẽtiæ Re gum , ut pietati Pontificum uestra uoluntas sit adiu/

trix.

trix. Vos appello promiscue, quicunq; Christiano no
mine censemini, consentientibus animis in hoc conspi
rate. Hic ostendite quantum ualeat aduersus potentũ
tyrannidẽ multitudinis cõcordia. Huc pariter omnes
omnia sua consilia conferant. Iungat æterna cõcordia,
quos tã multis rebus coniunxit natura, pluribus Chri
stus. Communibus studijs agant omnes, quod ad o/
mnium ex æquo felicitatem pertinet. Huc inuitant o/
mnia, primum ipse naturæ sensus, atq; ipsa, ut ita di/
cã, humanitas. Deinde totius humanæ felicitatis prin
ceps & autor Christus. Ad hæc, tam multa pacis com
moda, tot belli calamitates. Vocant huc ipsi principũ
animi, iam uelut afflante Deo, ad concordiam propẽ/
si. En pacificus ille, placidusq; LEO, signũ omnibus
extulit, ad pacem inuitans, ueréque Christi uicarium
agens. Si uere oues estis, sequimini pastorem. Si filij,
audite patrem. Vocat ille non titulo tantum Christia
nissimus Galliarum rex FRANCISCVS, qui pacẽ
nec emere grauatur, nec usquam suæ maiestatis habet
rationem, modo publicæ paci cõsulat. Hoc deniq; ue/
re splendidum ac regium esse docẽs, de genere huma/
no quàm optime mereri. Vocat huc clarissimus prin/
ceps CAROLVS, incorruptæ indolis adolescens.
Nec abhorret Cæsar MAXIMILIANVS, nec de
trectat inclytus Angliæ rex HENRICVS. Tanto/
rum principum exemplũ, cæteros libenter imitari par

est. Maxima plebis pars bellum detestatur, pacẽ orat. Pauculi quidam modo, quorum impia felicitas à publica pendet infelicitate, bellum optant. Quorum improbitas, ut plus ualeat, quàm bonorum omnium uoluntas, æquũ sit nec ne, uos ipsi expendite. Videtis hactenus nihil actum fœderibus, nihil promotum affinitatibus, nihil ui, nihil ulciscendo. Nunc contrà periculũ facite, quid possit placabilitas, quid beneficentia. Bellũ è bello feritur, ultio trahit ultionem. Nunc gratia gratiam pariat, & beneficium beneficio inuitetur, isq; regalior uideatur, qui plus de suo iure concesserit. Non succesſit, quod humanis studijs gestum est: at fortunabit ipse Christus pia concilia, quæ se autore & auspice uiderit suscipi. Aderit dexter, aspirabit, fauebitq; fauẽtibus ei rei, cui fauit ipse plurimum, priuatos affectus publica uincat utilitas. Quanquam dum huic consulitur, & sua cuiq; fortuna melior reddetur: principibus regnum erit augustius, si pijs ac felicibus imperent, ut legibus regnent magis quàm armis: proceribus maior ueriorq; dignitas, sacerdotibus ocium tranquillius: populo quies uberior, & ubertas quietior: nomen Christianum formidabilius crucis hostibus. Deniq; singuli singulis, & omnes omnibus chari simul & iucundi eritis, super omnia Christo grati, cui placuisse summa felicitas est.

DIXI.

Erasmus

ERASMVS ROTERODAMVS INTEGERRI/
mo, doctiſſimoq; patri Heliæ Marcæo Machabæiti/
carum uirginũ, honoratiſſimi Machabæo/
rum collegij moderatori S. D.

MITTIMVS libellum & breuem, & ſero, ſed quem fatearis & prolixũ, & ſatis ma/turatum, ſi ſcias quàm nihil ocij mihi re/liquum faciant, ad gratificandum amicis in huiuſmodi materijs crebræ ægrotationes: penè iu/gis occupatio, cum alijs in rebus, tum præcipue in mit/tendis ac recipiendis epiſtolis: deinde ſtudiorum la/bor, quem exigunt argumenta ſuſcepta. Si ſatisfactũ eſt uoluntati tuæ, uehementer gaudeo: ſin minus, cer/te promptam animi noſtri uoluntatem probes opor/tet, ſi modo non falsò nobis tua prædicatur humani/tas. Cum dabitur plus ocij, cumulatius tuo pio deſide/rio ſatisfaciemus. Bene uale cum honorabili choro tuo Deo militantium uirginum, uir optime.

Baſileæ tertio Calend. Aug. An/no M. D. XXIIII.

Eraſmus

Collegio uirginum Machabæiticarum apud Colonia am Agrippinam, ſalutem in Chriſto Ieſu uirginis filio, ac uirginum omnium corona.

AM iterum atq; iterum tragematis ac dulciarijs quibuſdam prouocat me ueſtra pietas uirgines optimæ, ut aliquo ſcripto ſimul & theſaurum ueſtrum, quem ſanè precioſiſſimum tenetis, celebrem, & uobis ueſtrum propoſitum commendem: in quorum altero religioſa quadam ambitione ducimini, quæ non ueſtrã quæritis gloriam, ſed dei, qui in ſanctis ſuis uere glorioſus eſt: in altero ſentio uos ſpirituale lucrum quærere, nimirum illud uenantes, ut pro xenijs quæ delectant palatum, recipiatis ea quæ paſcũt animum. Pia captatio eſt, ſancta auiditas eſt, prudens & uere lucrifera commutatio, planéque digna ſapientibus uirginibus: ſi modo is eſſem, qui poſſim ex diuinarum ſcripturarũ myrothecijs aliquid depromere, quod æque reficiat mentem ueſtram, ac ueſtra munuſcula reficiũt corpuſculum noſtrum. Non erratis in affectu, ſed erratis in delectu. Quod optimum eſt diligitis, uerum nó eum deligitis, qui poſſit ſanctiſſimis uotis ueſtris ſatisfacere. Ne tamen ſimpliciter ingratus uidear, etiã atq;

etiam

etiam gratulor uobis, deo dilectæ uirgines, istum animum nihil aliud sitiẽtem quàm gloriam sponsi uestri. Est enim & hoc argumẽtum sponsæ uere castæ, sponsi sui gloriam, suam ducere. Et est ille quidem speciosus præ filijs hominum, cui uos peculiariter estis addictæ, glorioſus in omnibus factis suis: si quis huius mundi fabricam admirabilem undiq; cõtempletur, glorioſior tamen in orbe redempto, quàm in condito. Nutu cõdidit mundum & angelorũ agmina, sed precioso sanguine suo restituit quod condiderat. Eadem sapiẽtia, qui est Iesus Christus, quiq; mirabilis huius operis opifex est, quo mirabilius quiddã æderet, arte diuina construxit domum æternam, ac templum deo dignũ, quæ est ecclesia, quam ueluti ditissimus rex, omni genere spiritualium ornamẽtorũ decorauit. Quid enim est aurum, argẽtum, marmor, ebur: quid smaragdus, topasius, beryllus, uariusq; gemmarum splendor, si cõferatur ad opes diuini spiritus, quæ sunt, propheria, donum linguarum, uirtus in ædẽdis miraculis, ac sanandis morbis, pax, puritas, charitas, tolerantia? Totum ædificium uiuis è lapidibus admirabili cõcordia inter se coagmentatis surgit usq; ad cœlum, ipso Christo lapide angulari totam fabricã complectẽte, ne quà possit labefactari. Hi sunt uarij sanctorũ ordines. In hoc templo gaudet uersari, quemadmodum alicubi dicit: Deliciæ meæ sunt esse cum filijs hominũ. His opibus Psal. 44. Prouer. 8.

magnificus ille Solomon ſeſe iactat,nuſquàm admirabilior,nuſquàm glorioſior,quàm in ſanctis ſuis, quos hoc honore dignatus eſt,ut illos ſua membra reddiderit, & in fratrum nomẽ ac ius cooptatos regni cœleſtis fecerit cohæredes. Pro omnibus mortuus eſt, præcipua tamen illius gloria eſt in martyrum turmis,& uirginum choris.Hæc ſunt precioſiſſima monilia,quibus hactenus ſuperbit & iactat ſeſe Chriſti eccleſia,quæ nó nouit niſi de ſponſi ſui donis gloriari. Quicquid enim in ſanctis glorioſum eſt,Chriſti munus eſt. Variæ ſũt deliciæ,uaria ſunt ornamẽta ſponſi ueſtri,optimæ uirgines. Septus incedit diuerſis uirtutum gemmis,innumeris floſculorum generibus, ſed potiſſimũ oblectat animum ſuum,uel roſis martyrum,uel lilijs uirginum. Nec mirum ſi hoc amat, quod eſt ipſe,imò cuius ipſe
Can.2. fons eſt alijs. Ego,inquit,flos campi, & lilium conuallium. Ille martyrum princeps eſt, per hunc martyres fortes ſunt. Ille uirginũ dux eſt,& per hũc uirgines uincunt carnẽ cũ ſuis concupiſcentijs. Poſteaquàm ille deſcẽdit in terras, & immiſſo charitatis igni,abijt hyems ac receſſit,hi flores paſſim apparuerũt in terra noſtra. Quàm erat antè rara uirginitas? At poſteaquàm Chriſtus eã cõſecrauit, quot milia ſubito exorta ſunt per uniuerſum terrarum orbem,iuuenum ac puellarũ, qui ſe ſponte caſtrarunt propter regnum dei? Poſtea quàm ille moriens in cruce docuit eſſe felices,qui in do

mino

mino morerẽtur, quot examina uirorum ac mulierũ extiterunt, qui uolentes, atq; adeo gaudentes ſua corpora tradiderunt in mortem pro gloria Chriſti? Nimirum hoc eſt, quod ſponſus ueſter gloriatur in Canticis: Surge, propera amica mea, columba mea formoſa, & ueni. Iam enim hyems tranſijt, hymber abijt & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra. Quanta ſterilitas eſſet in omni terra noſtra, niſi ſol ille cœleſtis accẽderet animos noſtros charitate ſua, niſi foueret mentem noſtram hymbre ſuæ gratiæ? At quid Euangelico uere uernantius? Quid uberius? Quid amabilius? Roſa breuem habet purpuram, & liliorum breuis eſt gratia, unde quidam ethnicus ita ſcripſit: Nec uiuax apium, nec breue liliũ. At iſti flores quibus fœcunda eſt eccleſia, nunquàm marceſcũt. Chriſtus enim lilium eſt immortale, & ſuis lilijs confert immortalem gratiam: roſa eſt immortalis, cuius decor nunquàm marceſcit, & ſuis eandem præſtat perpetuitatem. Dicitur aũt flos cãpi propter Iudæos. Cãpi culturæ ſunt idonei. Apud Iudæos tinctus eſt precioſo ſanguine ſuo quos excoluerunt Moſes & prophetæ, licet illi cultoribus non ſatis reſponderint. Lilium erat conualliũ apud gentes aſperas & incultas, quibus perſuaſum eſt illum ex uirgine Maria humana carne ueſtitũ fuiſſe, omnis maculæ neſcium. Nimirum ille erat liliũ euangelicũ, quod Deus pater ſic ueſtijt, quo modo nõ erat

ueſtitus Solomon in omni gloria ſua. Nec enim Solomon aut quiſquàm alius ſortitus eſt carnem ex uirgine, nulla primi parentis labe ſordidatam. Huic lilio qui ſeſe adiungũt per fidem, quoniam fiunt una caro cum illo & unus ſpiritus, purgãtur à ſordibus, accipiũt candorem innocẽtiæ, & fiunt ipſi quoq; lilia. Sic enim eodem in loco continenter loquitur ſponſus, qui ſe lilium dixerat: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Quid eſt lilium inter ſpinas? uirgo inter coniugatas. Honeſta res eſt matrimonium, ſed ſpinis ac tribulis obſita. Tribulationẽ, inquit Paulus, carnis habebũt huiuſmodi. Si quis dubitat an matrimoniũ habeat ſpinas, conſulat uxores, quid moleſtiarum adferat maritus moroſus, ebrioſus, aleator, adulter, profuſor, quid affines, quid impij liberi, & neget, ſi uidetur, uirginẽ eſſe liliũ inter ſpinas. Virgo libera curis huius ſeculi, cogitat ea quæ domini ſunt, quomodo placeat illi: quæ maritum habet, uelut hinc atq; hinc lacerantibus uarijs curis, in multa diſtrahitur. Omnes quidẽ qui Chriſtũ induerũt, lilia ſunt, ſed præcipue uirgines. In his paſcitur ac deliciatur ſponſus ille mirabilis, qui non capitur quibuslibet. Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies & inclinentur umbræ. Tales flores ille colligit, ut contexat ex eis coronam immarceſcibilem in cœlis. Quẽadmodum & alibi dicitur: Dilectus meus deſcendit in hortum ſuũ, ad areo-

Can. 2. 1. Cor. 7. Can. 1. Can. 6.

ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis,& li/
lia colligat.His nimirum liliis dicitur apud Ecclesiasti/ Eccles.39.
cum: Florete flores sicut liliũ, & date odorem, & fron
dete in gratiam,& collaudate canticum, & benedicite
dominũ in operibus suis. Virgineis cantilenis delecta/
tur uirgo sponsus.Hoc est canticum nouũ,quod nescie Apoc.14.
bat synagoga, in qua maledicta erat sterilis, quæ non
pareret. Sed in Euangelio canunt nouam cantionem
innumeri,qui empti sunt de terra, & in angelorum cõ
sortium asciti, eo quod uirgines neque nubunt neque
ducunt uxores,sed sequũtur agnũ,quocunq; ierit,uer/
santes absq; macula ante thronum Dei. Multæ erant
immaculatæ in cõspectu hominũ,sed felices quæ tales
apparẽt ante thronum dei, felices quæ uera canunt no
uam cantilenam nouo sponso,psallentes in corde suo,
sibiq; gratulãtes,quod pure puro puros hymnos mo/
dulantur. Frequẽter & uester chorus sponso suo canit
hũc hymnum, IESV corona uirginum,quem mater
illa concipit,quæ sola uirgo parturit, hæc uota clemẽs
accipe. Quanta puritas. In uirgine concipitur è spiritu
cœlesti, è uirgine nascit' incolumi uirginitatis decore,
ipse uirginum princeps & sponsus & uirginũ corona.
Vxorum gloria maritus est,uirginum gloria Christus
est. Porrò ut obiter & illud admoneã, metri ratio po/
stulat ut concipit legamus,non concepit. Est enim hy/
pallage temporis, quæ gratiã etiam habet quoties res

ipſa ponitur ob oculos, abſq; temporis diſcretiõe,alío qui quem offendit tempus in concipit,quur nõ offen/ſus eſt in parturit? Qui paſcis inter lilia,ſeptus coronis uirginum,ſponſas decorans gloria,ſponſisq; reddens præmia. Paſtor eſt ſponſus ueſter,qui animam ſuam dedit pro ouibus ſuis , qui nec hodie depoſuit curam gregis ſui. Quotidie ſeruat,quotidie reuocat,quotidie ſanat,quotidie paſcit. Habet autẽ & ipſe delicias ſuas, qbus fruit̃,habet ſodales proximos,quos hic ſponſos uocat,habet comites aduleſcẽtulas,quas appellat ſpõ/ſas. In rebus ſpiritualibus non eſt ſexus,ſed ex meritis induntur ſexus aut ætatis uocabula. Vnica eſt ſponſa Chriſti,quæ eſt eccleſia, ea multas habet ſodales, quarum unaquæq; ſponſa dici poteſt. Ipſe ſpõſus eſt unicus,habet tamen quoſdam unice charos,quibus committit ſponſas ſuas,ut & illi quodammodo ſponſi dici poſſint. Etenim ſi Epiſcopi recte dicũtur paſtores,quũ unus ſit paſtor dominus Ieſus, quid uetet eoſdem dici ſponſos? Et ſponſæ quidẽ huius ſeculi ſemper tumẽt muneribus ac dignitate ſuorum ſponſorum , oſtentãt ac iactant mundum ſuum: porrò quæ ſponſum nõ habent , uidentur repudiatæ ac deſtitutæ. Sponſus autẽ Ieſus ſuas ſponſas pro ſpretis huius mundi ornamentis,decorat eas animi dotibus : pro mox euanitura carnis gloria , confert illis gloriam immortalem. Sponſis uero qui ad exemplum ſummi paſtoris,ad mortẽ uſq; depugna/

depugnarũt pro ouibus illius, tanquàm ſtrẽnuis athletis reddit præmia. Quæ præmia? Nõ coronam quernam aut laurinam, non ſtatuam aut titulum aut aliud ſimile præmium, quod mũdus pro rebus bene geſtis ſolet reponere, ſed coronam immarceſcibilem in cœlis, & nomen inſcriptum libro uitæ, quod nulla unquam ætas ſit abolitura. Hoc ſodalitio peculiarius delectatur ſponſus ille delicioſus, qui neminem tamen pium, quamuis humilẽ faſtidit. Sequitur enim: Quocunq; pergis, uirgines ſequũt', atq; laudibus poſt te canẽtes curſitant, hymnosq; dulces perſonant. Iuxta mundũ indecorum eſt, uirginem ultro curſitare poſt ſponſum, turpius autem ſit, ſi plures uirgines unum ſponſum ſequantur. In rebus animi ſecus eſt, nihil enim pulchrius quàm ſi quàmplurimæ uirgines adhæreant uni ſponſo Ieſu. Non mirum aũt ſi curſitant uelut amore ſponſi lymphatæ. Trahit enim ille ſecretis illecebris, amabilis ſupra omnem amorem humanum, ſpecioſus præ filiis hominum, in cuius labiis diffuſa eſt gratia, cuius uultum intueri angeli pro ſumma felicitate ducunt. Afflat odoribus ſuis quos uult, & afflatæ dicunt: Trahe me poſt te, curremus in odore unguẽtorum tuorũ. *Cant. 1.* Non poſſunt currere niſi trahantur: nõ poſſunt amare, niſi prius adamatæ. Et quæ iam tractæ ſunt, cupiunt copioſius trahi: quæ currunt, cupiunt accurrere, ut iungantur propius ei quem amant. Porrò gratiam *Ioannis 6.*

in labiis

in labrijs illius diffusam senserunt illi,qui dicũt: Domine quò ibimus? uerba uitæ habes. Omnes qui Christi nomen profitentur, sequũtur pastorem suũ Iesum, sed hi soli sodales indiuidui sequuntur quocunqȝ ierit, sequuntur usqȝ ad uerbera, sequuntur usqȝ ad crucem. Dominus Iesus quũ esset in terris, sæpe ducebat post se ingẽtem numerum promiscuæ multitudinis: quum iret Hierosolymam occidendus,rarior erat comitatus: sed longe rarior, quum crucem suam baiulans iret in mõtem Caluariæ. At qui uere sunt spõsi sodales, quæ uere uirgines sunt, ne hic quidem diuellũtur à sponso. Quum penderet in cruce, nusquam erat Petrus, qui uxorem habuisse creditur,sed uirgines adhærebãt cruci, Maria mater Iesu & Ioannes, reliquæ mulieres procul stabant spectatrices eorum quæ gerebantur. Sequũtur igitur,& quidem alacres ac uolẽtes,nec sequũtur mutæ,sed cum cantilenis ac laudibus, hymnosqȝ dulces personant. Quæ nuptæ sunt hominibus,his nõ uacat interesse chorcis,non uacat, imò non libet aliquoties canere: mos gerendus marito, rixãdum cum ancillis ac famulis, castigandi liberi. Nostræ uirgines ab omnibus huius mundi sollicitudinibus liberæ, nihil aliud quàm in spiritualibus choris dulces hymnos canunt sponso suo. Nihil enim sibi tribuunt,omnem felicitatis suæ gloriam transfundunt in eum, cui uni debent omnia. Huiusmodi cantilenis delectatur amator ille,uult

ille,uult cani ſua dona: phariſaicas cãtilenas odit, Ieiu
no bis in ſabbato, decimas bonorum meorũ do pau/
peribus,non ſum ſicut cæteri homines. Virgo quo ca/
ſtior eſt,hoc eſt modeſtior. Audite uocem ueræ uirgi/
nis: Ecce ancilla domini. Et reſpexit humilitatẽ ancil/ Luc.1
læ ſuæ. In cantricis ſponſam ſuam appellat columbã,
huius formã uidere deſiderat, huius uocẽ audire exop
tat: Veni, inquit, columba mea in foraminibus pe/
træ,in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciẽ tuã, ſonet
uox tua in auribus meis,uox enim tua dulcis, & facies
tua decora. Habet & animus faciem ſuam, habet &
uocem ſuam. Ex oculis æſtimatur potiſſimum facies,
oculis indicamus,oculis etiam abſq; uoce ſignificamus
intimos animorum affectus. Simplex eſt oculus uir/
ginis,non inuidet, non inſidiatur, non ſuſpicatur ma/
lum,nó male cogitat. Huiuſmodi facies delectat ſpon
ſum, qui paulo poſt ita loquitur: Quàm pulchra es a/
mica mea,quàm pulchra es,oculi tui columbarum. Di
xerit hic aliquis, quid habet dulcedinis columbæ uox
querula ac gemebunda, ut quenquam delectare poſ/
ſit? Luſciniæ uox potius erat uocãda ad parabolam.
Habet rarus ac uehemens amor perpetuas querimo/
nias,ſed blandas & ſponſo gratiſſimas. Audi gemen/ Philippen.1
tem columbam: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Rom.8
Et rurſus: Infelix ego homo, quis me liberabit de cor
pore mortis huius? Audi alteram columbam: Heu Pſal.11

Psal.136. mihi,quia incolatus meus prolongatus est. Et, Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Hæ uoces querulæ ac suspiriorum plenæ,gratissimæ sunt auribus sponsi, huiusmodi cantionibus oblectatur. Quoniam autem dixerãt, Hæc uota clemens accipe, tempus est ut expromant quid optent à spõso:num diuitias,num honores,num uoluptates, num regnum, num longæuitatem? Harum rerum securæ sunt, quas semel medullitus corripuit uehemens amor sponsi. Quid igitur? Te deprecamur largius,nostris adauge mentibus, nescire prorsus omnia corruptionis uulnera. Agnoscũt quãtus thesaurus sit uirginitas, id est,animus incorruptus in corpore incorrupto. Agnoscunt totũ hoc quod habẽt, munificentiæ esse sponsi. Optant igitur ut quod largitus est augeat,ut beneficium beneficio cumulet. Nulla est tã pura uirgo,quæ non habeat, quò proficiat. Vix enim inuenias, quæ ut corpus sit illibatum, non aliquando delinquat cogitatione. Iam uirginitas uera non tantũ sita est in dono castitatis, sed omne animi uitiũ huius uirginitatis est corruptio. Qui deflexit à rectitudine fidei catholicæ, huius contaminata est uirginitas. De

2. Corin. 11. hac puritate loquitur Paulus,scribens Corinthijs: Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua,ita corrumpãtur sensus uestri,& excidant à simplicitate,

plicitate, quæ est in Christo Iesu. Virgo contaminata liuore, obtrectatione, arrogantia, non caret uulnere corruptionis. Orant igitur ut munificentissimus sponsus augeat suas dotes, detq; nescire prorsus omnia corruptionis uulnera. Quid est prorsus? Animo & corpore, Quid est omnia? Quicquid humanus affectus suggerit. Videri poterat hoc uotum improbum, ni sponsus esset omnipotens, optimæq; fidei. Ille suos non solum uult esse sui similes, uerum etiam uult idem esse. Sed demus in hac uita nemini perfecte contingere, quod optat chorus uirginum, non erit tamen irritũ uotũ gratissimi chori. Quod hic meditatæ sunt fauente sponso, in resurrectione continget plenum augente sponso. Habet ordines suos ecclesia militans, habet suos & triumphans. Nescio an uidear uobis diutius quàm par est, immoratus hymno, me certe non pœnitet, Ambrosiano. Nam autorem, ut alia prætermittã argumenta, prodit in singulis dimetris dictio in fine trisyllaba. In quo puto uirum illum non tam captasse metri concentum, quàm sacræ triadis delectatum symbolo. Multos hymnos habet ecclesia Christi sponsa, sed haud scio, an ulli maiore cum omnium tripudio canantur, quàm qui sponsum celebrant in uictorijs martyrum, aut in uirginum triumphis. Sed ut redeamus ad duos illos flosculos longe fragrantissimos, rosam & lilium: Quemadmodum Christi mors odore suo

plurimos pertraxit ad huius uitæ contemptum: ita Christi uirginitas plurimos allexit ad amorem castitatis. Qui tracti sunt ab illo, flores iam & ipsi facti, traxerunt alios. Christus dixit Petro: Sequere me. Petrũ quàm multi sequuti sunt? Quis negat plurimum deberi sanctis doctoribus, qui tranquillis rebus docuerunt uiam domini? Sed quanto plures pertraxit ad Euangelij professionem martyrum fragrantia? quanto plures uirginum exemplum? Magnum est, fortiter & erudite disputare de Euangelio, sed maximum est alacriter mori pro Euangelio. Magnum est, contemnere gloriam aut opes huius mundi, sed longe maius est mortificare carnem cum suis concupiscentijs. Et agnoscit ecclesia quibus debeat. Nullis secundum Christum uberiorem habuit honorem, quàm his qui sua corpora uolentes ac lubentes tradiderunt carnificum immanitati, pro gloria sponsi, proq; salute gregis, pro quo mori dignatus est ipse. Proximus honos habitus est his, qui se sponte castrauerunt propter regnum dei. Quantum erat ecclesiæ totius tripudium, ubi martyr constanter exhalasset animã pro Christo? Quantus luctus, si quis defecisset? Rursus, quanta ecclesiæ exultatio, si qua uirgo, cui liberum erat nubere sponso homini, sumpto uelo sacro maluisset nubere sponso Christo? Quantus mœror, si qua relicto uelo, flammeum accepisset matronale? Nimirum rei charissi-

mæ

mæ grauis est iactura. Quanto ardore olim cursitatum est à Christianis ad martyrum cineres? Quàm sacrosancta fuit illorum apud omnes Christi cultores memoria, quum quotidie senes, iuuenes, matronæ, uirgines cursitarent ad carceres, uelut ad loca deo consecrata: quum oscula figerentur catenis, quibus fuerant alligati: quum gladius quo fuerant interfecti, seruaretur inter sacras reliquias? Quæ memoria lætior ac festiuior ecclesiæ, quàm martyrum? Quando modulatur exultantius, quàm in illorum anniuersarijs? Quin horum afflictiones palmas uocat, supplicia triumphos, horum mortes natales appellat: nec in his celebrandis quicquam lugubre, sed omnia plena gaudij, plena gratulationis, plena plausus, plena tripudij. Nec in ullo argumento se magis ostentauit eruditorum hominum eloquentia, quàm in celebrandis martyrum ac uirginum laudibus. Hic Prudentius lyrico carmine uicit Pindari grandiloquẽtiam, uicit Horatij inimitabilem elegantiam. Hic Græcorum pariter ac Latinorum tuba nescio quid grandius ac diuinius intonuit Heroico carmine. Hic Ciceronis felicem copiam superant Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, aliíq; plures quàm ut numerandi sint. Quid esse coniectamus in causa? Nimirum martyrum magnitudo suppeditabat eloquentiæ copiam, pectoris ardor addebat orationi uim, pietas alacrita-

tem. Fluit illis ubique diues oratio, uerum quoties ad martyres uentum est,& uirgines, iam uelut afflatu numinis nescio quid grandius humano modo sonant. Nó hæc fiunt humanis studijs, afflatu diuini spiritus hæc gerũtur,qui sic uult glorificari sanctos suos, in quibus ambit uideri glorioſissimus. Fateamur hæc esse humana,nisi deus, qui mẽtes afflat piorum,tot etiam prodigijs decorat martyrum ac uirginum monumenta. Vbi magis torquentur impij dæmones? Vbi magis profligantur morbi medicis immedicabiles? Quis imperator, quis rex ullis statuis, titulis,pyramidibus, templis, collegijs,diuinis honoribus indictis, tantum honoris impetrauit etiam in hoc mundo? Nimirum sic deus honorat martyres suos, qui hic uidebantur afflicti, humiles ac deiecti: sic uirgines suas,quæ uelut mortuæ mundo, totam suam spem collocarunt in sponso Iesu. Sed martyrum gloria non temere nisi à morte claresçit. Virginitas etiam in hac interim uita suum habet decus.Quis enim tam barbarus est,ut nó faueat uirgini? In medijs bellorum tumultibus immanis hostis uirginitati parcit. Et si credimus historijs, mutæ beluæ, trucesq; feræ uirginitati deferunt. Quantum honoris olim habitum est Romæ uirginibus uestalibus? Quod est illud natiuum uirginitatis decus, quod agnoscũt idololatræ, quod reueretur barbarus hostis, quod sentiunt mutæ beluæ, cui parcunt feræ?

Quanto

Quanto iam honorabilior uirgo Christi, si tantus est honos uirginibus huius mũdi? Sume uirgo sanctam superbiam, & infra tuam dignitatẽ putato, quicquid hic mundus iactat uoluptatum aut honorũ. Sanctũ est superbire in sponso: pium est gloriari in eo, cui debes omnia. Tutum etiam est illius fiducia cristas tollere aduersus mundum, suas ostentantẽ delicias. Non est animus in præsentia, quicquid in laudem martyrũ aut uirginum dici potest, persequi. Habetis Cypriani libros, habetis Ambrosij, habetis Tertulliani & Hieronymi, quorum posteriorũ uterq; penè nimius fuit in admiratione uirginitatis. Non enim sic attollenda est uirginitatis excellentia, ut huius laus cũ iniuria casti matrimonij cõiuncta sit: sed hæc eò repeto charissimæ uirgines, ut perspiciatis quàm felix sit uestrũ collegium, cui contigit utrunq; possidere, quod diues illa Christi sponsa ecclesia præcipuum habet in suo mundo. Seruatis enim fragrantissimas illas rosas septem fratrum Machabæorum, ac matris cuius fœcunditas nõ marito genuit, sed deo. Feliciter illa quidem sarsit uirginitatis iacturam, tot filiorum uirginum martyrio. Non genuit uirgo, nam id uni fœminarum datũ est, sed uirgines genuit & martyres. Virginitatis exemplũ ex se præbere nõ potuit, sed quod potuit, magno studio præstitit. Ad uirginitatem instituit filios, ad martyrium cohortata est, præcessura quoq;, ni metuisset

tuisset

tuisset teneræ suorum ætati. Itaque uirginitatis gloriâ non contigit matri cum filijs, sed in martyrij negocio tanto maior est laus matris, quod spectatrix crudeliũm suppliciorum, in singulis filijs passa est, quicquid in illorum corpora potuit carnificum crudelitas. Hoc fortius est, quàm semel supplicijs finire dolorem. Parentes atrocius torquentur in liberis, quàm in seipsis. Nouit hoc & tyrannorum ingeniosa crudelitas, qui quod tormentis extorquere non possunt à parentibus, extorquent tortis in illorum conspectu filijs. Toties uidet dilacerari sua uiscera & mulier & mater. Vbi hic sexus imbecillitas? ubi pietatis affectus, qui in matribus solet esse, quàm in uiris impotentior? Nimirum pietas in deum superauit pietatem humanam, & sexus imbecillitatem uicit ardor fidei. Salue felicissima uirago, quæ uiris omnibus fortitudinis exemplũ dedisti. Saluete flosculi bellissimi ecclesiæ, qui ueluti præcoces delitiæ præueneristis uer Euangelicum, & ante proditum Euangelium præstitistis Euangelicam uirtutem. Nondum erat audita uox eius, qui uirgo natus est ex uirgine: Beati qui se castrauerunt propter regnum dei, & tamen hanc laudẽ uos occupastis. Nondum erat auditum: Qui uult esse meus discipulus, tollat crucem suam & sequatur me, uos tanquam prodromi Christum passurum adumbrastis. Atque animæ quidem uestræ nunc in cœlis sequuntur agnum,

Matth. 19

quocunq;

quocunque ierit: cæterum illibata uestra corpora, quæ ut habuistis socia suppliciorum, ita recipietis olim in æternæ felicitatis consortium, non decuit alibi seruari magis quàm in sancto uirginum collegio. Nunc ad uos ò uirgines, huius tanti thesauri custodes, mea se/se reflectit oratio. Habetis in eisdem adolescentibus & castitatis exemplum quod imitemini, & martyrij lauream quam prædicetis, glorificantes sponsum ue/strum, qui certauit in illis, qui uicit in illis, qui trium/phat in illis. Habet is in eodē calatho lilia mixta rosis. Vtrunque decus cum altero certat, nec alterum tamē ab altero obscuratur, sed utrunque alterius accessio/ne fit illustrius, ueluti quum ebur, ut ait ille, corrumpi tur ostro, aut quum gemma candens includitur fuluo auro. Est autem tam ambiguum gloriæ certamen in/ter martyrem & uirginem, ut ego, si res in contentio/nem uocetur, nō ausim pronunciare utrum alteri præ/ferri debeat. In Christo fuit utrunque cōsecratum, sed tamē plus debemus illius cruci, quàm uirginitati. Bea titudinis elogium tribuit his, qui se castrassent pro/pter regnum dei, sed crucis imitationem exegit. Ma/ius autem uidetur, quod quum non exigatur, tamen beatum reddit, si quis ultro præstet. Ac persecutionis quidem tēpore magna quædam res est, animus pro dei gloria semper paratus ad omnia mortium gene/ra. Sed habent tempora, quemadmodum & mare,

ſuas tranquillitates, & licet nonnunquam effugere car nificis manus. Quod ſi urget certamen extremũ, mors corporis, & cruciatuum finis eſt, & felicitatis initiũ. Vir gini longum ac perpetuum certamen eſt cum hoſte domeſtico, quem nec occidere fas ſit, nec effugere poſ/ ſis. Hic nimirum eſt caro, quam uelimus nolimus, cir/ cumferimus, ſubinde rebellantem ſpiritui. Hanc uince re ne cui uideatur leue, ſæpe legimus illecebris ſupera/ tos, qui terrore mortis ſuperari non poterant. Hacte/ nus expendit noſtra collatio, utrum ſit altero fortius: ſed mihi quidem uidetur uirginitas in hoc etiam feli/ cior, quod, quemadmodum ante per occaſionem dixi/ mus, martyrij flos non eniteſcit niſi poſt mortem, uir/ ginitas etiam in hoc ſeculo ſuum habet candorem, ſuã habet fragrantiam, ſuam habet gratiam ac dignitatẽ. Animi flos eſt uirginitas, ſed relucet etiam in uultu, in oculis, totoq; corporis habitu angelica quædam puri tas ac nitor uirens, ſenijq; neſcius, hic ueluti meditans eſſe, quod omnes expectant poſt hanc uitam, qui pie uixerint in Chriſto Ieſu. Animus integer & incorru/ ptus uigorem ſuum trãſſundit in corpus, quemadmo dum mens uicijs infecta quodammodo relucet, uel horret potius in ipſa corporis ſpecie. Porrò libido in proprium etiam corpus contumelioſa eſt. Quur in re/ ſurrectione non ſeneſcent piorum corpora? quoniam his iam imperabit animus, qui ſeniũ neſcit. Vt mors.

ita

ita morbus & ſenium ex peccato eſt. Tolle peccatum, & minus erit ſenĳ, & ſi contingat ſenectus, continget floridior. Itaq; uirgo iam hic aliquã felicitatis ſuæ partem præcipit, in corpore mortali ſpeciem quãdam exhibeńs futuræ immortalitatis. Principes huius mundi non maiori ſtudio curant milites ſuos, quàm ſeminarium: unde quum res flagitat, colligant tyrones, quod ſi deficiat, unde ſufficies exercitum? Ac iam ſeculis aliquot ſub principibus Chriſtianis nullæ procellæ ſunt exortæ, quales olim erant ſub Nerone, Domitiano, Iuliano, Maxentio. An ſub his melius habeat res Chriſtiana, non eſt meum definire: certe per hos in arctum contracta eſt. Verum utcunq; ſe habet, ſi rurſus incideret tempeſtas, quæ poſceret martyrem, unde potius hæc manus colligẽda uideatur, quàm ex his, quæ ſpretis omnibus huius mundi blandimentis, ſeſe totas cõſecrarunt Ieſu ſponſo cœleſti, quæ ſua ſponte carnem ſuam crucifixerunt cum uicĳs & concupiſcentĳs, eámque uoluptatem amore ſponſi contempſerunt, cuius unius gratia plerique mortales cuperent hic perpetuo uiuere. Vera uirgo minimum abeſt à martyre. Martyr patitur à carnifice cædi carnem ſuam: uirgo quotidie uolens mortificat carnem ſuam, ipſa ſui quodammodo carnifex. Aliquanto fortius eſt domare captum hoſtem, quàm occidere. Martyr tradit corpus ſuum, uirgo ſubigit & in ſpiritus ſeruitutem redigit.

Quur trepidabit uirgo Christi ad manum percussoris? An requiret opes, delicias, fastum, luxum, uoluptates, quæ cæteros remorantur in hac uita? At his omnibus iam dudum renunciauit. Quæ nihil amat in hoc seculo, quæ mortua mũdo, soli uiuit Christo, quæ quotidie columbinos ædit gemitus, cupiens propius iũgi adamato spõso suo, & illius stringi amplexibus: nónne libens emigrabit ex hoc corpusculo, in quo scit se peregrinari à domino? Qui uiri mirabilius animi robur præstiterunt in tormẽtis, quàm uirgines martyres, Agnes, Cecilia, Agatha, & harum sodales innumeræ? Proinde uirgo quum traditur carnifici, non incipit martyrium, sed absoluit iampridem inchoatum. Hæc si cui uidẽtur ardua, cogitet & uirginis professionem supra uires hominis esse, dignitatem angelicæ parem. Neq; uero omnes uirgines sunt, quæ uelo nigro

1. Timot. 5 tectæ sunt. Etenim quemadmodum iuxta Pauli doctrinam, quæ uere uiduæ sunt discernũtur ab his quæ falso nomine dicuntur uiduæ, & eidem uidua quæ uiuit in delicijs dicitur mortua: ita uirgo quæ aliud amat in hoc mundo quàm sponsum suũ, uirgo nõ est. Sunt in Euangelio uirgines prudentes quæ sibi multis operibus pietatis prospexerant, ne deficeret oleum in lampadibus: erant & fatuæ. Et Hieremias deplorat uirgines squalidas, neq; enim huius nominis dignitas competit in eam, quæ licet corpus habeat intactum uiro,

tamen

tamen animus impuris cogitationibus cum adultero Satana colloquium habet. Quæ nolens uiuit celebs, iam nupta est: quæ corrumperetur, si liceret, iam corrupta est. Difficillimum est uolantis animi cohibere cogitationes omnes, & tamen aduersus has ingruentes, precibus, sacra lectione, ieiunijs, pijs occupationibus pugnandum est, assentiri uenenum est. Collocuta est prima uirgo Eua cũ serpente, & hinc omniũ malorum origo: oculos habebat impudicos, quos pomi blandientis illecebra adulterauit. Vestitus cultior, picta facies, epistolæ adolescentũ blandæ, munuscula ultro citroq; missa, morituræ uirginitatis indicia sunt. Cui colitur uirgo, semel Christo consecrata? Quur expetit iuuenum consortia, quæ in hoc accepit uelamen, ne mundus cõspiceret, quod sponso Christo dicatum esset? Mulier quæ nupta est, ornat se uiri oculis: uirgo quæ Christo nupta est, quur ullius hominis oculis se colit? Audite quid illa dicat apud Poëtam eruditum, sed Ethnicum:

Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus autor abest.

Sic cultum negligit illa, quia non adsit sponsus: qua fronte comit se uirgo in hoc mundo, cuius sponsus est in cœlo? Quorsum adstat speculo semel despõsa Christo? Quin seipsam contemplatur in fonte scripturæ diuinæ? Quur autem his ornamentis expolit sese,

quibus ille offenditur? Ista mundities in oculis spon/si uestri sordes sunt meræ, iste nitor squalor est, isti odores nausea sunt. Amat ille spiritus nitelas, amat animi munditiem, amat pigmenta mentis. Quicquid habet mundus earum quæ se comunt oculis mundi, uirgo Christi magnificentius ornatur earum rerũ con temptu, quàm copia. Decentius ornatur derasa coma, sacro ꝙ uelamine, quàm ulla sponsa sericis, auro, gem/mis, ac purpura. Nam fucorum emẽtitus nitor, etiam in Ethnicis semper uitio datus est. Sponsa Christi tot habet ornamenta, quibus commendatur oculis dei, quot ornamenta mundi cõtempsit amore sponsi sui: pro gemmis ornatur uirtutibus, pro purpura charita/te, pro auro sapientia, pro fucis animi simplicitate, pro sericis castitate, uerecundia, pro monilibus modestia. Non offuscatur uestium sordibus pudicitiæ candor. Ex ueterum monumẽtis liquet, quæ fuerint præcipue uirginum laudes, abluere pedes miserorũ, lauare pan/nos pauperum, assidere & inseruire ægrotantibus, con trectare corpora ulcerosorũ amore Christi. His rebus sordidata uirgo, formosissima est Christi oculis. Cæte rum quoniam nunc diuersum est sacrarum uirginum institutum, inter se certent officijs charitatis, manibus parent, quo subueniant pauperũ inopiæ. Et si quando uirgini inciderit cum prophanis colloquium, illud stu/dio sit, ut à colloquio suo dimittat illos emẽdatiores,

non

non ut ipsa discedat corruptior. Reddat uos cautiores primæ uirginis exemplum, quæ corrupta ueteratoris colloquio, coniecit sese in miseriam lamẽtabilem. Adolescens lubrico uultu, lasciuis oculis, impudica lingua, quouis serpente pernicioſior est. Imitemini nouã uirginem, ducem ac principem instituti uestri, ea non colloquitur cum serpente, sed inclusa penetralibus suis, colloquitur cum Angelo, & hinc initium omnis salutis. Virgo quæ loquitur cum impudico iuuene, cum serpente loquitur. Virgo quæ pijs uotis solicitat deum, quæ meditatur in sacris libris, cum Angelo loquitur, uel cum sponso potius. Vtrũ tutius est? utrum honestius? utrum magnificentius? Quare si quando titillabit animos uestros desiderium earũ rerum, quas ut & suaues & præclaras ostentat mũdus, cogitate, quod res est, eas uos non reliquisse, sed magno lucro uestro permutasse. Proinde nihil infelicius illis, quibus nec mundi commodis frui licet, quæ sitiunt, nec suis delicijs fruuntur ob animum carnis cupiditatibus uitiatum. Habent mundi uirgines suas sodales, habent ornamenta, habent lusus, habent cantiones & choreas, sed hæc qualiacunque sunt, tantisper habent donec ætatis florem marito prostituerint. Verũ hæc omnia Christi uirginibus, ut uera sunt & interna, ita sunt & perennia. Illæ mox posito serto uirginali flammeum

accipiunt

accipiunt matronale, nimirum seruitutis indicium, etiam Paulo teste. At uirgines deo dicatæ semper uelatæ sunt sponso suo, ne uideantur ab adultero mundo. Est enim zelotypus amator IESVS, non patitur suas delicias prophanis oculis prostitui. Immo utrũ est felicius, ancillam esse mariti, an Christi? Ecce, inquit illa, ancilla domini. Quæcunque uere est ancilla domini, domina est mundi. Interpretare uirgo uelamen tuum, regni insigne est, non seruitutis. Quæ maritis uelantur, seruitutem humanam profitentur. Nec semper est ò bonæ, maritorum lene imperium. Sæpe pro maritis contingunt domini difficiles, procaces, inclementes, aleatores, ebrioſi, profusores, obærati, scabioſi, rabioſi, percussores. Ne quid interim dicam de grauioribus maleficijs, aut morbis. Accedit his cura rei familiaris, cura liberorum, negotia affinium, lites, orbitas, uiduitas. Nec enim est simplex afflictio carnis, quam Paulus denunciat his, qui coniugium malunt. Non est huius instituti declamatoria ratione persequi quicquid incommodorum sequitur coniugium. Hæc experimento discere misera est prudentia, præstat è libris eruditorum hominum discere. Quod si ne his quidem habetur fides, accerse ò uirgo quampiam ex his, quæ satis feliciter nupserunt, hanc obtestare ut narret tibi ueram sui matrimonij historiam: audies unde minus pœniteat te tui propositi.

Iam

Iam propone tibi exempla uirginum quæ nupſerunt infeliciſſime, quæ plurima turba eſt, & quicquid illis accidit, puta tibi accidere potuiſſe. Quicquid malorum, quicquid calamitatum frequenter accidit ijs, quæ nubunt ſponſo mortali, huic in totũ ſubductæ ſunt, quæ uere, quæ ex animo nubunt immortali ſponſo Ieſu. Nõ eſt, mihi credite, triſtis aut inamabilis ſponſus Ieſus. Viſus eſt olim non habens ſpeciem neq; decorẽ, ſed nunquam erat amabilior, quàm cum amore ſponſæ formam illam induiſſet. Quæ puella non pluris faceret procum ſuum, ſi relictis paternis opibus ruſtica no ſago tectus confugeret ad humilis uirginis caſulã, ut illius coniugio potiretur? Quid autem ſi per uulnera ad adamatam ſponſam properaret? An non ille in pãnis, & ſanguine perfuſus uideret amabilior? Haud dubie uideretur amanti. Iam cogitate an ueſter ſponſus, qui ueſtra cauſa patris arce relicta deſcendit in terras, & diſſimulata diuinæ naturæ maieſtate, induit formam ſerui, ſeſe deijciens uſq; ad ignominiam crucis, ſit uobis faſtidiendus. Amanti ſponſum uirgini, monaſterium nõ carcer eſt, ut quidam calumniantur, ſed paradiſus eſt. Non licet uobis uagari quò libet, iſthuc uirginibus nec tutum eſt, nec honeſtum, proinde nec exoptabile. Niſi forte placet exemplũ Dinæ. Non eſt triſtis aut inamœna res uirginitas, habet in ſacris literis ſua uiridaria, in quibus cum optimis ſponſi ſodali-

bus ſpatietur. Deum immortalem cum qualibus? cũ Tecla,cum Cecilia,cum Agatha,cum Theodora,cum Euſtochio, aliĳſq; innumerabilibus. Habet ſua ſerta ſpiritualia ex uarijs uirtutum floſculis concinnata,ha-
2.Cor.2 bet unguenta ſua,ut poſſint cum Paulo dicere:Bonus odor ſumus deo in omni loco.Habet ſponſus delicias unguentorum ſpiritualium,quorum fragrantia ſupe-rat omnia aromata. Quid amabilius nomine Ieſu? Vnguentum effuſum eſt nomen eius. Quæ hoc odo-re tractæ,curſu ſequũtur illum, quid tædĳ ſentire poſ-ſunt in hac uita? Habet & uirgo ſuum unguentum,
Cant.1 quo uiciſſim oblectat ſponſum ſuum. Dum eſſet, in-quit,rex in accubitu ſuo,nardus mea dedit odorẽ ſuũ. Et in Euangelio ducturus ſponſam ſuam eccleſiã, nar-do peccatricis perfunditur. Habent à Dauid citharas ſuas, habẽt pſalterium, habent cantilenas & hymnos ſpirituales, quibus iugiter pſallunt in cordibus ſuis do-mino,gratias agentes,laudantes & obſecrantes, non-nunquam & dulcibus ſuſpirĳs deſiderãtes ſponſi præ-ſentiam, ſi quando ille ſeſe ad tempus ſubduxerit:de-clinat enim ille nonnunquam ac tranſit,nõ ut deſerat, ſed ut amorem redintegret. Quid habent mundi uir-gines quamlibet felices, quod ad hæc ſolatia conferri poſſit? Locus anguſtus uideri nõ poteſt, quibus mox aperitur immenſitas cœli:ſodalitium infrequens uide-ri non poteſt, quibus propẽdiem continget omnium

ſanctorum

ſanctorũ ſodalitas. Quid ni dixerim propediẽ? quantula enim eſt huius uitæ ſumma? ut iam contingat ſenectus, quæ quotocuiq; contingit? Proinde uirgines optimæ, agnoſcite ueſtram felicitatem, & non inuidebitis mundo ſuas deliciarum præſtigias: agnoſcite ueſtram dignitatem, & non expetetis ſordida mundi cõmercia. Niſi te cognoueris, inquit, pulcherrima inter fœminas. Comminatur ſponſus uirginibus, niſi agnouerint ſuam beatitudinem. Non agnoſcunt autẽ, quas inſtituti pœnitet, quæ mundi delicias ſuſpirant. Cogitate quali ſponſo nupſeritis, illi totis præcordijs adhærete, in quo ſemel habetis omnia, quæ uere læta ſunt aut magnifica. Animet uos ad conſtantiam exemplũ ſanctiſſimorum iuuenum, qui magis etiam gaudebũt ſuorum corporum pignora ſeruari in ueſtro collegio, ſi ſenſerint uos æmulatrices ſuarum uirtutum, quibus deo placuerũt. Ornant illi ueſtrum ſodalitium, ſic illos uiciſſim ornabitis integritate morum ueſtrorum. Illi tot ſupplicijs excarnificari maluerũt, quàm guſtare carnem ſuillam, Vos putate carnem eſſe ſuillã, quicquid ingratũ eſt ſponſo ueſtro. Si fueritis æmulatrices pulcherrimi certaminis, eritis & gloriæ cõſortes, opitulante ſponſo ueſtro Ieſu, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuit & regnat in æternum, Amen. DIXI.

ginibus iuxta diui Franciſci inſtitutũ Chri/
ſto militantibus prope Canta/
brigiam S. D.

BENE nos hortatur dominus, dilectæ in Chriſto uirgines, ut reconda/mus nobis theſaurum in cœlis, ubi neq; tinea corrumpit, neq; fur furat. Xeniũ quod ueſtra pietas miſit, intercipi potuit, ſed ueſtram charitatẽ, ueſtras ſanctiſſimas preces, quibus me quotidie ſponſo ueſtro commendare dignamini, homo quamlibet furax interuertere non potuit. Demus igitur operam, ut hoc opum genere diteſcamus, quarum elargitione non pauperior, ſed locupletior fit qui cõmunicat egenti, nec fraudari poteſt is in quem fit elargitio. Minima tam gratis, tam alacribus animis accipere, quid aliud eſt, quàm ambire maius beneficium? Itaq; quoniam intellexi uobis epiſtolam illam quam ſic ex tempore, efflagitante Thoma Greio, cui negare nihil poſſum, effudi uerius quàm ſcripſi, tantopere gratam fuiſſe, uiſum eſt unà cum epiſtola mittere floſculum, ex Eſaiæ ſemper uernãtibus hortis decerptum, qui ueſtros animos ſacri ſpiritus fragrantia ſimul & recreet, & corroboret. Etenim ſi flos terrenus admotus naribus nõ ſolum exhilarat, uerum etiã uires cordis cõfirmat: quan/

to

to magis huiuſmodi flores, quos aura diuini ſpiritus genuit aluitq́, animis & hilaritatem & robur addent ſpirituale, ſi animis admoueantur. Quis enim eſt cui non interdum obrepat mœror ac tædium quoddam intuenti mala, quibus hiſce temporibus undiq́ plena ſunt omnia? Quis tam confirmatus ſpiritu, cuius animum in tantis opinionum diſſidijs nō perſtringat aliqua tentatio? En igitur uobis Eſaiæ floſculus, qui pro tædio det alacritatem, & animum fidei robore cōfirmet fulciatq́: In ſilētio, inquit, & ſpe erit fortitudo ueſtra. Quis hæc dicit? Nō Eſaias, ſed ſanctus Iſraël, hoc eſt, æterna ueritas, quæ nec falli poteſt, nec fallere. Quoties aduerſa nobis immittit dominus, qui flagellat omnem filium quem recipit, meminerimus eſſe patrem, qui noſtræ conſulit ſaluti, non ignarus quid expediat nobis: ne obmurmuremus, ſed taciti patientérque feramus manum emendantis, licet naturæ ſenſui moleſtam, hoc eſt ſilentium quod per prophetam exigit dominus, feramus autem non ſolum abſque murmure, uerum etiam alacres, nimirum ſpe mox ſecuturæ ſanitatis. Quod affligit leue eſt ac momētaneum; quod delectat æternum & inæſtimabile. Charitas fidei miniſtra eſt (per hanc enim, ut ait Paulus, operat̄) utriuſq́ filia ſpes eſt. Vt enim demus fidem à charitate ſeiungi poſſe, certe ſpes de qua loquimur, nō niſi ex fide & charitate naſcitur. Proinde ſi filij ſumus potius

Eſa. 30

Gal. 5

quàm ſerui, patri fidamus, patrem amemus oportet: & ſi noſtram ſalutem illi cordi eſſe credimus, nō ignari quàm immenſa ſit illius miſericordia in omnes qui diligunt ipſum, in medijs etiam moleſtijs multam alacritatem noſtro ſpiritui præbebit expectatio diuinæ conſolationis, quæ nō patitur nos tentari ſupra quàm poſſimus, ſed facit cum tentatione prouentum, ut ualeamus ſuſtinere, ſæpe miſcens triſtia lætis, ſemper addens unctionem ſpiritus, quæ triſtia quoq; uel leniat, uel exhilaret. Sunt autem quædam incommoda, quorum finem in hac uita non expectamus, qualis eſt ſenectus, morbus, ut aiunt medici, immedicabilis, & alij morbi nonnulli arte medicorum ſuperiores. Et in his ſilentium ac ſpes eſt fortitudo noſtra. Nam & leuius
Rom.8 ſit patientia, quicquid corrigere eſt nefas, ut ait ille, & nequaquam condignæ ſunt afflictiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ mox reuelabitur in nobis. Cur enim nō dicam mox, cum hæc uita omnis uix tēporis momentum ac punctum ſit ad æternitatem? Quod ſi ſpes humana tantam habet uim, ut uere meritoq; quidam Ethnicus Poëta de illa ſcripſerit:

Spes bona dat uires, animū quoq; ſpes bona firmat.
Viuere ſpe uidi, qui moriturus erat.

Quid non efficiet illa ſpes quā in nobis gignit ſpiritus Chriſti? Spes humana ſæpenumero fallit, ſpes autem hæc nō cōfundit, ut ſcribit beatus Paulus. Cæterū con-

fundendi

fundendi uerbū, q̄ usus est Apostolus Græce scribēs, nō est perturbationis, sed pudoris potius & probri. Si quidē ijs qui præsidijs hominū freti, magna de se iactarūt, si res præter spē euenerit, propémodū acerbior est exprobratio q̄ ipsa calamitas, pudore malum cō/duplicante. Verum quisquis totam fiduciam suam collocauit in domino, certam habet spem, nec periculum ullum est, ne frustratus expectatione sua pudefiat. Et si nonnunquam pij uidentur hic ad tempus pudefieri, certe non pudefiunt in æternum. Opprobria opprobrantium ceciderunt super dominum in cruce pendē/tem, audiuit uoces omni felle amariores, Sperauit in deo, liberet eum nunc, si uult eum. Hæc audiuit caput, audiunt similes uoces & illius membra. Sed quemad/modum afflictionis exemplum habēt à capite, ita habent & spei fiduciam. Nunquid ille ad impias uoces respondit? Nihil inuenies, sed in silentio & spe posuit fortitudinem suam, tranquillo animo dicens patri: In te domine speraui, non cōfundar in æternum. Vbi uident homines, pios morbis, bellis, damnis, exilijs, cruciatibus & mortibus affligi, uox est impiorū: Vbi est deus eorum? Quæ utinam interdum non audiatur & inter Christianos. Sed grauius est quoties hæ uoces perstrepunt inter præcordia nostra, nonnunquam & ad blasphemiam usq; prorumpentes, cū animus do/lore tædioq; uictus, deum uocat immitem, iniustum,

negligentē

negligentem rerum humanarũ, benigniorem erga ma los quàm erga bonos, quod illis ferè res magis secun/ dæ sint, quàm ijs qui pietatem sequuntur, non intelli/ gentes quod dominus noster per cruciatus & ignomi niam transijt ad gloriam, & obliti quod Paulus scri/ psit ad Timotheum: Omnes qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur in hoc seculo. Si nihil adiecisset, tædere nos poterat afflictionis per/ petuæ, nunc spem mox finiendi cruciatus & secuturæ felicitatis ostendit, dicens: In hoc seculo. Quin & He/ bræus ille sapiens hoc præceptum inter pietatis rudi/
Eccĩ 2. menta ponit: Fili accedens ad seruitutem dei, sta in iu/ stitia & in timore, & præpara animam tuam ad tenta tionem. Vide ut scripturæ diuinæ sibi cõsentiũt in sen/ tentijs, licet uerbis ac figuris uarient. Idem dicit Sirach quod Petrus, Paulus, & Esaias. Quod hic uocat silen/ tiũ, ille dicit stare in iustitia & timore. Quod ille spem, hic tentationis uerbo significauit. Qui stat, non turba tur, non dejcitur animo. Qui stat in iustitia, agnoscit suam iniustitiam, ac dei flagellantis iustitiam adorat. Qui stat in timore, non obmurmurat ei, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam. Rursus qui præparat animam, non exanimatur, uelut insperatis malorum procellis, sed boni consulit, quicquid deo ui/ sum fuerit immittere. Quod alijs uerbis præcipit Pe/ trus apostolus: Charissimi, nolite peregrinari in feruo

re, qui

re,qui ad tentationem uobis fit,quasi noui aliquid uo bis contingat, sed communicãtes Christi passionibus gaudete, ut in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exul/ tantes.Iam qui intelligit afflictionem esse tentationẽ, hoc est, explorationem diuinam, expectat probatio/ nem,quæ spem habet comitem,omnis molestiæ leni/ tricem, quemadmodum Romanis scribit Apostolus: Sed & gloriamur in tribulationibus,scientes quod tri bulatio patientiam operatur,patientia autem proba/ tionem,probatio uero spem, spes autem non confun/ dit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Non satis erat diuinæ benignitati, gaudijs æternis pensare tem/ porarios ac momentaneos cruciatus, in medijs etiam afflictionibus dat suis pignus arcani spiritus tam effi cax,ut non solum nõ deficiant in malis, uerum etiam glorientur & exultent.Itaq; piorũ spes,etiamsi uideat eos pudefacere apud homines, reuera non pudefacit dum intra se sentiunt testimonium spiritus testifican/ tis humano spiritui quod sint filij dei,gaudẽtq; se ma nu clementissimi patris ad hæreditatem uitæ cœlestis explorari fingitq;. Sic enim prosequitur ille sapiens: Quoniam igne probatur aurum & argentum,homi/ nes uero receptibiles in camino humiliationis. Crede deo,& recuperabit te, & dirige uiam tuam, & spera in illum.Qui credit se deo,silet.Silentem ille sic flagellat,

ut emendet: sic prosternit, ut erigat: sic necat, ut uiuifi-
cet. Tu sine medicum suo more operari, tantum relin-
que peccata, & ira dei uertetur in misericordiam. Fru-
stra speras dei misericordiã, si persistis in his quæ pro-
uocant iram dei. Narrant humanæ literæ, quendã ne-
gociatorem ubi cõflatis facultatibus proficisceretur in
lõginquas regiones, ut multo ditatus lucro rediret in
patriam, posteaquàm naufragio periissent omnia, di-
xisse: Age fortuna sentio quid uelis, ad philosophiam
me uocas, uenio quò uocas. Huic iactura rerum cessit
in maximum lucrum, siquidem ex auaro mercatore
factus est insignis philosophus, ditior contemptu pe-
cuniarum quàm possessione. Saltem huius exemplũ
nos imitemur, q̃ties nobis accidit uel publica uel pri-
uata calamitas, ne consternemur animo, ne murmure
mus aduersus manum omnipotentis, quemadmodũ
fecerunt Hebræi, qui à serpentibus perierũt, sed quod
Ethnicus ille dixit fortunæ, nos dicamus deo, rerũ hu-
manarum unico gubernatori: Age clementissime pa-
ter, sentio manum tuam inuitantem ad pœnitentiam,
en ad te uenio, me totũ tibi trado, finge ac refinge pro
tua sancta uoluntate filium tuum hactenus male di-
cto audientem. Nunc hominum uulgus, si quid im-
mittitur aduersitatis, non cogitat hoc immitti à deo,
sed alĩ sideribus, alĩ naturæ humanæ, alĩ his atq; il-
lis hominibus, aut etiam occasionibus irascuntur, & ul-
cisci

cisci ſtudent, haud multo ſapientiores canibus, qui lapidem mordẽt ab homine iactum, ipſo relicto homine. Tempeſtas perdidit fruges, merces periere naufragio, cœlum peſtilens afflauit corpori morbum, miles incendit horrea, Sycophanta faceſſit negociũ, obſtrepit maledica lingua. Quid male precaris cœlo & mari? Quid ultionem paras in hominẽ? Iſthuc eſt mordere lapidem. Primum illud cogita hæc à deo immitti, nec multum referre per quos immittat, utitur enim ille & elementis & improbis hominibus ad ultionem. Mox circumſpice teipſum, nũcubi tuis ſceleribus iram dei prouocaris, & ſi deprehenderis, quis autem nõ deprehendat, primum ultionem à te ipſo ſumito, correctis moribus & ad deum cõuerſus, qui miſit lapidem. Sin minus, tamen cogita, tentat me deus, an uere diligam ipſum, orabo ut in me augeat charitatẽ. Ab hoc animo quantum nunc abſumus pleriq; ? Quot annis iam omni malorũ genere affligimur? Decem plagis afflicti ſunt Ægyptij, & ad ſingulas cœperũt reſipiſcere. Nos tot iam annis tanto pluribus atterimur, nec agnoſcimus domini manũ, nec quiſquam ad uitæ correctionem confugit, ſed in alios alij culpam reijcimus, ſibi quiſq; blanditur, molimur uindictas, quaſi quicq; poſſint homines aduerſus diuinam potẽtiam. Quod enim mali genus eſt, quod non premit nos? Aut quæ pars eſt orbis ab horum malorum immunis cõtagio?

Vbi terrarum nó furit Mars, cum Martem dico, non unum aliquod malum dico, sed malorũ omniũ oceanum. Vbi non pestilentia? ubi non rerum caritas & fames? ubi non expilationes? ubi nó latrocinia? Nec alibi defunt inundationes. Quàm acres & implacabiles principum iræ, quantum calamitatum inuexerunt rebus humanis, quantoq; grauiora minitant? Quanquam hæc leuia sunt, si cóferantur ad ecclesiæ dissidia. Quot sectis discerpimur, & subinde suppullulant nouæ? Quos iungit sanguinis propinquitas, quos eadẽ domus, quos idem lectus copulat, distrahit opinionũ dissensio. Inter has plagas quotum quenq; uidemus, qui cogitet de corrigenda uita, qui confugiat ad domini misericordiam? Suam quisque uicem ulciscitur. Suaquisq; commoda tueri conatur, nec aliud quàm cõduplicamus nobis mala, & aggrauamus domini manũ.

Esa. 30 Mittimus legationes in Ægyptum, oneramus camelos opibus, confugimus ad ueloces, & irritis tumultibus miscemus omnia. Nec audimus sanctum Israël clamantem nobis: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Quid est reuerti? relinquere mores & affectus pugnantes aduersus deum. Quid est quiescere? Est abdicatis cupiditatibus carnis, nos submittere uoluntati diuinæ. Ita demum felix illud ac uerum sabbatum erit in animis nostris, si nostris affectibus cõsopitis & requietis,

dominus

dominus in nobis quæ uult operetur. Quid primum curant medici? Exhauriũt corpus noxijs humoribus, cætera permittunt naturæ. Abijciamus & nos scelera nostra, dominus in cuius manu sunt corda regum, illico flectet ea ad studium pacis & cõcordiæ, tollet è medio locustas militum omnia depopulãtium, & ranas opinionum, auferet tenebras nostras, ac ueritas illucescet cordibus nostris. Audimus uocem domini cũctos ad uitæ correctionem prouocantis, ne auribus obturatis obduremus & corda nostra, dicentes cum impijs apud Esaiam: Nequaquam, sed ad equos fugiemus, & super ueloces ascendemus. Ne rursus illud ingerat nobis: Ideo fugietis, ideo uelociores erunt qui uos persequentur, fortasse talibus uerbis nemo reclamat nũc domino, sed factis penè reclamamus omnes. Hæc publica tẽpestas uos leuius perturbat, ô beatæ uirgines, quæ seculo mortuæ iam in terris cœlestem quodãmodo uitam agitis, & abditæ cum sponso Christo delicia mini, cui quo propiores estis, hoc magis decet uos ecclesiæ tranquillitatem pijs uotis sacrisq; precibus illi commendare, leuantes non modo puras manus iuxta Paulum, sed multo magis pura corda ad dominum, ueluti colũbæ in foraminibus petræ, & in cauernis maceriarum, gratissimo gemitu semper obmurmurantes sponso. Petra autem Christus est, quæ multas habet latebras, in quibus piorũ animæ tuto latitent ab hu-

ius mundi tumultu. Vbi dulci temperie refrigerantur ab æstu carnalium desideriorum, quæ militant aduersus spiritum. In his foraminibus hoc tutius ac felicius delitescitis, quo minus instructæ estis præsidijs humanis, quemadmodum columbæ, nec rostro, nec unguibus, nec ui, nec dolis armatæ sunt aduersus iniuriã aliarum auium, tantum fuga latebrisq; tutæ sunt, neq; norunt ulli cæterorum animantium moliri uim aut iniuriam. Grata simplicitas relucet in oculis, quam & spõsus adamat in canticis, & Euangelicæ literæ nobis cõmendant. Nec obstrepunt molesto garritu quemadmodum aliæ permultæ, tantum amabili murmure solitudinem suam solantur. Ad hanc imaginem, ô beatissimæ uirgines, & uos in Christi cauernis latitatis, in silentio & spe collocãtes fortitudinem uestrã. Est murmur impium, quod odit dominus. Est & tacitum gratumq; murmur, quo non desinunt gemere mentes afflatæ spiritu Christi, donec euacuetur quod ex parte est, ueniatq; quod perfectum est. Talia sunt columbina murmura. Est & pernicioſum silentium, quo uetus prouerbium dicit periisse Amyclas. Est silentiũ impiũ, quod nescit fateri cõmissa, quod premit gloriam deo debitam. Nimirum hoc erat mutum dæmoniũ, quod solus Iesus potest eijcere. Est & gratum trãquillumq; silentium, quod cum spe iunctum, reddit inuictũ animum aduersus omnium malorum incursus. Hic silent

affectus

affectus carnis,ſed audiuntur gemitus ſpiritus.Sic in/
gemiſcebat Paulus,cũ diceret: Infelix ego homo,quis
me liberabit de corpore mortis huius ? Sic Dauid cũ
diceret:Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtu/
tum,concupiſcit & deficit anima mea in atria domini.
Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum , ſic deſide/
rat anima mea ad te deus.Habent uulpes latebras ſu
as,habent uolucres cœli nidos,in quibus conquieſcũt,
columbæ quietem neſciunt, niſi in foraminibus petræ
& cauernis maceriæ . Ideo perforatus eſt in cruce tot
uulneribus,ut illic pijs mentibus , quæ mũdi præſidijs
omnibus renunciaſſent, quietum ac tutum eſſet ſuffu/
gium.Idẽ dictus eſt lapis angularis, connectens utrũ/
que parietem.In huius cauernis dulciter ac feliciter lati
tate uirgines, donec audieritis uocem ſponſi ad æter/
nam felicitatem euocãtis: Surge, propera amica mea,
ſpecioſa mea,& ueni,columba mea in foraminibus pe
træ,& in cauernis maceriæ,oſtende mihi faciem tuam.
In his cauernis latitauit inſtituti ueſtri parens Franci/
ſcus , humillimus apud mundum , apud deum maxi/
mus. In his latitauit ſanctiſſima uirgo Clara,ueſtri ſo
dalitij dux & patrona, quæ nullis huius mundi præſi/
dijs,nullis humanis freta uiribus,ſed ſilentio & ſpe for
tis,calcauit mundum, proſtrauit ſatanam, uicit carnẽ,
& poſt temporarios gemitus,meruit uitæ cœleſtis co/
ronam , regnans cum ſponſo , quem ſpretis omnibus

ſatanæ

ſatanæ pompis & illecebris unũ adamauit. Huius ue/ſtigijs ingredientes perſeuerate uirgines,ac ſemper ad meliora proficite,ut quemadmodum nunc eſtis ſociæ certaminis,ita ſitis & gloriæ,quæ mox reuelabit᷑ in uobis. Ne uos terreat ætas tenera,ſexus fragilis,corpuſculi imbecillitas,ſatanæ poteſtas mille dolis armata, petra in qua latitatis fortior eſt omnibus, comminuetur quiſquis in hanc impegerit,tutus erit,quiſquis cõſtanter inhæſerit. Quo quis magis fidit ſuis uiribus, hoc eſt imbecillior:at qui ſibi diffidit totus,qui nullũ aliud ſpectat præſidium quàm Chriſtum, is omnia poteſt
1.Cor.1 cum Paulo,non in ſe,ſed in eo qui elegit infirma mundi,ut confunderet fortia, elegit ſtulta huius mundi, ut pudefaceret ſapientes, elegit ignobilia & ea quæ non ſunt, ut ea quæ uidentur eſſe magni momenti deride/ret. Iam etiamſi quæ ſunt inter uos, quæ iuxta carnem gloriari poſſunt,quemadmodum potuit Paulus,non expedit tamen gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ie/ſu Chriſti, qui cum omnem mundi gloriam uſque ad crucem contempſerit, quem poſtea nõ pudeat in hoc mundo gloriari? Paulus in tertium cœlum raptus nõ audet gloriari,niſi in infirmitatibus ſuis, & nos homũculi gloriabimur in uiribus noſtris? Ille imbecillitate ſua potens eſt. Nõ eſt igit᷑ quod metuas puſille grex, confide quoniam qui uos tuendas ſuſcepit, uicit mundum. Te uero religioſiſſima domina,quæ uirgineæ ſodalitatis

dalitatis curam agis, nihil arbitror neceſſe, ut horter, admoneãq; tui officij, gratulari magis liberet, niſi uel parum id tutum eſſet humanæ fragilitati, uel parum gratum tuæ ſingulari modeſtiæ. Tãtum oro, ut quod facitis, pergatis noſtri in ueſtris ad dominũ precibus meminiſſe, nominatim autem Greijs ſororibus ex me ſalutẽ dices. Dominus uos omnes ſeruet incolumes. Simul orabit ueſtra charitas pro interceptore, ut ex miluio uel harpyia potius fiat colũbus, deſinatq; tandẽ cretiſſans inuolare quidlibet, ne prouocet in ſe manum Chriſti, & nomen illi uertatur. DIXI.

ERASMVS ROTERODAMVS CANDIDO LECTORI S. D.

SAEPE queſtus ſum optime lector, me grauari ſtudijs amicorum, qui me uiuo & reclamanti euulgant quaslibet nugas, quas puer etiam exercendi ſtili gratia luſi, nihil minus cogitans, quàm ut in hominum manus uenirent. Qua quidem in re hoc etiam ſum infelicior, quod nunc prodeunt hoc feliciſſimo ſeculo, minus ob noxia futura ſannis hominũ, ſi tum fuiſſent ædita, cũ primum erant condita. Nunc leguntur ut à ſene prodita, quæ nec adoleſcens in hoc ſcripſi, & leguntur ab hac ætate, quæ tam multos habet naris emũctiſſimæ.

Olim uix annos natus uiginti, ad improbas preces cu iuſdam qui adhuc in uiuis eſt, ſcripſi epiſtolam qua il le cupiebat Iodocū nepotē ad ſuæ uitæ conſortiū euo care. Huic ſæpius deſcriptæ, & paſſim euulgatæ meū addidere nomē, cū mihi nullus ſit nepos Iodocus. Alie no ſtomacho ſcripſi, & ut res ipſa clamitat, ſcripſi negle cte, ludens ex tēpore in locis cōmunibus, nulla tum in ſtructus autorū lectione. Ac typographi palàm mini tabant ſeſe æditurōs, niſi æderē ipſe. Ita q̄ relegi, pau culiſq̄ uerbis immutatis, paſſus ſum officinis cōmitti. Sic opinor fiet aliquādo, ut deſinam pueritiæ meæ næ nias adamare. Bene uale lector optime: & ſi legis hæc, cum uenia lege, & ſic lege, ut alieno ſcripta ſtomacho.

D. ERASMI ROTERODAMI DE CONTEMPTU mundi Epiſtola, quā conſcripſit adoleſcens in gratiam cuiuſdam, & illius nomine.

Theodoricus Harlemeus Iodoco Nepoti doctiſſimo S. D.

LIM quidem Iodoce adoleſcēs chariſſime, nō mediocris mihi ad te ſcribendi inceſſit cupido, ſed hactenus pudore magis quàm negligentia ſilui, ueritus ſcilicet ne te ſingulari, tum prudentia, tum eruditione hominē, ego admonere parans (ego inquam natu quidē haud multo maior, cæteris autem rebus longe inferior) aut ululas

ululas Athenas (ut in prouerbijs eſt) aut in ſyluam li/
gna ferre uiderer. Non quod dubitarem quin tu (ut es
animo leniſſimo optimoq́ꝫ) adhortationem noſtram
in optimam partem acciperes, ſed ne ego parum mo/
deſti uiri officio functus uiderer, qui te admonere ten
tarim, à quo me admoneri lõge æquius erat. Quid igi/
tur faciam? Scribam ne? At id pudor uetat. Sileam ue
ro? At è regione id amor tui Iodoce nõ ſinit. Ergo ne
perpetuo hærebit in dubio animus, hinc ſuadéte amo
re, hinc diſſuadéte pudore? Verum ambiguo animo
uix quicquam eſt moleſtius. Vincat tãdem, uincat q̃d
æquũ eſt uincere, cedat amori pudor. Pluris mihi de/
bet eſſe tui commodi ratio, imò tuæ ſalutis, quàm alie
næ de me opinionis. Quod ſi noſtrum ſcribendi offi/
cium arrogantiæ magis quàm prudentiæ dabitur, ea/
tenus certe peccato meo dãda uenia erit, quatenus ab
amore (qui nihil conſulte agere ſolet) profectum uide
bitur. Malui em̃ amanter ſcribendo audentius, quàm
pudenter tacendo prudẽtius agere. Nec uereor omni/
no ne hoc patrono (amorem noſtrum loquor) abſol/
ui nequeam. Neq́ꝫ enim aut ſimplex eſt, aut uulgaris,
ſed & geminus & ſingularis. Maximæ ſiquidẽ ac pluri
mæ neceſſitudinis tecum mihi cauſæ intercedunt, mu/
tui à pueris conuictus, mira quædam animorum con/
ſenſio, communia optimarum artium ſtudia, innume
ra tua erga me officia, deniq́ꝫ ſingularis & tua & tuo/

A beneuolen/tia exordium

rum in me beneuolentia. His omnibus etiam sangui/nis affinitas accedit. Quid autem ea necessitudine po/test esse copulatius, quæ quasi duplici catena colligat, hinc sanguinis uinculo, hinc coniunctissima quadam charitate animorũ? Itaq; uelim sic tibi mi Iodoce per/suadeas, neminem unquam sibi quàm tu mihi es fuis/se chariorem. Quando autem te æque atq; me ipsum diligo, aut etiam amplius, æquissimũ est, ut tua salus non minori mihi curæ sit, quàm mea ipsius, imò facit id (nescio quo pacto) uerus amor, ut acerbius amici q̃ nostra incõmoda doleamus, eiusq; commodi quàm nostri simus cupidiores: deniq; (ut paucis dicam) facit ut homo sit homini charior q̃ ipse sibi. Quod equidẽ de te sperare, de me planè affirmare possum. Hinc mi hi eam fiduciam sumpsi, ut modestiæ paulisper obli/tus, hanc hortatoriam ad te epistolam scriberem, qua te planè à mũdi strepitu commercioq; abducere, atq; ad monasticam, id est, solitariam tranquillamq; uitã transferre cupio. Res ardua, & quæ non passim uulgo persuadeatur, sed quoniam ea uitæ tuæ integritas est, ut iam nunc præter habitum (in quo mihi quidẽ gra/tulor) propè nihil suum in te mundus habeat, exhor/tationem meam non inanem futuram confido, quan doquidem eódem te & optimi animi impetus, & no/stra uocat oratio. Quis enim dubitat ei rati cursum es/se facillimum, quæ & uentis fertur & amne secundis?

Propositio totius argumẽti

Quanquã

Quanquam autem in optimam ſpem tua me probi-
tas uocat, nunquam tamen timere deſinam, donec ne-
quiſſimo iſti & lubrico ſeculo ualedixeris, atq; ad cœ-
nobium tanquam in tutiſſimum ſinum te receperis.
Quoties enim (crede mihi) diſcrimina in quibus tua ui-
ta uerſatur, mecum pertracto (id autẽ facio propè ſem-
per) toties ſingularis tui amor anxium me atq; ſollici-
tũ reddit, nec aliter afficior quàm pia mater, quæ gna-
to unico, eodemq; chariſſimo fretum aliquod crebris
infame naufragijs nauigãte, ſæuiſſimum uentorũ tur-
binem ſurgere non ſine lachrymis uidet, palleſcit, trepi
dat, æſtuat, gnatũ in ſomnis cogitat, gnatum dormi-
ens ſomniat, ſemperq; animo peiora uereť, ſemperq;
timet grauiora pericula ueris. Atq; utinam ego nõ mi
nora ueris pericula timeam, ſed noui ego, noui Iodoce
noui, quos iſtud ſeculi fretum habeat motus, quæ ui-
tæ pericula, quot mortium genera, unde pridem ſciſſa
rate uix exigua uehente tabula nudus euaſi. At tu for
ſan ceu temere ſecurus timidiuſculum me uocans, ſecu
rum eſſe iubebis. Atqui iſto pacto pectori noſtro me
tum non exemeris, imò adauxeris, tantumq; abes, ut
ſecurum præſtiteris, ut ſpem etiam noſtram propémo
dum omnem labefeceris. Tanto enim periculoſius di-
ſcrimini pates, quanto minus intelligis, aut certe ſi in-
telligis, non caues. Nihil iſta confidentia pernicioſius,
nihil dementius. Quid enim eo nauita uecordius, qui

*Argumenta-
tionis aſtutia.*

inter ſpumantes aſpergine ſcopulos, ſyrtes furẽtes, uoracesq; pelagi uortices, tempeſtate ſæuiſſima, rate denicq; parum firma nauigans, nihil metuat periculi, ſed ad gubernaculum reſupinus cantitet, uectoresq; ſuos uetet eſſe ſollicitos? Quis non eiuſmodi hominis & temeritatẽ exhorreat, & incolumitati timeat? Neq; ego mi Iodoce prius tibi timere deſinam, quàm tu inquietiſſimum iſtud ſeculi pelagus deſines temerarius nauigare. Ridicula, inquies, comparatio. Quid ſeculo cum pelago cõuenit, cum altero nihil ſit blandius, altero nihil horridius? Imò ſi propius intendere uacet, haud ſcio, an ulla ſit accommodatior. An tibi ſirenum male dulces moduli, quibus prætereuntes nauigantes ſopire, tũcq; mari mergere ſolitæ feruntur, male blandas ſeculi illecebras inepte uidentẽ exprimere? Quæ utinam uideas quos adoleſcentiæ tuæ laqueos, quos dolos, quæ retia tetenderint. Harum igitur fac littus fugias (fuga enim tutiſſima eſt) nec temere confidas iſthàc te impune nauigaturum, ubi feciſſe naufragium uides Dauid, Salomonem, itemq; alios & plures & nobiliores, quàm ut hoc loco commemorandi ſint. Hoc breuiter dixerim, Nemo penè euaſit, niſi qui fugit. Vlyſſes, Homero autore, qui ſapientis perfectiq; perſonam gerit, ſirenum iſtarum uoces multo ſtudio, ut qui cera aures oppleuerit, ſeq; malo rudente aſtrinxerit, uix effugit. Tibi porrò quid ſpei eſt, in cuius unius perniciem tot pariter res

Seculi pelagiq; periculorum comparatio.

Sirenes.

ter res cõiurarũt,ætas lasciuiens,forma alliciens, opes, facultas,libertas, monstrorum deniq; istorum heu ni/ mium dulcium nocturna,diurnaq; carmina? Nec tibi minus metuendos censeo prominentes istos atq; acu/ tos scopulos,secularium dignitatum fastigia, in quos si te uiolentior flatus impulerit, pulchre se tibi res ha/ bebunt,si breui tabula natantẽ in littus aliquod igno/ tum procella eiiciat. Quid charybdium inexplebiles uoragines, quæ si quam forte corripuere ratem,currẽ/ tem sistere,atq; crebrius in orbem actã absorbere me/ morãtur, num obscurum habẽt auaritiæ simulachrũ? quæ insatiabili habendi studio pectus exagitans,nun quam sinit esse quietũ, donec absorptũ barathro de/ mergat. Nunc syrtium furibundos æstus, indomitos irarum impetus accipe,quarum isthic tanto copiosior materia,quanto offensa crebrior. Quid uenti? Nón/ ne tum assentatorum,tum maledicorum sermones pe stiferos pulcherrime referunt? Qui, nihil refert, unde flent,perinde utriq; timendi. Nam si secundi,in asper/ rimas cautes puppim præcipitem ferũt:sin aduersi,ni/ hilo minus in syrtes agunt. Et quid horrenda illa flu/ ctuum alternatio,modo ad sydera sese tollẽtium,mo/ do in seipsa residentium,quàm apte fortunæ uicissitu/ dinem uarietatemq; exprimit,qua plerunque fractus animus ad impatiẽtiam deiicitur, dum nuper beatus subitam calamitatem ferre nescit. Prætereo tempesta/

Scopuli.

Charybdis.

Syrtes.

Venti.

Cautes.

Procellæ.

tes.

tes,taceo nocturnos errores,syderum fallaciam,beluarum,quas pontus alit, mille genera nõ commemoro, quæ ipse pro tuo ingenio & plenius excogitabis, & rectius interpretabere. Quid quod ne tum quidẽ fidendum est,cum tibi placidum blanditur æquor , cum seuitreæ strauere procellæ, cum aëris arridet serenior facies ? Id enim agitur,ut te subita tempestas sopitũ inueniat.Proinde haud scio, sit ne seculi prosperitate uirtuti aduersius quicquam, quicquã nocentius, quicquã inimicitius.Nam,scriptura teste, multos quidem frangit calamitas,longe uero plures prosperitas soluit.Tu igitur mundo blandienti caue quicquam fidas , ne te (quod deus auertat) fracta naui natantem poëtico illo defleamus uersiculo:

Aequor placidum & fallax

O nimium cœlo & pelago confise sereno
Nudus & ignota Palinure iacebis arena.

Periculosum est morari in mundo.

Cap. II.

VIDEN' optime Iodoce quanta te circumstent pericula , cui uel ipsa est periculosa tranquillitas ? Quid? tu ne speras hæc te superare discrimina,ut nihil ulla ex parte detrimenti capias, præsertim in ista ætate quæ uel suopte impetu in flagitia prona fertur,nedum cum tot irritamentis impellitur? At spero,inquis.Speres licet,& ego quoq; unà spero,sed tamen uereor ne frustra speraverimus.

rauerimus. Tu uelim hanc noſtram ſpem paulo red/
das ſecuriorẽ. Sed facile ſuſpicor quid inter hæc legen/
da tecũ ſubmurmures, Vſqueadeo ne iſthic tuta ſunt
omnia? Itáne ſoli ſeruabuntur monachi? Ergó ne pe/
rituri omnes cæteri? Minime uero. Non diffiteor &
iſthic eſſe quorum nomina liber ille uitæ teneat anno
tata, neq; qui in monaſterium commigrarunt, íj conti
nuo res ſuas ita in tuto collocauere, ut planè ſecuros ui
uere liceat. At tantum inter hoc & iſtud uitæ genus in
tereſt, quantum inter eum qui iam in portu nauigat,
tametſi nondum retinacula fixit, & eum qui medio ad
huc pelago fertur: uel potius inter eũ qui natat in un/
dis, & eum qui terra facit iter. Non periſt qui commo
ratur in mundo, ſed periculo propior eſt. Ego uero mi
Iodoce, quoniam tibi optime cõſultum uelim, ſumq;
tuæ ſalutis fortaſſe teipſo ſtudioſior, diſcrimina fuge/
re, tuta captare iubeo. Qui amat periculum (ut ait ſa/
piens) peribit in illo. Quæſo te quorſum opus eſt ſæ/
uis iactari fluctibus, cum terra pateat iter, & tutius &
commodius? Quis (niſi prorſus oculis captus) non ui/
deat longe eſſe tutius, iucundius, commodiúsque per
amœna atque uirentia prata abſque formidine iter
agere, quàm inter tot mortis imagines, perpetua cum
anxietate uerſari? Eó ne cæcitatis uentum eſt, ut no/
ſtris etiam erumnis delectemur, & (ut apud Vergiliũ
eſt) inſano iuuet indulgere labori? Huc ades ô Iodo/

S ce, quis

ce,quis est nam ludus in undis?
Hic uer perpetuum,uarios hic flumina circum
Fundit humus flores, hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula uites.
Huc ades,insani feriant sine littora fluctus.
Hic liquidi fontes,hic mollia prata, uirensq́
Hic nemus, hic ipso tecum consumerer æuo.

Libuit hoc Vergiliano carmine te ad nostras delitias ab istis auocare fluctibus. Sed nescio quibus præstigijs, animi tibi fascinat oculos male blanda mundi species, gestientemq́ animum itidem ut uisco quodã impeditum moratur ac detinet. Subit enim continuo fucata illa rerum facies,iamq́ euntem blande reuocat, quid inquiens,agis demẽs? Cur & te,& tuos is perditum? Itá ne uniuersos deseris crudelis? Vt sodales charissimos,atq́ amicorum turbam contemnas, parentũ non miseret? Et quid tandem animæ miseræ illi futurum censes,quæ te amat misere,quæ te deperit,quæ te maritum optat? Vide etiam atq́ etiã, quid inceptes. Mollior es, quàm qui rem tam duram perficias. Ista ætas, ista forma, multo alijs rebus conueniunt. Vah tam indigne æui florem patieris excidere? Solus perpetuo mœrens carpêre iuuenta? Senibus,quibus iam uita desijt esse suauis,ista relinquas: tu puer es, nec te quicquam nisi ludere oportet. Vel illud respice. Domi res tibi ampla est,futura amplior si manseris. Ea perit.

Honoribus

Honoribus ſatis ornatus es,clariores impendent,ni te ſubtraxeris.Hæc omnes quærunt, tu unus quæſita relinquis? Ergó ne abis,nunquam poſthac his fruiturus gaudijs,his opibus,his & his commodis? Saltem da ſpacium tenuemq; moram,mala cuncta miniſtrat impetus.Audiſti,audiſti? Et iſtæ ſirenum uoces ſunt, ſed tu per ſalutem tuã caue auſcultaueris. Vlyſſem te præſta.Mentem tibi excantabunt,ſi aurem accommodes. Blandiſſimæ quidem ſunt,atq; ita ut uel ſaxea pectora permoueant,ſed mortiferas eſſe atq; in æternũ exitium ducere memineris.Huc potius aures,huc oculos, huc animum flecte , collige quicquid in te eſt uirium, intende quàm potes acerrime mentis aciem, nihil tibi ineptus blandiaris,rem ipſam introſpice,uidebis profecto,ſi quid tamen uidebis,quàm putida, quàm inania,q; deniq; te ſint indigna quæ euolare non ſinunt.

De contemnendis opibus. Cap. III.

QVID enim tibi pollicetur mundus,quod tanti ſit,ut eius gratia ſalutem tuam in dubium uenire ſinas, atq; à noſtris uelis abeſſe delitijs? Quid inquam tibi pollicetur? Opum affluentiã? Nam eas in primis mirantur mortales.At his nihil miſerius,nihil uanius,nihil perniciouſius.Hæ omnis flagitij & magiſtræ,& miniſtræ.Neq; enim temere omnium malorum radicem ſcriptura appellat cupiditatem.Hinc amor ſceleratus habendi naſcitur,

scitur, hinc iniuriæ oriuntur, hinc factiones pullulant, hinc furta, hinc peculatus, hinc sacrilegia, hinc rapinæ, hinc latrocinia proficiscuntur. Hæ incestus pariũt, hæ adulteria gignunt, hæ stupra nutriunt, hæ amores insaniſſimos luxumq; alunt. Deniq; quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Vides igitur quàm sapuit Flaccus Horatius, qui eas summi materiam mali uocãs in mare præcipites dari iubet, si scelerũ, inquiẽs, bene pœnitet. Tanta enim rebus societas, ut etiam uocabulis ipsis cognatio quædam esse uideatur uitijs ac diuitijs. Quotumquenq; mihi dabis diuitum, qui non alterutro morbo laboret, aut auaritia (qua nihil est tetrius) si natura ad rem sit attentior, aut luxu (quo nihil putidius) si paulo sit ingenio benigniore? Alter rei seruus nõ dominus est, alter haud diu erit: alter habetur, nõ habet, alter mox habere desinet: alter uiuit magnas inter opes inops, alter abutitur, non utitur. Pulchre hæc intellexisse Eutrapelus quidã mihi uidetur, quem eum à quo forte lacessitus esset, sic ulcisci solitum accepimus. Non conuitijs, non ueneno, non ferro petebat, precioſis uestibus ditabat hominẽ, ratus id quod est, diuitias sui famem excitare, habendi famem uirtutem dedocere, atq; ad omnem turpitudinem ac dedecus impellere. Sed fac nihil horum euenire, tu sanè sis rara auis in terris, nigroq; simillima cygno, quid tãdẽ pulchri habent ista precioſa pondera, quæ & moleste parantur.

parantur,& anxie seruantur,quorum congestio diros labores,custodia anxios metus,amissio miseros affert cruciatus? Nullæ ergo homini locupleti feriæ,aut partis peruigil incubat,aut parādis inhiat,aut amissa dolet,damnū iudicat quoties lucrum non fecerit. Et quid si montibus aurum æquauerit,aut si potis est uel uicerit? Auxit sarcinam, cumulauit curas, aggessit metus ac molestiam,parauit sibi custodiæ munus,miseriæ laboriscꝫ plenissimum. Crescentem sequitur cura pecuniam. Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.Et minus hanc optat,qui non habet.Denicꝫ misera est magni custodia census. Vulteius ille Horatius male de se meritum patronū iudicabat, cuius ingenio à paupertate sua abductus fuerat,secꝫ non diuitē, sed miserum factum putabat, orabatcꝫ ut quàm primū uitæ priori redderetur. Laudādus ille quidem,qui mature resipuerit. At auarus, si molesta, inquit, est cura, dulcis est nummus:non me pigebit laboris, dum crescāt loculi. Sed dic mihi hominum stultissime dicam, an miserrime,cui nihil satis est,qui opibus tuis aut arca ferrata reconditis, aut (ut magis sapias) humo defossis, non aliter quàm hesperius ille serpens malis aureis noctes diescꝫ incubas, quorsum tandem census istos utiles esse, aut quid reris habere precij? Nempe nil aliud sunt, quàm æs merū, idcꝫ in facies tituloscꝫ concisum, quod nec edaces animi tui curas submo-

ueat, nec morbos ullumue corporis incõmodum aut pellat, aut arceat, nedum mortẽ. At ne egeam, inquis, præstant. Nugaris, imò ut semper egeas faciunt. Vt enim homini hydropico potus sitim nõ extinguit, sed accendit: ita tibi rerum copia, habendi studium iritat. At quisquis plura quærit, is se egere declarat. Adde nunc infidam rerum tuarum leuitatem, quæ tu tanto temporum spacio, tanta molestia, per fas nefasq; undecunq; congessisti, si fortuna (ut aiunt) rotam uerterit, continuo te deserto aliò commigrabunt, tuq; modo Crœso beatior, subito Irus eris. Hoc clarius est, q̃ ut in eo multum sermonem teramus. Quot enim coràm uidere est, ex regijs opibus ad extremã redactos inopiam? Sed fac stabilia esse, fac nõ deserere uiuum, num uita defunctum sequentur? Tibi in sepulchrum ituro, ex tantis rerum copijs, uix breue idemq; sordidum inuolucrum tollere licet, cætera iamdudum alios habent dominos. Tum si qua bene gestorum substãtia recondita fuerit, ea una in precio erit, ea una abeuntem non deseret dominum. Tanti igitur suauissime Iodoce tibi non sint uel uniuersa prædia, & omne aurum quod Tagus & rutila uoluit Pactolus harena, ut salutis tuæ uel iacturam facias, uel morã feras. Quin potius si tãtopere ditari iuuat, quo uere diues euadas, domini consilium audi: Thesauriza tibi thesauros in cœlo, ubi nec erugo, nec tinea demolitur, & ubi fures

non

non effodiunt, nec furantur. Nihil ea opulentia puta egentius, abundare nummis, egere uirtutibus. Nihil eo lucro infelicius, quod animæ damnum adfert. Turpissimum ergo homini, & erudito, & Christiano, id cũ summo salutis discrimine improbe sectari, quod Ethnicis philosophis, uel literarum, uel famæ gratia, contemnere haud fuit difficile.

Mortiferas atq; acerbas esse uoluptates carnis. Cap. IIII.

AN forte te dulces illecebræ retinent? Blandissimæ quidẽ dominæ, & fucata sua specie orbem ferè totum capiẽtes. Sed tu fucũ detrahe, caue cutis artificio fucatus nitor te permoueat. Non quid appareant, sed quid sint inspice. Videbis istis nihil esse tetrius, nihil spurcius, nihil pecudi uicinius. Nulla enim omnium re ad brutorum conditionem propius accedunt homines, quàm fœdissima carnis libidine, quæ eo nocentior quo blandior, ut eam diuinus ille Plato escam malorum aptissime uocauerit. Vt enim esca hamo præfixa pisciculos allicit, secq; captantes capit: itidem illa melle quodã sua uenena dissimulãs, animas prædæ auidas pellicit, pellectas inficit, infectas inclementer perimit. Et ne te diu morer, accipe philosophi sententiam Ethnici quidem, sed planè Christiano dignam, quam apud Ciceronẽ senior Cato se Tarenti ab Archita Pythagoreo accepisse

piſſe cõmemorat. Ait enim nullam capitaliorem peſtem,quàm uoluptatem hominibus à natura datam, cuius uoluptatis auidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur.Hinc patriæ proditiones, hinc Rerump. euerſiones, hinc clandeſtina cũ hoſtibus colloquia naſci dicebat.Nullum deniq; ſcelus,nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum nõ libido uoluptatis impelleret. Etiam illa adnumera,ex ea egeſtatẽ, ex ea infamiam, ex ea & graues & turpes corporis morbos, ex ea animi cæcitatem, ex ea numinis contemptum naſci,hanc eſſe omnis miſeriæ caput, hanc eſſe poſtremo catenã, qua ad æternos cruciatus trahuntur homines.O acerbam dulcedinem, quæ tot uallata eſt miſeriis,multæ antecedunt, comitãtur item permultæ,plurimæ atq; atrociſſimæ cõſequuntur.Dicebam modo ad brutorum conditionem accedere homines,nunc in ea re pecudes nobis longe anteponendas uideo. Illæ enim gratis,ſuis qualibuſcũq; uoluptatibus potiuntur:at homini,deus bone,quanti conſtat breuis illa ac turpis gulæ uẽtriſq; titillatio. Vides quale ſit, quod in genere uoluptatum uel præſtantiſſimũ eſt, ſi quid tamen ibi præſtans dici debet. Nunc quid tibi cæteras ſeculi cõmemorem ineptias dicam, an furias? Mala gaudia dixit quidam,mihi uideor nõ alieno nomine uocaturus, ſi inſana gaudia dixero. Quid obſonationes,ingurgitationes, compotationes,ebrietates

tates,nocturnæ debacchationes,quid choreæ,quid sal tatus,quid dissoluti lusus, quid sales scurriles atq; im pudici,quid id genus alia mille, nónne phrenetici risi bus tibi uidentur simillima ? Quis enim eum hominẽ non planè mente captum atq; insanum censuerit , qui cum aut cruci suffigendus, aut ense cædendus ducitur, nihil instantis supplicij metu trepidet,sed inter se flen tium turbam iocabundus,saltabundus,atq; cum mul to cachinno pergat ? At isti Iodoce eo peius insanire mihi uidẽtur, quo crudelior corporis morte mors ani mæ est.Ducunt in bonis dies suos,& in puncto ad in ferna descendunt. I nũc & ut brutæ ac mox morituræ carni, uel ad horã obsequare,à conditore defice,ut illa perdite uiuat, animam occide, ut illa caducis potiatur gaudijs,tu perpetuos tibi luctus compara.Sed tu for san legitimam Venerem amas, uxorem cogitas . Nó equidem damno nuptias,memini qui dixerit,Melius est nubere quàm uri.Pateat istud infirmis asylũ.Non inuideo Segor urbem magnam , & non magnam ex incendio Sodomorũ fugientibus,sed noui robur ani mi tui.Comprobo nuptias, sed in his, qui sine illis nó possunt uiuere . At quid his de rebus diuus Hierony mus scripserit,scripsit enim permulta,uide.Hoc unum pro nostra familiaritate tibi quasi in aurem dicã,mo nens,etiam atq; etiam orans & obsecrãs, ut caueas fer reo isti capistro ora porrigere,quod ubi semel admise

ris,haud facile excutias. Nó malæ ſunt nuptiæ fateor, at miſeræ certe ſunt. Cœlibatus pietatis amore ſuſceptus,ut multo melior, ita infinitis partibus infelicior.

Vanos & inſtabiles eſſe honores. Cap. V.

Ed delectant te forſan illuſtres tituli,atq; honorum ſplendor capit. Quid ni? ſcilicet pulchrum,late,ut ille ait, conſpicuum tollere uerticẽ,gaudes quod ſpectãt oculi te mille loquentem. Iuuat ambiri obſequijs, ſtipari clientela,in ore eſſe omnibus,herum ſalutari denique. Verum dic age, quid tibi iſti uidentur honores,quos tibi mortali mortales partim aſſentãdi ſtudio,partim metu,partim cõmodi ſpe exhibent? Nempe tam falſi ſunt quàm caduci. An nõ falſi, qui æque perditiſſimo cuiq; ut optimo obueniunt? Eos demum ueros honores iudica,qui à uirtutis decore profecti ſint. Tu facuitutem amplectare, iam te uel inuitum proſequentur. Vt enim umbram poſt ſe corpora ducunt,quæ nec fugientem deſerat, nec à captante prendi ſe ſinat: ita recte geſta ultro dignitatem adferunt, quam nec meritus effugias, nec immeritus aſſequare. An uero quicquam magis fluxum,magisq; caducum? Mihi quidẽ cum omnes mundanæ res fluxæ ac breues uidentur, quid enim hic diuturnum dicas, tum ijs nihil uidetur incertius fugaciusq;,quæ plurimum habent ſplendoris atq; faſtigij. Et cum nihil cõparetur moleſtius, diu

enim

enim aduerſus præruptum mõtem uoluendũ ſaxum cum Siſypho, audẽdum eſt aliquid,exilio, carcere,aut etiã cruce dignum,ut tandem fias aliquid , cum igitur nihil comparetur moleſtius, nihil tamen amittitur facilius. Cur ita inquis? Nempe ſummã dignitatẽ ſumma cõſequatur inuidia neceſſe eſt. Summa petit liuor, perflant altiſſima uenti. Semper enim inſignes arduas ꝙ res illa comitari ſolet. Quid deinde? Qui multorum ſibi cõflauit inuidiam , is multos uitæ ſuæ hoſtes ferat oportet. Cur ita? Nam cum multi ambiãt quod unus tenes,nec te ſaluo aſſequi ſpes ſit, te quoquo modo tollant neceſſe eſt. Difficillimum eſt autem cui tot tenduntur caſſes,non tandem in unũ aliquem incidere. Aut ergo tibi ueneno ferróue pereundũ,aut,ut optime cadat,exilio ſalus redimenda eſt. Aut, ut ſis fortunatiſſimus,in perpetua anxietate ac metu ne præcipiteris, claram quidem,at acerbam uitam ages . Iam ne igitur ſcite Iuuenalis dixiſſe uidetur?

Nam qui nimios optabat honores
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata,unde altior eſſet
Caſus,& impulſæ præceps immane ruinæ.

Sed quorſum iſta tam uerboſe? Scilicet ut planè mi Iodoce intelligas,quàm plena metus, quàm plena anxietatis , quàm deniq; caduca ſint , ſiqua mundus iſte præ ſe fert ſublimia. Atq; id quidẽ te incolumi . Quid

ubi incumbit rerum amariſſima mors? Cũ ſubito omnis illa rerum illuſtriũ imago euanuerit, inſomniorum more, quæ unà cum ſopore auolãt. Vbi priſci tyranni? Vbi magnus ille Alexander, cuius olim ambitioni angustus erat orbis? Vbi Xerxes ille, cuius claſſibus conſtrata redundarũt æquora? Vbi toties uictor Hannibal, qui dũ uixit ſcopulos & montes rupit aceto? Vbi Paulus Æmylius, ubi Iulius, ubi Pompeius, ubi cæteri, aut ex Græcis, aut ex Romanis, aut ex Barbaris clariſſimi principes, quos ſingulos recẽſere & moleſtum eſſet, & propè ocioſum? Quid de tanto rerum ſplendore atq; maieſtate ſupereſt, præter inanẽ quandam hominum fabulam, quam & ipſam literatorum officio debent, qui niſi illorũ uocabula ſuis ſcriptis poſteritati cõmendaſſent, tanta eſſent obliuione ſepulti, ut ne tenuis quidem ipſorum memoria uſquã reſideret. Sed hoc quicquid eſt, ad nos fortaſſis aliquãtum, ad illos nihil attinet, neq; enim illi nũc eadẽ quæ olim mirantur. Profecto ſi nunc ab inferis emergeret ille regum, quorum meminimus, maximus Alexãder, aſpiceretq; orbẽ tanta ambitione flagrantem, credo irrideret inania ſtudia uulgi, idq; hac aut certe ſimili oratione, uerũ iã experimento doctior fateretur, Quò rapitur cæcus error mortaliũ? Res ſolidas, ueras, profuturas, nemo mirat: noxias, inanes, incertas, omnes tanto labore petũt. Quid tam improbe, tam pertinaciter,

in

in ſublime tolli conantur? Vel meo diſcãt exemplo o/
mneis mortalium dignitates caducas eſſe, nebuliſq; ſi
millimas, quæ eadẽ ſæpe hora & latiſſimæ ſolent eſſe,
& nullæ. Ego ego ille imperatorum olim facile opulen
tiſſimus, qui inuictus rerum omnium uerticem tenui,
qui reges innumeros Barbarosq; populos perdomui,
qui orbe ferè ſubacto, æquora quoque rimatus, æthe/
ra demum tentaui. Felix planè ſiquidem mortem ter/
rere etiam potuiſſem, at ea cuncta uincentem uicit, &
quidem leui febricula. Neq; tam ſubito aut ſpuma in/
flata dilabitur, aut fumus perit in auras, quàm omnis
ille rerum ſtrepitus euanuit. Heu quantũ quàm repen
te mutatus ſum ab illo Alexandro, cuius olim ædicta
totus perhorruit orbis, nũc is, ut uel ab infimo quoq;
cõtemni lædiq; impune poſſim. Quondam cupidita/
te mea minor erat immenſa mundi uaſtitas, nũc urnu
la peranguſta, atq; adeo ſeptẽ pedũ coërceor. Mors
enim ſola fatetur quantula ſint hominum corpuſcula.
Olim odorato amiculo, radiante diademate, purpu/
raq; ardente conſpicuus, nunc uel uiſu fœdiſſimus nu
da oſſa ciniſq; aridus iaceo. Et quò mihi inſignia ſtẽ/
mata, quò auro picta monumenta? Quorſum opero/
ſa pyramidũ fabrica, neq; uidẽti, neq; ſentienti? Atq;
utinam cum corpore ſuo & animus unà intereat, neq;
mortem iſtam multo acerbior mors ſequeretur. Sed
heu ille maximo ſuo ſuperſtes malo totius actæ uitæ

pœnas dare cogitur. O ter felices, qui id uiui perſuaſe/re ſibi, quod nos experti, ſed ſero intelligere cœpimus, Sapiunt, ſapiunt, qui ſua ſorte contenti, ipſi ſe uincere certant, ſibi magis imperare quàm alijs, potiusq; illud cœleſte atq; perpetuũ, quàm hoc terrenũ caducumq; ambire imperiũ. Magnus rex eſt quiſquis ſe bene rexe rit. Quid poteſt eſſe hac oratione uerius, & quẽ tã ue/ra, tam miſerabilis oratio ab ambitione nõ deterreat?

De mortis neceſſitate, quæ nihil ſinit eſſe diuturnum Cap. VI.

SED æquo longior ſum, præſertim in re lu/ce propè ipſa clariore. Is enim nunc rerum curſus, ut ſi qua miranda ueteres annales narraſſe uiſæ ſunt, nunc nemo ſit qui cre/dat, cum triſtiora exẽpla iam uideat quàm legerit. De morte autem, quãdo de ea ſermo incidit, id in primis admirari ſoleo, quo pacto cũ nihil ita ut ea ſit in ocu/lis, nihil ita abſit ab animo. Quid quod & uocabulũ à morte duxere mortales, quo fit ut nominari nõ teme/re poſſimus, quin aures nos ipſæ mortis commoneãt? Et ne ſic quidem timemus. Quid hoc lethargiæ, quæ hæc eſt humanarum mentium ſecuritas, dicam an de/mẽtia? Itáne male memores ſumus, tantũq; ex amne lethæo, ut aiunt, obliuionis hauſimus, ut ea quæ nun/quam ſe ſenſibus noſtris ingerere deſinunt, nõ memi/nerimus? Itáne ſaxorum in morem perſtupuimus, ut

toties

toties auditis,toties uisis non excitemur? Videmús ne unum quidẽ ex priſcis ætatibus ſuperſtitem? Noſtro quoq; æuo nulli omnino hominum generi mortẽ parcere cernimus. Abiere maiores, illudq; Ciceronis eis conuenit, Vixerunt, nos ſine omni diſcrimine eódem uadimus,ſequẽtur item poſteri. Ita rapidiſſimi in morem amnis omnes in occaſum præcipites uoluimur. Omnes eódem cogimur,ut ait Horatius, omnes una manet nox. Et calcanda ſemel uia leti. Mixta ſenũ & iuuenum denſantur funera, nullũ ſæua caput Proſerpina fugit. Cadunt hinc atq; hinc innumeri ex maioribus natu,ex natu minoribus,ex æqualibus, ex familiaribus, ex neceſſarijs,ex cognatis,ex parentibus,ex liberis,inter medias morientiũ ſtrages ipſi morituri uerſamur:& cum eadem ſimus conditione,eidem fato nati,non idem metuimus? Quid tu,inquis,me iam nunc mortem cogitare iubes? ætas integra eſt,lõge abeſt ut canis albeſcat caput, ut frontẽ ſeniles rugæ cõtrahant, ij mortis metu uiuãt anxij,qui annis iam graues,ſenio incurui terram ſalutant, quibus iam leue caput, malæ pendulæ,oculi minores atque introrſum refugi, naſus perpetuo madens,dentes rari,ijdemq; luridi, qui cornice uiuaciores,iam dextra ſuos annos computãt. Ab his ego longe abſum. Feruet adhuc uiuidus circũ præcordia ſanguis, lacerti ualidi,latera firma, denique omne corpus uegetum adhuc & ſucci plenum, in ſpem

Confutatio.

diuturnæ

diuturnæ uitæ uocat. Verum age quis deorum tibi ca nos, quis ſeniles rugas pollicitus eſt? Si niſi canum ne minem efferri uides, uiue ſecurus, nec ante canos ac ru gas de morte cogites. Sin illa in omnem ætatẽ graſſa tur, ſi nondum æditos præfocat, arcens potius à uita quàm tollens, ſi infantes à maternis abrumpit uberi bus, ſi rapit impuberes, ſi puberes tollit, ſi uiros extin guit, ſi ſenes excipit, ſi deniq; nullum neq; ſexus, neque ætatis, neq; roboris, neq; formæ nouit diſcrimẽ, num te unum habitura eſt eximium? At ſenex quidem diu uiuere non poteſt. At tu adoleſcens cito mori potes. Quàm illi mors certa, tam tibi uita incerta. Nemo tã ſenex, quin unum adhuc diem ſuperuiuere poſſit: ne mo tam iuuenis, qui hodiernæ lucis ſibi ueſperũ poſſit polliceri. Et quidem ſi diligentius obſerues, longe plu res ephebos, quàm canos efferri comperies. Cum ſem per rara fuit canicies, tum hac tempeſtate nunquã ne que cõtemptior, neq; rarior. Quot mihi iam monſtra bis non dicam Tithonos, Neſtores, Sibyllas, aut Ma thuſalemos, ſed centenarios? Imò quotocuiq; nũc eò ætatis uenire cõtingit, ut ſexageſimum uideat annũ? Profecto uix milleſimo cuiq; mortalium. Et quantulũ eſt hoc æui? Et tamen quàm rarus ſit qui attingat ui des, adeo fragilis, incerta, totq; caſibus ſubiecta eſt ui ta hominum. Vis tibi huius rei Iodoce exhiberi ſimu lachrum, & dilucidum, & accõmodum? Prima ætate

florentem

florentem arborem contemplare, tanta florum densi tate luxuriat, ut nusquam truncum, uix usquam folia uideas, tantam germinis ubertatem promittit, quātæ ne ferendæ quidem par fuerit. At ex tanto florum nu mero uix pauci admodum adolescunt, partim erucis, partim araneis corrumpuntur, partim uento, partim pluuia excutiuntur. Iam positis folijs, ij ipsi qui super/ stites sunt, ut ita dicā, fœtus, nam flores esse desierunt, uidētur sensim in pomi carnem turgescere. Num per/ stant ad maturitatem omnes? Minime. Multos tinea exedit, alios uentorum tempestas decutit, alios immo dicus hymber corrumpit, pleriq; alia quauis peste læsi demoriuntur, ut tandem ex tam diuite spe uix pauciss/ sima poma decerpas. Nec paucioribus incōmodis ui/ ta petitur humana. Mille morborum nomina, mille itē mortis casus, mille modi leti, mille mortis laquei, quibus multo plures præmatura intercipit, quàm ma tura soluit. Et cum tot tantisq; periculis exposita sit ui ta mortalium, uide obsecro quæ sit socordia, perinde uiuere, quasi nūquā simus morituri. Aliena curamus, ea quibus aduersus mortem instructiores esse posse/ mus, apparare cessamus. Quid si regi cuipiam cum ho ste capitali res esset, ac nesciret quidem q̄ prope abes/ set, at hoc certe exploratū haberet nō longe in insidijs esse, ac iamiam cōmoditate accepta erupturum, num is rebus hoc loco stantibus, de balneis ædificādis, aut

ornãda cœnatione, aut uxore ducẽda cogitabit, ac nõ potius de copijs augendis, de uallo iaciendo, de excubijs, de armis, ac cæteris rebus militaribus, quibus hostem frangere possit? Id uero curabit eo diligentius, quod incertus sit quo tẽpore, qua parte erupturæ sint insidiæ. Ast mors nobis, qua nihil capitalius, omnibus locis, omnibus ætatibus, mille modis insidias struit: & nos interim, si deo placet, miramur argentum, curamus cutem, ambimus magistratus. Quod si fallacis æui incertam fidem, atq; impendentem omnibus horis mortẽ omnibus horis cogitaremus, nostrisq; ipsi auribus ingereremus, id quod uates ille ægroto regi, Dispone domui tuæ, morieris enim, continuo omnia ista male sapida amarescerent, preciosa uilescerent, inclyta sordescerent. Ita una mortis memoria omnium facile rerum contemptum persuaserit. Quò enim tibi ô auare, tantum auri reconditur? Mors imminet uniuersa raptura. Quid tu breuissimo itineri tãtas paras farcinas? Num excidit, quid Euangelico illi stulto euenerit? cui sibi de confertis horreis gratulanti, multaq; gaudia pollicenti, dictum est. Stulte, hac nocte animã tuam à te tollent, & ista quæ parasti cuius erunt? Tu uero hominũ uanissime, quid tanta improbitate insana sectaris gaudia? Respice, mors tibi cominus incumbit, istas quantulascunq; illecebras in æternos mutatura cruciatus. Tibi porrò ô ambitiose, quæ incessit tam

dira

dira regnandi cupido? Ecce tibi mors in foribus, quæ te ex isto rerum fastigio in humum præcipitet, atque turbinis rapidissimi more te tuaq; omnia tollat. Nec minus igitur uere quàm erudite Rodolphus Agricola noster scripsit:

Omnia mors sternit, quod natum est occidit. Vna
Fine caret uirtus, & bene facta manent.

Quid enim in eo urgentissimo fati supremi articulo, præter unam uirtutem reliquum erit? Cum exangues artus unà & sanguinis calor & uita fugiet, ora horrendus quidam liuor tinget, oculos dudum tam uiuidos perpetua caligo obscurabit, & omne denicq; corpus frigidus quidam stupor occupabit, anima uero miseranda, utpote cui desertæ omne negocij pondus incũbit, ad seuerum illud atq; inexorabile prætorium abripietur, quo pacto quæcq; gesserit rationem postulanda. Quid tum, inquam, ex omnibus supererit, quibus parandis ætatem triuisti omnem? Vnde opem petes? Quò tum miser confugies? quò confugies miser? Ad opes? At hæ & nihil opitulari possunt, & iam dudum alios nactæ sunt dominos. An uero ad uoluptates? Sed istæ, ut corpori concretæ, unà cum corpore moriũtur. Ad ætatis iuuenile robur? At sua cuique senecta mors est. Num uero ad formæ egregium decus, quadudum superbus omnium tibi conciliabas amores? At ista rosæ in modum, quæ pollice decisa continuo

demoritur, ita morte decerpta omnis emarcuit. Minus uero dixi, emarcuit, imò omnis in horrorem abijt. Nemo enim tam uiuentis formã amauit, quàm horret extincti cadauer. An ne ad priſtinam gloriam? Atqui hæc, ut docui, cum uita prorſus euaneſcit. Quò tandem igitur? Ad amicorum turbam? Verũ iſti partim ut hirundines exacta æſtate, ita cum fortuna unà deuolarunt, cæteris, ſi qui perſtitere, opis ferendæ facultas eſt nulla. Et quid tibi cõducet, ſi illi pectora ſua miſeri plangant, ſi uultus lanient, ſi quicquid in ipſis ſanguinis eſt in lachrymas uerſum, funeri tuo impendãt, ſi deniq; tua cauſa inſaniant, mortiſq; addant ſeſe comites? Sibi mala accerſere poſſunt, te eripere nõ poſſunt. Sapies igitur, ſi ſortis tuæ non ſero memor, ea pares, quibus munitus ſupremũ diem ſecurus expectes. Opes, uoluptas, claritas, & ſi alioqui ſolida ac utilia erant, quod multo ſecus eſt, certe morituro ſunt oneri. At tum demum uirtus incipit eſſe uſui. Illa ſi non nobis, certe nos illis ſubtrahimur: uirtus nunquam comitari, nunquam tueri deſinit.

Mundũ miſerum eſſe & ſceleratum. Cap. VII.

HABES mi Iodoce chariſſime quàm fabſa, quàm fugacia, quàm peſtifera ſint ſeculi bona, ſi qua tamen iure bona appellari debent, nunc contrà illius mala paucis accipe. Olim forſan nihil monſtri fuit ægre à mun-

do

do diuelli,cum quadam ſua,ut ita dixerim,iuuẽta flo/
reret:nũc niſi ipſi nos ſtudio fallimus,quid eſt q̃ mun/
dus poſſit fallere? Quotquot olim ſingulæ ſingulis ſe/
culis clades incubuere, nunc uni incumbunt uniuerſæ,
bella,factiones,caritates, penuriæ, ſterilitates, morbi,
peſtes,& quid non uidimus noſtro æuo mali? Iã quar
tum & uigeſimum annũ agimus, nullas hoc toto ſpa/
cio à bellorum ſtrepitu ferias uidimus, Syllana nobis
tempora factionis partibus referentibus, quarũ utra/
cunq; uictrix euadat,uicta certe patria,immeritas pœ
nas pendere cogitur. Penuriæ uero quàm miſeranda
exempla uidimus, ut pleriq; homines pecudum pabu
lo uictitent,pleriq; inedia pereant. Vt nũc ſecula ſunt,
Crœſus ſit neceſſe eſt, qui familiæ ſuæ uel parcum ui/
ctum ſuppeditare poſſit. Adde illud, etſi tu alioqui fe
lix uiuas,ita calamitatis plena ſunt omnia,ut te auditi
queſtus,uiſæ miſerorũ miſeriæ miſerũ reddãt. Scelerũ
præterea ita increuit ſeges,ut iam ferreã illã ætatẽ lon/
ge uicerimus,de qua ante mille annos cantatum eſt,

De duro eſt ultima ferro.

Protinus irrupit uenæ peioris in æuum
Omne nefas,fugere pudor,uerumq́;,fideſq́;.
In quorum ſubiere locum fraudeſq́;,doliq́;,
Inſidiæq́;, & uis,& amor ſceleratus habendi.
Viuitur ex rapto,non hoſpes ab hoſpite tutus.
Non ſocer à genero,fratrum quoq; gratia rara eſt.

At nunc, Nona ætas agitur, peiora q; ſecula ferri
Temporibus, quorum ſceleri non inuenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.
Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat ueterem cum tota erugine follem,
Prodigioſa fides, & Tuſcis digna libellis,
Quæq; coronata luſtrari debeat agna,
Rari quippe boni, numero uix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, uel diuitis oſtia Nili.

Quid tibi cum ſeculo, ſi peierare, ſi circumſcribere, ſi fallere, ſi rapere aut non uis, aut parum calles? At quid mea, inquis, refert, cuiuſmodi ſeculum ſit, mihi ueri re-
Confutatio. cti q; cura eſt. Si qua recti cura eſt, fac te iſthinc quàm primum abripias. Nullum enim ſeculo cũ uirtute cõmerciũ. Mentior, ſi non id ueritatis ille præcipuus amicus clamat: Totus mũdus in maligno poſitus eſt. Nec iſta tibi oratione blandiaris, Quid alij gerant, nihil ad me attinet, mei unius mihi cura eſt. Erras tota, ut ait Comicus, uia. Permagni uero Iodoce intereſt, quibus cum uictites. Nõ aliter enim quàm corporis uitia contagio ſerpunt, ſerpunt & animorum morbi. Improbo conuictu nihil perniciõſius. Eſto ſanè tu quidem uirtutis amantiſſimus, aſciſce uero tibi conuictorem perditum, quãdo futurum eſt, ut tu illum ad tuos mores redigas? Ille magis, ut ſumus natura in uitia procliues, tibi ſua uenena afflabit, ſuam tibi adfricabit ſcabiem, ac

ſui

sui denique similem reddet, aptecꝫ tandem conueniet id uobis prouerbiꝝ, quod uulgo nemo non dictitat: Concoloribus plumis aues unà uolitant. At quis me adiget, inquis, ut cum homine scelerato & perdito uictitem? Rogas? Ista ætas, negotiorum tuorum necessitas quædam, præterea pudor illiberalis quidem ille, sed certe generosis ferè animis insitus, postremo sodalium improbitas. Ad compotationẽ uocatus, ne quid obscœnius dicam, si aut negocia excuses, aut ualetudinem, ne iurato quidẽ creditur, parculus aut sordidus uideberis. Quid facias? Tu sanè quo notam tam insignem caueas, obtemperas. Vbi in popinam, aut œnopolium uentum est, alterni accubatis iuuenes ac puellæ. Quod honestissimum sit dico, turpiora pudet dicere, cum illos sæpe non pudeat facere. Tum bibẽdi certamen oritur, in quo ut bibacissimus quisqꝫ fuerit, ita maxime festiuus, bellus, ac nitidus habebit. Hic quid non ebrietas designat? Fœcundi calices quod tandem non audent nefas? Tum Pithyas multo uidetur formosior, tum Chremes longe factus hilarior, uere uulgo dici fatet: Sine Cerere & Libero friget Venus. Postea ubi eos epularum satietas cœpit, ad choreas surgitur. Cuius animus sic cõpositus, sic firmus, sic marmoreus est, quem lasciui illi motus, agitataꝫ in numerũ brachia, citharæ cantus, uoces puellares, non corrumpant, non labefactent, non emolliant? Adde quod ea

sæpe

ſæpe carmina ſunt, quibus incendi iam frigidus æuo Laomedontiades & Neſtoris hernia poſſent. At ubi choraules, cithara ex more tacta, quieſcendi ſignũ dedit, ruſticus habeberis, ni eam cuius læuam complexus ſaltaſti diſuauiatus fueris. Cæteri luſus his impudentiores, atq; ad meram laſciuiam excogitati, à me non dicentur, utinam ab illis non agerentur. Quorum ſi tu quicquam recuſaueris, ſi quid grauius, ſi quid pudentius agere tentes, inurbanum, illepidum, triſtem, agreſtem, atque à communi hominum ſenſu abhorrentem dicunt. Id ignominiæ ut caueas, quam non turpitudinem admittis? Sic ſic dum fugis odio eſſe, dum pudet difficilem uideri, dum pudet non eſſe impudentem, ut diuus ait Auguſtinus, omnem pudorem dediſcis, ac ſimili ſcabie infectus, & ipſe alios pergis inficere. Sed fac tibi cum nemine eſſe improbo conſuetudinem, quanquam miror iſtud ut fiat, ſolet morbi uirus non contactu modo, unde nomen duxere contagia, uerum etiam aſpectu ſerpere. Cum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi. Ego quidem iritamentorum quibus ad turpiſſima quæque impellimur, oculos multo maximam partem puto. Tu igitur Iodoce optime, ſi uitæ tuæ conſultum uelis, fac ab iſta ſcabie te quàm maxime ſeiunxeris, atque ad eos conferas, quorum te reddat conſuetudo emendatiorem.

De

De felicitate uitæ ſolitariæ. Cap. VIII.

QVANQVAM itaq; hæc cõmemoraſſe abunde ſatis eſſe puto, attamen ne alacer modo iſthinc exilias, uerum etiam lætus ac lubens huc aduoles, id eſt, non tam ſeculi mala peroſus, quàm noſtrarum deliciarum cupidus, nunc uitæ noſtræ commoda paucis commemoraſſe haud ab re fuerit, id quod breuius fieri neceſſe erit, tum quod tantũ temporis & chartæ & operæ cõmemorandis uel ſtrictim ſeculi malis dedimus, ut his narrandis minus ſuperſit quàm rei immẽſitas poſcit: quãquam quis huic rei ſermo, aut quod ſermoni tempus, par fuerit, tum quod te iamdudum noſtræ loquacitati ſubiraſci ſuſpicor, tum etiã quod eæ res ſunt quæ facilius ſentiantur quàm narrent. Malim igitur te eas experimento, cꝫ noſtro ſermone diſcere, explorare, quàm perſuaderi. Tu modo fac te ex iſto turbido rerum ſtrepitu, ad nos ocyus recipias. Tum demum intelliges quãtum abſit à uera felicitate, & falſa & fallax mundi proſperitas, quanto noſtri labores ueſtris præſtent delicijs. Intelliges, inquam, experrecti more, qui dum ſomniaret, ea ſimulachra quæ dormienti illudebãt eſſe uera exiſtimabat, gaudebat, trepidabat, æſtuabat, & mille motabatur affectibus, ſed ſimul atq; ſomno ſoluitur, ſe uanis imaginibus illuſum comperit, ridetcꝫ ipſe ſua inſomnia. Ita tu ubi inſtituti noſtri felicitas

licitas comperta erit, tum quoties illa priſtinæ uitæ ſo/
mnia animo iam uigilãti ſubierint,uah inquies, adeó
ne deliraſſe me unquam, ut hæ atq; illæ nugæ me de/
lectauerint? Itá ne rapuiſſe animum inanium bonorũ
phantaſmata, ut uerorũ ne cupido quidem ulla ſubie
rit? Nũc igitur Iodoce,ni ſomnio cẽ re beatus eſſe ma
uis:ſi dormis,expergiſcere:ſin dormitas,ne ſomnus al
tior temporibus obrepat,oculos excute:ſin uero quod
magis reor,uigilas, ne quãdo dormientium exempla
& religionis ſomnifera quædam uis,ſomnũ inire ſua/
deat, ex iſta Babylone terra inſomniorũ umbrarúm/
que plena euolare, q̃d potes propera, atq; ad noſtrã
Hieruſalem aduola. Quid reſpectas? Quid reſtitas?
Quid hæſitas? Semper, ut apud Lucanum eſt,nocuit
differre paratis. Rũpe age moras omneis, neq; enim
aut leue,aut ludicrum negocium uertitur. Animæ res
agitur,digna planè ob quam uel amatiſſima deſeras,
& duriſſima ultrò ſubeas. Nam ſi peritus quiſquã me
dẽdi artifex,capitali morbo laborãti diceret,ſine pau/
liſper, iã faxo priſtina ualetudine gaudeas,cedò, quos
nõ lubenti animo ferres cruciatus? ſineres corporis mẽ
bra ferro rigido ſecari, ſineres excidi, ignibus aduri,
alĩsq; mille tormentis affici,ſpſa propémodum mor/
te crudelioribus, modo mortẽ effugeres, imò ut huic
uitæ miſeræ paululum quiddam temporis accederet.
Et quid per deum immortalem,ullá ne res moleſta ui

debitur,

debitur, quam mortis tum animæ, tũ perpetuæ defugiẽdæ gratia ſubeas? Si hoc loco tibi res eſſent, ut alterutra eſſet accipienda conditio, aut ſine iſtud extingui corpus, ut ſempiterno æuo uiuat anima, aut corporis uitã animæ morte paciſcere, credo nihil hæſitares, niſi quouis phrenetico peius deſiperes, quin animi perpetuam uitam, corporis breuiſſima duceres potiorẽ. Vis ne igitur Iodoce ſuauiſſime, & beate, & perpetuo uiuere? Mirũ ni uelis. Quis enim nolit? At quo, inquis, pacto iſthuc aſſequi licet? Vide age quantam rem, quantulo labore mercari fas ſit. Nõ tibi Dedaleis pẽnis tentandus æther, non uaſta traĩcienda æquora, non Herculei ſubeundi labores, nõ ignibus inſiliendum, nemo te adigit, ut membra tua lanies, aut mortem tibi conſciſcas denicꝫ: quanquam quis priſcos martyres inſaniſſe dicat, qui huius felicitatis ſpe adducti, nullos cruciatus, ne mortem quidem ipſam duram iudicauere? Vide obſecro, quàm ſit profuſa in nos domini noſtri munificẽtia, at contrà quàm mollia iuſſa. Perpetuam felicitatem, mortem æternam commeritis pollicetur. Quid hac pollicitatione liberalius, qd certius? At nũc quid te iubet facere? Nihil, niſi ut tu te interim tanti muneris capacem præſtare ſtudeas. Quo iſtud pacto fiat rogas? Is nondũ ueræ felicitatis capax eſt, quẽ falſa captum detinet. Vis æternũ uiuere? Fac bene uiuas. Vis adire paradiſum? Relinque ſeculum, ut ſceleratiſſi

mum,ita & afflictiſſimũ.Deo iungi cupis? cura ut diaboli nexibus expliceris. Veras amas opes? Falſas abij cc. Veri iuuant honores? Falſos ambire deſine . Quid plura? Verã beatitudinẽ amas? Iſtas dulces erumnas, imò erũnoſas dulcedines fac reliqueris. Quid his præceptis mollius , quorũ obſeruationi cum uera felicitas merces debeatur, ipſum tamen obſeruare, eſt cœpiſſe felicem eſſe ? Tanquam iubeat, deſinite miſeri eſſe, ut beati ſitis:deſinite ſeruire , ut libertate gaudeatis . Et ô nimium diſſimilem diaboli ac dei ſeruitutem,ô diuerſam militiam.Ille enim ubi miſeros falſa quadam delectatiuncula ineſcarit,papè in quos horrores,in quas turpitudines,in quas miſerias cõijcit, ac poſtremo ubi ſatis ludibrio habuit,iugulat. Hic per breues atq; exiguas moleſtias,quas ipſas noſtra, nõ rerum culpa patimur,ad incredibilem iucũditatem inducit,ac poſtremo cœlo beat.Illius inauctoratio ſubdola,militia acerba,ſtipendium,quod,ſcriptura teſte,mors eſt,acerbiſſimum.Huius obligatio fidelis, militia quanto diuturnior,tanto ſuauior, ſtipẽdium ſuauiſſimum, quod eſt beata immortalitas . Illis uita miſera , mors miſerior, poſt eam uita miſerrima . His uita felix,mors felicior, quam uita cõſequitur feliciſſima . Et quis ſub hoc tam leui, tã liberali imperatore non quàm lubentiſſime uel gratis meruerit,q tam dulces imperat labores? Quod ſi mihi parũ habes fidei,ipſum qui fallere neſcit, quid enim

A præmijs in hac uita.

enim mentiatur ueritas,hortantem audi: Tollite iugũ meum ſuper uos,& inuenietis requiem animabus ueſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meũ leue. Quid tandem gaudiorum futurum rere iam parta uictoria,in cœlis ſempiternum triumphum celeberrima cum pompa agẽtibus, cum ſic delectet militiæ labor? Qua nos uoluptate afficiet felix illa libertas, quibus ſuaue eſt uel iugum? Sed fore ſuſpicor, quibus miraculo futurum ſit quod diximus, nimirũ de illorũ grege hominum, qui pecudum ſimillimi, omnem felicitatẽ aut palati,aut uentris uoluptate metiuntur, ĩj ægre adduci poterunt,ut credant labores in quibus monachorum uita uerſatur, non modo moleſtos ac triſtes non eſſe,ſed hilares etiam ac iucũdos. Verũ ĩjs quando ne ueritas quidẽ ipſa ueri facit fidem, iubeo ipſos explorare,periculum facere. Moriar ſi quid fefellero, modo ne ab ipſorum parte peccatum fuerit,qui non ut oportuit tentauerint. Quod ſi experiri piget, certe expertis fidem habeant. Ego quidẽ iurare auſim, nihil hic non eſſe uoluptatis plenum. Pauperie noſtra nihil locupletius, ſeruitute nihil liberius, labore nihil quietius, inedia ſatura,anguſtiæ ſpacioſiſſimæ, mœror iucundiſſimus,amaritudo perquàm ſuauis,uigiliæ ſomno quouis gratiores. Verum hæc ne iuranti quidem credideſint, imò me tam contraria iungentem nihilo iudicabũt ſaniorem eo,qui noctem lucidam, diem obſcurũ,

aut ignem frigidum, aquã calidam cõtendat asserere. Verum quid facias pecudibus istis, qui rationis expertes, solis corporis sensibus sapiunt? Age, mos gerũdus est illorũ tarditati. Aliquo sensibus familiari argumẽto adducendi sunt, ut ex notissimis parum nota conĩciant. Rus eos ducamus, aut certe si id molestum est, portus propior est ubi nautarũ unumquemlibet accitum sic percontemur, Heus tu bone uir, num tibi molestus est labor ille nauticus? Imò, inquiet, dulcis. Qui sic? Nam quæstus iste uel omnium plurima ac maxima uidetur habere incommoda. Verũ. At contrà, plurimæ res sunt, quæ me fatigari non sinant. Quæ? Primum dulce lucrum quid non dulce faciat? Nihil mari locupletius. Multi hodie uiuunt, quos ex pauperrimis ditissimos una nauigatio fecit. Quid si idem mihi eueniat? Deinde assuetudo ipsa bona me molestiæ parte leuat, quæ profecto tantum in rebus habet momenti, ut nihil factu sit tam acerbum, quin sæpe factitatum aut dulce, aut certe leue fiat. Postremo sunt quibus ita laborẽ mitigamus, aut potius fallimus, ut ne animaduertamus quidẽ, cantus, sermones, lusus, facetiæ, atq; eius generis alia mille. Audistis, ut arbitror, satis dilucide. Nunc si singulas officinas lustremus, credo singulos aut eadẽ, aut eiusmodi respõsuros. Quid igitur? si operarijs istis lucelli uilissimi incerta spe summus dulcescit labor, quid ni idem in nobis efficiat sempiternæ felicitatis

Collatio exẽpli.

felicitatis expectatio certissima? Si apud illos tantum ualet assuefactio, quid causæ est, cur non idem apud nos possit? Si illis sunt quibus incommoditates suas leniant, nobis certe sunt multo & plura,& potiora.

Libertatem summam esse, non in mundo, sed in secessu. Cap. IX.

QVAE quidem,ne perturbate diutius ac sine ordine feratur oratio, in tribus potissimum mihi cõstare uidentᵉ,libertate, tranquillitate,ac uoluptate. At libertatis,ut de hac primo loco disseramus, natura cupientissimi sumus omnes,seruitutem nemo non horret,adeo ut plerique eius odio mortem sibi cõsciuerint,libertatem uita iudicãtes potiorem,mortẽ seruitute. Quare si adeo libertate delectantur homines, ut emendam tanti falsam putent, nostrum uitæ institutum amplecti atque expetere debent,utpote quod & summam, & uerã habeat libertatẽ. At hic mihi imperitior aliquis dixerit, si libertas, Cicerone definitore,est potestas uiuendi ut uelis,quæ uobis sit libertas omnino non intelligo, quibus uolucrum more cauea inclusis, nisi Abbatis iussu tentare licet nihil,non edere, non loqui, non dormire, non uigilare,non ire,non redire,non uel hiscere. Hocci ne tandẽ est liberos uiuere? Non Hercle magis,quàm liberi sunt equi & asini, qui frenis ac stimulis quocũq; lubitum est sessori circumaguntur. Sed istud facile soluitur.

Tria bona uitæ monasticæ

Confutatio.

uitur. Nam nihil nobis quod non liceat libet, licet igit quicquid libet. Verũ de noſtra libertate poſterius. Interim ſine te uiciſſim perconter, qua tandem fronte tu tibi libertatem uindicas, cui tot ſunt domini, quot uix uno die pernumeres? Principio tibi ſecularibus, ut uocant, neceſſitatibus ſeruiendum eſt, quibus quiſquis ſemel manus dederit, ita illum irretire nexibus, tantis cõplecti catenis ſolent, ut quocunq; uocarint, ſequendũ ſit. Quid ſi & uxorem habeas, imò habearis? Eſt enim res reciproca cõiugium. En tibi alteræ compedes. Acceſſit moleſta ſanè ſeruitus, atq; ex qua haud facile te expedias. Quid ſi etiam ſceleratus ſis? per deũ immortalem, in quam duram ſeruitutem te aſſeruiſti, iam tibi quot uitia ſunt, tot dominis parẽdum eſt, & quidẽ teterrimis, improbiſſimis, ſæuiſſimis. Quis enim eũ liberum cenſuerit, qui libidini ſuæ nihil temperare potis eſt, ſed quiduis, etiã turpiſſima, ut ſemper, ac duriſſima, ut ſæpe, imperanti obtemperat? Somnos poſcunt oculi, libet dormire. At contrà, ne facias, uetat imperioſa admodum hera libido, iubet noctu inſanire, curſitare, amicam inuiſere, in olenti fornice inter proſtibulas noctem inſomnem ducere. Illic ſcorto putidiſſimo inſeruiendum eſt, iubet, parendum: uetat, æque parẽdũ: eĳcit, abeundum: reuocat, redeundum. An nõ tibi iſta ſeruitus & quidem maxime pudenda uidetur? Quæ uero homini cupido libertas? Libet domi uiuere, ſic

Varia ſeruitutis genera.

Vxor.

Libido.

iuſſit

iussit inertia. Nũ continuo licet? Licet, siquidem isthuc sinet domina cupiditas. Siccine, inquit, agis ignaue? Cessas? Non uides quantum lucri facturus sis, si iam merces in Angliã deportaris? Age, accingere, nauigandũ est, en tibi uenti secundi. Tu certe ut heræ iussa peragas, uel totas hyemes terra mariq; cursitas, tempestatum, coniugis, natorum, uitæ postremo securus. Hocci ne est tandem liberũ uiuere? Itidem de singulis uitijs probandi ratio sumi potest. Verum iamdudum ocio sam esse loquacitatem meam sentio, ad cætera uenien dũ, sed si prius generatim docuerimus, qui sceleratus sit liberum esse neminem. Nunquam ne turpitudinis tuæ puder piget q;? Et sæpenumero credo. Quis enim usqueadeo perditus est, qui nunquam in se redeat, perspectaq; fœditate sua, uel supplicij metu, uel uirtutis amore mutari cupiat? Ita est inquies. Quin pugno aliquoties à perditis moribus recedere, sed iam abire parantem, nescio qua uiolentia, peccandi consuetudo remoratur, ac uel inuitum ad pristina studia redigit. Recte uero narras. Quid? Sentis ne igitur te captum esse miser? Tandem ne intelligis, te seruum esse uitijs? Vbi senserint te à se desciscere parantem, iam fugam meditari, manus tibi injciunt, atq; uti seruum compedibus uinctũ pistrino, ut ita dixerim, dedunt. I nũc demens, & libertatem tuam nobis iactita, cui seculo, cui cõiugi, cui fortunæ, libidini, cupiditati, ambitioni, cui denique

Consuetudo uitiorum.

diabolo ipsi seruiendum est, adeo ut iam cum Syro il
lo Terentiano merito dixeris, nisi quod ille ficte, tu ex
animo, scire cupio quot mihi sint domini. Porrò ut sci
te noster scripsit Hegius: Seruire multis sortis est mi
serrimæ. Quid ego nunc tibi nostram libertatem com
memorem? An non singularis libertatis uidetur ex
tra fortunæ, si qua est, ditionem uiuere, eam neq; acer
bam metuere, neq; optare secundam? aduersa nõ fran
gi, fausta nihilo fieri insolentiorem? Audemus illi cũ
Democrito mandare laqueũ, ut apud Iuuenalem est,
mediumq; unguem ostendere. Nihil illi in nos iuris
est. Rerum cupiditatem unà cũ rebus ipsis abiecimus,
imò deo fœnerauimus. Quid si uitam adimat? No
bis quidem præter turpitudinem nihil acerbum acci
dere posse persuasum est. Mors uero ijs metuẽda est,
qui uixere turpiter. Bonis certe non modo non metu
enda, uerumetiam optanda est, utpote quæ eos hinc
in feliciorem uitam abducat. Præterea ferream illam,
imò adamantinam secularium negociorum catenam
abrupimus, ac molestissima sarcina leuati cœlo feren
tes animum, quicquid humi geritur nihil nostra inter
esse iudicamus. Qua re quid potest esse liberius? Po
stremo durissimum illud Pharaonis teterrimi iugum,
deo opitulante excussimus, improbissimis dominis, ui
tijs dico, parêre desiuimus, non ita quidem, ut nihil un
quam peccemus, quod haud scio an nemini mortaliũ

In Adelphis.

Alexander Hegius.

in uita

in uita contigerit: sed ut miles is plurimum sibi laudis uictorisq; nomẽ è certamine merito suo ferre potest, qui consertis cominus dextris gnauiter dimicans, non sine uulneribus quidem suis, sed tamen hostem aut capit, aut iugulat: cõtrà uero uictus iudicaretur, si etiam citra uulnera, & salua cute se capi, atque in seruitutem abduci pateretur: ita nobis, si quando euenerit, quod, ut dixi, ab homine præstari ferè nequit, quid nostra refert, si nonnihil labamur, certe uincimus, certe libertatem, certe uitam tutamur. Quid quod ij qui in prælio fortiter egerint, retecto pectore etiam cicatrices suas ostẽtare solent, aut spiculis, ita ut forte excepta sunt in corpore relictis, in castra seu in urbem spectandi redire, id decorum maxime arbitrãtes, si pro patriæ, suaq; salute tuenda quàm maxima uulnera excepisse intelligantur? Præstat profecto seminecem ac uictorem in castra referri, quàm incolumem, siquidem id detur, q; hosti deditítium uiuere. Quisquis autem uitijs se dedidit, hosti deditítius uiuit. At quali hosti? Quo nemo sit turpior, nemo immanior, nemo capitalior, qui nostræ mortis quàm suæ uitæ sit auidior. Et quid possit esse homini magis pudendum, aut quid hominis dignitate indignius, quàm diabolum tam fœdum ferre dominum, eo contempto cui & se & sua omnia debet? Præsertim cum huic seruire summa sit libertas, atque adeo sola. Quare si quem seruilis illius libertatis

Conclusio.

iam tædium cœpit, huiúſque liberrimæ ſeruitutis deſi derium, hic hic quærendam nouerit. Nam cum illi ſer uire una ſit libertas, ut diximus, id autem ita ut in ſe ceſſu nuſquam licet, nuſquam tanta libertas.

Solitarios duplici tranquillitate gaudere. Cap. x.

Solitudinis laus.

TRanquillitatem uero quis digne comme morarit? Non hic inquietus ille mũdi fra gor obſtrepit, quid enim iſthic non plenũ fremitus, plenum tumultus? Hic lachry mat, ille ridet: hic queritur, ille litigat: hic ſalutat, ille nunciat: alius uocat, alius reuocat: itur, reditur: clama tur, diſcurritur: quocunq; aſpexeris, quoquo te uerteris quietum nihil, nihil non clamoſum offendes, ita ut in turbulentiſſimo aliquo freto uerſari poſſis uideri. Et quando inter iſta liceat animum componere? Quis in tam uaria rerum facie poſſit ſecum conſtare, ſecum ui uere? Quid in turbine iſto diuinus hominis animus poſſit ſe dignũ aut cogitare, aut agere? Aut qui fiat ut ſponſum ſuum fores pectoris pulſantem ſentiat, allo quentisúe uocem audias anima, iam facta perpetuo atque immodico fremitu ſurdaſtra? Profecto non in urbe, ſed in monte: non in curia, ſed in ſpelunca: non in petras conterente turbine, non in commotione, nó deniq; in igne, ſed in auræ tenuis leni ſibilo Helias do minum ſenſit adeſſe. Quod ſi ſacras hiſtorias euolue re uacet,

re uacet, uidere fuerit maxima quæque diuinarum re/
rum miracula, nō in turba gesta esse, sed in recessibus.
Vbi enim Mosi arcanum illud rubi flamma innocuæ
flagrantis portentum exhibitum legis? Num in Ægy
ptijs urbibus? Minime. Nam tum illinc tyranni metu
profugerat, uerum ad montem dei penetrata prius ua
stissima atq; altissima sylua. Neq; fumantia tecta, sed
deserta uirentia incolentibus manna depluit. Vbi ue/
ro diuina illa ferēdæ legis pompa acta est, cum è den/
sissima caligine fulminibus subinde celeri flāma emi/
cantibus, mugiente tonitru cœlestes buccinæ horren/
dum interstreperēt? Nempe in Synai montis uertice
uulgo procul absistere iusso. Et olim prophetarum fi/
lios prophetas utiq; futuros tectorum odio Iordanis
ripas habitasse accepimus. Ioannes homine maior, ut
pote angelus domini uocatus, ubi quæso cœlestem ac
purissimam uitā exegit? Vbi diuina arcana edoctus
est, ut dissimulatum homine deum, digito monstrare
non dubitauerit? Profecto non in patrijs ædibus, sed
in eremo. Quid quod & dominū ipsum Iesum, quasi
turbarum fastidio secessus sæpenumero captasse ui/
demus? In montibus quoties docuisse legitur? In de/
sertis item, in littoribus quoque quoties quàm admi/
randa gessisse, in curandis morbis, in corrigendis cum
corporum, tum animorum uitijs, in exturbandis teter/
rimis spiritibus, in explendis cōuiuis tam multis, tam

paucis epulis. Ieiunaturus ab hominum cõſpectibus deſertis locis abdidit ſeſe. In mõte gratiſſima illa uiſio tribus apoſtolis exhibita eſt. Crepuſculo eius noctis qua capi ſe paſſus eſt Chriſtus, orandi gratia in hortulos ſeceſſit. Ipſe eſt qui nos quoq; oraturos, in cubiculi ſecretis abdi iubet. Deniq; extra mœnia, haud temere certe, ſed conſulto, occiſus eſt, ita ut facile conijcias illum fugitaſſe tumultus, odiſſe clamoſa Theatra, non amaſſe ſtrepentia fora, non celebritate ac frequentia delectatum, ſed ſolitudine gauiſum, amicam illi fuiſſe tranquillitatem. Quid nunc humana ac leuiora commemorem? Pythagoram in Idæo antro multa arcana edoctum ferunt. Plato academiam ſuam philoſophiæ colendæ multo Athenis iudicauit commodiorem. Poëtæ ipſi, neſcio quas rupes ac lucos ſibi finxerunt, in quibus uerſarentur, quoties eos diuinus ille furor corripuiſſet, hoc ſignificantes, eum qui aliquod egregium ac uenuſtum carmen condere cupiat, à turba ſemotum eſſe oportere. Poſtremo, ut ad uulgus ueniamus, uidemus fabros aurifices, pictores, cæteroſq; artifices quorum opificium aliquid ſingularis habet induſtriæ, cum quiddam exactius atque accuratius efficere cupiunt, aliquò fugere, ubi ſtrepitus hominum ac frequentia laborantes non interturbet. Ex quibus omnibus liquido intelligi licet turbam arduum quippiam molientibus uehementer officere, tran

quillitatem

quillitatem ſummis gerẽdis rebus eſſe opportunam. Quid autem poteſt eſſe magis arduum ac ſerium eo negocio, quod ad animæ ſalutem, ac beate uiuendum ſpectet? Id igitur in mundo haud commode curaueris. Quis enim iſthic tranquillitati locus? At hic contrà mi Iodoce omnia late ſilent, foris, intus, utrobiq; ſumma rebus pax eſt. Illam quidem gratiſſimus ipſe loci receſſus parit, hæc uero ab optima atque integerrima mente proficiſcitur. Ita autem alterius opem utraque poſcit, ut ſi alterutram detraxeris, neutram reliquiſſe uidearis. Nam & externa illa quies internam fouet, alit, tutatur: at illa uiciſſim, niſi hæc acceſſerit, moleſta, ocioſa, imò pernicioſa fuerit. Eum enim, qui acerbo atque turbato ſit animo, Poëta ſolum eſſe prohibet: Quicquid agis, loca ſola nocent, loca ſola caueto. Quò fugis? in turba tutior eſſe potes. Nec præterire queo, tametſi iam properandum mihi ſentio, percommode enim incidit, nobilem illam Cratetis philoſophi exhortationem, qui ut forte aduleſcentulum quendam ultro citróque commeantem animaduertiſſet ſolum ſecum neſcio quid fixius meditantem, rogabat quid illic rerum ageret. Mecum, ait ille, loquor. At caue, inquit Crates, ne cum homine improbo loquaris. Et facete & breuiter uterque. Eſt igitur laudanda ſolitudo, ſed in homine laudato, contrà ſceleratis nihil pernicioſius. Tum enim acerba cogitant, tum immaniſſi-

ma

ma flagitia cõcipiunt, tum & ſibi & alijs ſæua conſilia tractant. Quid tandem miſeros ad accelerandam ſibi necem impelleret, niſi commoditate ſua inuitet ſolitudo? Quis unquam aut uenena bibit, aut laqueo iugulum fregit, aut enſe pectus defodit, aut ſeſe præcipitem dedit, niſi ſolus? Quorſum igitur, inquis, laudas mihi tantopere ſolitudinem rem tam peſtiferam? Hic nihil commodius reſpondero, quàm Cratetis modo commemoratam ſententiam. Tu cum tecum uiuis, caue cum homine improbo uiuas, iam nihil erit quod ſolitudinem metuas. Ita à turba, ut multo amplius à uitijs recedas. Ita ſileant circum te loca, ut non fremant pectora. Quanquam hoc uerboſo ſermone nõ tibi Timoniam illam ſolitudinem commendare ſtudui, uolo enim te non ex uniuerſo hominum genere, ut fecit ille, ſed è turba migrare. Verum de externa quiete ſatis. Iam de interna paucis agendum eſt, quæ uti in mente eſt, ita non niſi à mente proficiſcitur, ſed bona, ſed nullius ſibi flagitij conſcia. Tanta enim uirtutis uis eſt, ut cuius in animo conſederit, cum incredibili pace quadam tranquillet ac leniat, omnicq; anxietate, horrore, metu, ac perturbatione liberet. Quæ res quanti ſit, tum rectius intelliges, ſi inſpicias quas angueſtias, quos tumultus ſceleratus animus ferat. Nam qui fur aut peculator, aut ſcortator, aut proditor, aut ſtuprator, aut adulter, aut alioqui flagitioſus ſit, ſce-

lerum

lerum conſcientia premente, in perpetua anxietate ac formidine uerſatur. Occurſant dormienti, occurſant uigilanti tanquam furiæ quædam horribiles illæ ſcelerum facies. Ad omnia palleſcit, exanimatur, metuit, cum omnia, tum hæc in primis, ſuſpicionem, ſermones, infamiam, iudicium, ſupplicium. Verum fac contemnere, aut certe fallere hominum conſcientiam, fac item deum immortalem non uereri, num quando fieri poterit, ut ſuam ipſius conſcientiam effugiat? Nihil profecto minus. Quoquo enim rerum ſe uerterit, quocunque locorum profugerit, dira illa pectoris tormenta non deſerunt fugientem, imminent, agitant, territant, non epulas, non lucem, non uitam ſinunt eſſe iucundam, ipſam poſtremo quietem, irrequietam efficiunt. Hinc plerunque corporis macies, hinc uultus truculentia, hinc oculorum fœditas, hinc cuiuſuis rei metus, quo ipſi ſeſe prodere ſolent. Quod pulchre & iuſte ab æquiſſimo rerum iudice comparatum eſt, ne nulli omnino impune nocentem eſſe liceat. Nam maleficia fœda quædam ſuſpicio continuo conſequi ſolet. Primum ea abunde nocentem ulciſcitur. Deinde ſermones atque infamia, quæ profecto tantum malum à pleriſque iudicata ſunt, ut è uita migrare, quàm his obnoxij uiuere maluerint. Verum multi eò malitiæ euaſere, ut iſta facile contemnant. Quin eſto iuxta uulgi ſermonem, quantum eis malitiæ, tantum ſit

& fortunæ,ut ipſis neque poſtulator quiſquam,neque iudex exhibeat negocium , erit tamen aliquando qui inexorabili ſeueritate ſupplicium ſumat. At iſta procul abſunt,inquiunt, quaſi uero certi ſint , uel unam ſe horulam uicturos. Verum ut hoc eis concedamus,certe iam nunc præſens intra ipſos ſupplicium eſt maleficiorum conſcientia , quæ tam acerba eſt , ut nullum facinus tantam adferre uoluptatem poſſit , quæ his cruciatibus emenda ſit. Quis enim unquam ſatis æſtimauerit quàm dirus ſit ille pectoris motus, cum ſeditione quadam acerrima ipſe à ſeſe diſſidet animus,ac quibuſdam partibus ſuis aliò nitentibus concutitur, diſcerpitur,diſcinditur, accuſante memoria, iudicante ratione, puniente conſcientia, aliò ratione , aliò natura,aliò uocante peccati libidine. Vnde perpetui ſtimuli , perpetuæ rixæ , bellum perpetuum . Quapropter non abſurde eccleſiaſtici quidam ſenſiſſe iudicandi ſunt, qui conſcientiæ remorſum , qui malos ad inferos euntes conſequitur,eorum ſuppliciorum quæ illic inueniunt non minimam partem iudicauerunt . Iuuenalis igitur præclare illa ut omnia. Cur tamen hos tu,

Euaſiſſe putes,quos dira conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo uerbere cædit
Occultum quatiens animo tortore flagellum?

Pœna autem uehemens , & multo ſæuior illis,

Quas & Cedicius grauis inuenit & Rhadamanthus.

Nocte

Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.
Et poſt pauca. Cedò ſi conata peregit.
Perpetua anxietas,nec menſæ tempore ceſſat,
Faucibus,ut morbo ſiccis,interq; molares
Difficili creſcente cibo.

Et cætera item ueriſſime atq; pulcherrime. Poſſent eadem hæc,ut ratione atque autoritate probata ſunt, ita mille doceri exemplis:at nos,ne ſingula proſequamur,tribus cõtenti erimus,quorum primum ex fabulis, alterum ex Romanis hiſtorijs, poſtremum ex ſacris literis petemus. Quid enim aliud ſibi uult, quod Oreſtes ſimulatq; matrẽ trucidaſſet, ab ultricibus diris, quas uulgatius furias appellant, correptus fingitur,itaq; ab his exagitatus, ut quocunque fugiſſet,eas aduerſas ſibiq; faces intentantes offenderet,quàm eũ qui aliquod flagitium admiſerit, ita cõſcientiæ ſtimulis torqueri agitariq;,ut phreneſi quadam laborare uideri poſſit? Multa quidem ſcite à Poëtis excogitata ſunt,at hoc mea ſententia nihil aptius. Quare me huius fabulæ commemoratæ nondum pœnitet. Et quid Lucij Syllæ exemplo euidentius? Fuit huic uiro, ut legimus,inexpleta crudelitas, ita ut miſerabile dictu ſit, quot aut proſcripſerit,aut cædi iuſſerit,cæteris item ſceleribus non ſegnius ornatus. Verum de hoc tyranno, quod nemo alius poterat, ipſa hominis malitia ſupplicium ſumpſit. Maleficiorum enim ſuorum con-

scientia ita excruciatus est, ut nullo ingenio, nulla medicorum ope somnum amissum reuocare potuerit, tandémque morbo fœdissimo, quem pediculárem uocant, perierit. Restat Chaim ille, antiquissimum quidem, at ea re nihilo obscurius huius rei exemplum. Is fratrem inuidia permotus trucidasse legitur, neque id impune. Continuo supplicium consecutum est, uarium quidem, at nullum inclementius, nullum capitalius quàm conscientiæ, ea in sceleris autorem multo seuerius quàm conditor ipse animaduertit. Obiurgabat ille, imò potius expostulabat, ut pœnitentiam simul & confessionem eliceret: at miser ille maius peccatum suum existimabat, quàm cui ignosceretur. Vitam illi donarat deus, at ipse se uita iudicabat indignum. Quàm dirum carnificem in illius pectore sæuisse credimus? Quid illi dulce in uita accidere potuisse putes, qui sibi ipsi infensus, sui desperans, sibi ipse molestus uitam credebat acerbam? In conspectus hominum prodire uerebatur, quippe qui omnes sibi tales fingeret qualis ipse sibi erat. Vides Iodoce mi, quæ tormenta, quas labes, quos stimulos, quos tumultus, quos æstus sceleratus animus ferat? Nunc tute collige quàm plena otii, pacis, uoluptatis res sit, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Quid est quod pectus ita præparatum atque compositum permouere possit? Quid est, quod iure metuat? Num homines? Verum

non

non terretur inimico homine, qui amico nititur deo. Num calamitates? At eas etiam lucri loco deputat. An uero mortem, quam etiam ultro optat? Postremo an deum ipsum? Ne ipsum quidem, utpote cui se & charum, & curæ esse confidit. Quid hac re potest cogitari pacatius, quid securius, quid felicius? Sentiri utcunque Iodoce potest, narrari planè nequit. Num ista tibi leuis uidetur causa, cur ad nos aduoles? At forte ipsum ad quod te aduoco, iam isthic beatus habes. Sic equidem confido. Sed eo magis tibi isthinc euolandum censeo. Habebis enim hic & multo cumulatius, & longe tutius. Quid tibi adeo liberum est inter latrones charum portare thesaurum? Hic si quid habes, augebitur: isthic æternus metus est, ne amittas: hic interna illa pax maxima, externa nisi hic nusquam: isthic nulla, illa si qua est, & rara est, & parum tuta, propterea quod cœnobia ex malis bonos, ex bonis meliores efficiant: mundus contrà, ex bonis sceleratos, ex sceleratis sceleratiores reddere consueuit.

Cap. XI.

De uoluptate uitæ solitariæ.

VERVM de trãquillitate paucioribus quidem quàm res postularet, pluribus tamẽ quàm institueram egisse me uideo, nunc de uoluptate, quod unum restat, quàm breuissime poterimus, exponemus. Ea profecto una est, quæ omnes homines tam sibi pertinaciter deditos

habet, ut ab ea nullis malis deterreri, nulla ratione auelli possint. Et illud fortasse non absurde Epicurus, errare quidem mortales in iudicandis uoluptatibus, omneis tamen uno animo alijs quidem atq; alijs modis eas expetere. Proinde seculares, quos uocãt, ea uel maxime causa nostræ uitæ institutũ fugere atq; odisse solent, quod triste putent esse, horridum, inhumanũ, atque alienum ab omni uoluptate. At nos, ne eos iste deterreat error, longe secus esse demonstrabimus, tantumq; abesse, ut uita nostra uoluptate uacet, ut ausim omnes Sardanapalos ad eam tanquam quendã deliciarum paradisum inuitare. In monasterijs uoluptas inquis? Delphinum syluis appingis, fluctibus aprum. Imò uero mi Iodoce, tota uitæ nostræ ratio Epicurea est. Quid isthuc inquis? Audies: Negat Epicurus eas admittendas esse uoluptates, quas maiores molestiæ consequantur. Et nos quidem non scortamur, nõ mœchamur, nõ Asotorum more nos ingurgitamus, sobrij orientem, sobrij occidentẽ solem uidemus, quorum utrunq; uidisse illos negãt. Hæc enim omnia nũquam ita se habent, quin plus adferant molestiæ q̃ oblectamenti. Sed neq; ditari, neq; clari aliquo magistratu effici aut possumus, aut cupimus. Ne in his quidem ab Epicuri magisterio desciscimus. Nam cũ parũ habeant uoluptatis, molestiæ plurimum, sapimus qui exiguum commodum maximo incommodo mercari nolimus.

nolimus. Præterea docet nõnunquam adeundos esse dolores, maiorum dolorum effugiẽdorũ gratia, item sæpe omittendas esse uoluptates, ut maiores assequamur. Quid nos? Vigilias, ieiunia, solitudinem, silentiũ, cæteraq; eius generis perferimus, ne maiores dolores ferẽdi nobis sint. Nõ potamus uncti, nõ choreas ducimus, non cursitamus quocunq; fert libido, non cæteris ineptijs indulgemus, at utinam uideas, quanto cũ fœnore istis careamus. Tu nos uoluptatem amisisse credebas? Commutauimus, non amisimus, atq; ita quidem, ut pro paucis ac paruis plurimas ac maximas receperimus. Iam dudum nitidos istos ac molliculos arrectis esse auribus arbitror, ut qui me nouum aliquod parandæ uoluptatis artificium docere sperent. Docebo equidem, sed eos interim à fœdissimis istis illecebris, quæ nobis cum pecudibus cõmunes sunt, animũ transferre uolo. Pecudes esse desinant, intelligantq; in homine sublimius quiddam esse ac diuinius, quo potius quàm ad corpus delectatio referẽda sit. Nam pecora cum in illis sit nihil corpore præstantius, suã quãdam felicitatem uentris ac inguinis expletione nõ iniuria metiuntur, quorum altero tuentur incolumitatẽ suam, altero propagãt genus suum, iuxta naturæ suæ modulum. At hominis dignior conditio est, quàm ut non alijs rebus ac bruta natum se existimet. Constat enim ille nõ corpore modo, uerum etiam animo. Cor-

pore

pore quidem excepta figura nihil à brutis abſumus, anima uero non parum ad diuinam illam atque æternam naturam accedimus. Corpus terreſtre, brutum, tardum, mortale, morbidum, caducum, iners, ignobile. Anima contrà, cœleſtis, ſubtilis, diuina, immortalis, perpetua, lucida, generoſa. Et quis ſic cæcus eſt, qui nõ uideat ne conferendum quidem eſſe cum anima corpus? Quantum igitur à dignitate animæ abeſt corpus, tanto animi uoluptas corporis præſtat illecebris. Illa enim uti anima, uera, perpetua, faſtidij neſcia, ſyncera, honeſta, diuina, ſalutifera. Hæ contrà falſæ, labiles, faſtidij plenæ, plus aloës quàm mellis habẽtes, fœdæ, mortiferæ. Fieri autem nequit, ut idem & corporis & animi uoluptate gaudeat. Alterutra carendum eſt. Quid hic conſultus cõſuleret Epicurus? Nempe ut obſcœnas illas corporis illecebras amoueamus, ne impedimento ſint, quo minus præſtãtiores & dulciores animi uoluptates aſſequamur. Atque hoc quidem, ut dixi, eſt uoluptates non amiſiſſe, ſed fœneraſſe. Verum iamdudum audire te uelle ſuſpicor, quibus hic animi paſcamur uoluptatibus. Primũ eo horribili ſordidæ conſcientiæ cruciatu uacare, Epicuro autore, ne ab eo recedamus, uoluptas eſt uel maxima. Nam illi nõ parum multũ eſt quod gaudeat, cui nihil eſt q̃d doleat. Deinde cœleſtium atq; immortaliũ delitiarum cõtemplatio, in quas nos uenturos, deo uolente, ſperamus,

an non

an nõ uoluptaria res est? Quis est tam stupido pecto re, qui ubi huius uitæ saturo cœlestis felicitas in mentẽ uenerit, nõ uel lacrymet præ gaudio? cuius animus sic mœrore deiectus atq; humi depressus est, qui cogita- ta illa uita nõ erigatur, non exhilaretur, non ex hoc cor pusculo euolare gestiat? Quid si etiam gustata? quan quam hæc nondum sapiunt, quibus adhuc mũdus sa- pit, sacris animis nihil exploratius. Nam quamuis ui- tæ illius iucũditas futuro æuo seruata, prius percipi ne queat, quàm animus ex hoc misero carcere emergens eò reuolet unde profectus est: eius tamen odore quo- dam sensu q; piæ mẽtes afflari mihi uidentur, & quasi cœlestium imbrium rore quodam tingi, ac de illa nun quam defectura luce nescio quid sublustre aspicere. Quæ res, quid habeat uoluptatis, ei cui comperta non sit ne persuaderi quidem potest, expertis non æstima- ri nedum narrari. Quanquam autem harũ deliciarum rara, ut inquit Bernardus, hora & breuis solet esse mo ra, tantæ certe sunt, ut si quicquid hic mundus usquam habet uoluptatis in unum cõfletur, præ his uile quid- dam fastidiendum q; uideatur. Quod si bene gesto- rum nulla alia essent speranda præmia (quod multo se cus est) certe hac una mercede quosuis perferre labo- res nũquam me pigeret: dignas q; iudicarem, quarum potiundarum gratia cæteras illecebras omnes nõ solũ cõtemnerem, uerumetiam bellum eis indicerem. Age

igitur quanti futurã arbitramur illorum gaudiorũ co/piam,quãdo ſic odor tenuiſſimus delectat, ſic recreat, ſic afficit? Quàm uoluptariũ erit, diuino illo lumine, quod niſi purgatiſſimis oculis uideri nequit, perluſtrari,ita ut ipſi quoq; toti pelluceamus: quum tãtum adferat uoluptatis,nebulam (ut ita dixerim) ſublucidam idq; raptim ſuſpicere? Hæc meditari res eſt uoluptatis pleniſſima. Præterea dulcedo illa qua ſpiritus ille paracletus,id eſt cõſolator,candidiſſima pectora, quoties ſecretius illabitur,afficit,quoties in thalamo caſtiſſimo ſponſam ſui amore languidam ſpõſus amplectitur,ac querulam (ut ſunt omnes qui miſere amãt)blandiſſima quadam ac amica familiaritate cõſolatur,dulcedo, inquam,illa quid à me commemoretur? Narrent qui norint. Norunt autem & quidem feliciter quibus licuit experiri, ego ad has admitti delicias nondũ promeritus ſum, aut ſi quid tenuiter libaui, malo de aliis quàm de meipſo dicere. Et ſi hoc certius, illud tamen modeſtius. Eos igitur perſæpe cũ lacrymis fatentes audiui, iſtas ſeculi uoluptates, quæ uanis hominibus uicio palati ſapiunt, ita ſibi uideri inſipidas,ut nõ ſolum à rebus ipſis animus,uerumetiam à cõmemoratione aures abhorreant. Nimirum ſorduerunt illis glãdes, ubi Cereris uſus repertus eſt:faſtidire cœperũt falſas delicias,ubi ueras guſtarũt. At heu plericq; mundi cultores ex illo agreſti & ſtolido hominum genere,

porcinis

porcinis iſtis pabulis ita fauces habent imbutas,ut eis præter ſuas glandes ſapiat nihil:nec planè intelligunt, quæ poſſit eſſe uitæ iucũditas,aut cur in uita morandũ ſit,ſublatis glandibus,id eſt,uentris ac fauciũ uoluptate. Proinde quoties fit, ut nos uideãt in his laboribus, ut ipſi exiſtimant,in quibus ſe ne uiuere quidem poſſe credunt,hilariores aut etiam corpore habitiores uiuere, quàm ipſi inter ſuas epulas uiuant, admirari maximopere ſolent, nec intelligere poſſunt poſteaq̃ carnis delectamenta reiecimus, qua ex re ullam præterea uoluptatẽ capere poſſimus. Vident adoleſcentulos teneros,puellas item delicatas,uidẽt annos,uident formã, qua indulgẽtia paulo ante educati ſunt meminerunt: altera ex parte ſi quid hæc uita aſperũ,ſi quid triſte habet,collocãt,ſolitudinẽ,laborem,uigilias,inedias,& id genus cætera, Vident non modo liberũ eis eſſe ab hoc uitæ genere recedere, uerum etiam admirabili quadã parentum atq̃ amicorũ improbitate ſuaderi,moneri, rogari, impelli:illos cõtra multo pertinacius obſiſtere, matrem lacrymantẽ ſiccis cõſolari oculis, ſororẽ collaſtringentem cõtemnere,à chariſſimis ſodalibus,à quibus nuper unũ diem abeſſe durũ erat, nũc omni uitatã facile auelli:denicq̃ tanta hilaritate ſupremũ uale dicere,tãta alacritate ſuprema diuidere oſcula, ut nemo uel alienus inter hæc lacrymas tenere poſſit. Libet hic meminiſſe(quæſo ne moleſtum ſit) lacrymabilis illius

cœnæ, quæ Margaretæ uirgini optimæ, mihi ſororis loco ſemper dilectæ cum parẽtibus ſuis fuit ſuprema. Aderam ipſe,& mecum una plurimi,quos filia eò conuenire dederat operam, ut nobis aduocatis patrẽ exoraret, quod iam ſex annos fruſtra orauerat, ut monachã fieri ſineret.Matris enim iam expugnauerat animum,neq; enim alterutrius difficultas ullo uicio accidit.Sunt enim utriq; ut loco, ut ſpecie apud ſuos facile primi,ita ea uirtute,ut (quod felicitati rarum eſt)nemo nõ amet,nõ prædicet:uerũ ita in liberos propenſi, ut tanquam adament ſic ament.Cœpimus itaq; urgere patris animũ.Quid multa? ille partim pudore,partim filiæ commiſeratione, partim noſtra improbitate victus annuit. Tum uero uidiſſes miſerabile ſubito oriri ſpectaculum.Pater filiam complexus ita inter oſcula lacrymari cœpit,ac ſi continuo in ſepulchro ponenda fuiſſet. Mater exanimata dolore collabitur. Frater adoleſcens,qui illi erat unicus, ac germana natu grandior,alter ætatis, alter ſexus imbecillitate,eiulatus addẽtes lachrymis,ſororẽ cõmunem utrinq; amplexi,p has,inquiũt, lachrymas, per ſi quid poteſt fraterna ac ſororia pietas,oramus,ne nos deſeras miſeros,ne una utroſq; perdas.Cæteri amici, alĩ flere taciti, alĩ precari, alĩ ſuadere , alĩ increpitare, at ſiccis genis nemo omniũ. Nos porrò q filiæ ueneram⁹ aduocati,cũ omnium tũ patris lamẽtis ac lachrymis ꝓmoti,quæ illi uiro grauiſſimo

grauissimo ut puero cadebãt ex oculis,& ipsi lacryma ri cœpimus,id quod cũ nostro dedecore dicimus. Iam propè penitebat tantas turbas concitasse. Quid inter hæc ageret uirguncula, sexu,ætate,natura mollis,edu/ catione delicata? Paulus ipse ualedicturus, fratrum la chrymis se & si non permotum,at motum certe signi/ ficat,quid inquiens facitis flentes, & conturbantes cor meum? Verum hæc (tametsi insigni in parentes esset pietate) oculis siccis, uultu sereno,patri blandiens ne/ gat esse causam cur se excruciet, iustius gaudendũ esse ut qui gnatam non amissurus, sed habiturus sit, quæ pro se deum oret. Matris item ægrotum animũ ac cæ/ terorũ osculis,precibus, monitis, lenire sedulo studet. Frustra, nam perpetuum hoc conuiuium usq; in serã noctem singultibus, lachrymis, questibus productũ est,una hilari Margareta. Hæc itaque quoties uident (nam fit nonnunquam ut uideant)ñ qui, ut dixi, ferè non nisi palato sapiunt,conlachrymant sæpe etiã ipsi, admirantur robur animorum iuuenilium, atq; iam suæ molliciei suppudet. Verũ quid suspicãtur? Num censent eos annos,eos uultus,ea corpora, eos animos tam facile posse abduci, immo tam auersari seculi uo/ luptates,nisi reperissent iã potiores? Num ad eos la/ bores tanta magnanimitate contenderent, ni dulces experti essent? Sic est mi Iodoce,sic planè est,dulce est expertis, quod etiam acerbum ac durum inexpertis

uidetur. Verum quando hoc iſtis perſuaſeris? Vident enim, ut ait Bernardus, cruces noſtras, unctiones non uident. Cupio equidē illis mentem melioré dari, niſi tamen ipſi grato errore libenter inſaniũt, quemadmodũ Argiuus ille apud Flaccũ. At tibi (quando ab eo non multum abſumus) planè perſuadere uolumus. O ſi optando aſſequi liceret, ut ſicut ſub aſpectus tuos hæ uenturæ ſunt litteræ, ita in animum tuũ animi noſtri transfundant affectus, id eſt ut tu ſic afficiare legens, quomodo ego ſcribens afficior. Iam hic epiſtolæ finẽ ponerẽ, nec in perſuadẽdo plus ſermonis terendũ eſſe iudicarẽ. At id quãdo fruſtra fortaſſis optamus, & ad perſuadendũ noſtra nõ ualet autoritas, unũ in medium adducã Hieronymum, quẽ & uita grauẽ & erudi/tio fecit inſignẽ. Dic quæſo uirorũ ſanctiſſime, quid tu in iſta horrenti ſolitudine, immodica cõfectus inedia, uigiliȝs propè perpetuis maceratus, tãtis laboribus at/tritus, nullã ne habebas uitæ iucunditatẽ? O quoties, inquit, in eremo conſtitutus, in uaſta illa ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præ ſtat habitaculũ, putaui me Romanis intereſſe delitiȝs. Et ut mihi teſtis eſt dominus, poſt multas lacrymas, poſt cœlo oculos hærentes, nonnunquã mihi uidebar intereſſe agminibus angelorũ, & lætus gaudẽsq; can/tabam, poſt te in odoré unguentorũ tuorũ curremus. Audiſti Iodoce cõfitentẽ. Liceret quidẽ & alios citare teſtes,

teſtes,uerum aut huic aut nemini credemus. Atq; hæc quidē uoluptas omnibus pñs cōmunis eſt. Eſt tamen præterea quædā uiris eruditis peculiaris, qua fruūtur, quoties aut probatiſſimorū autorū ſcripta legunt,aut ipſi legenda ſcribūt,aut lecta animo uolutāt. Hoc uoluptatis genus tantā habet uarietatē,tantam copiā,ut nullus omnino faſtidio poſſit eſſe locus. Quid em̄? Si quid ex ipſis fontibus libet,utriuſq; teſtamēti uolumina petuntur. Si ueritas per ſe honeſta eloquētiæ nitore honeſtior facta delectat,ad Hieronymū,Auguſtinum,Ambroſiū,Cyprianū,atq; eiuſmodi curritur. Si paulo faſtidientiori,Chriſtianū Ciceronē audiendi libido eſt, Lactātius Firmianus in ſinū ponitur. Sin neglectior apparatus,ac ſobria cœna delectat, Thomæ, Alberti,ac ſimiliū libri ſumuntur in manus. Quod ſi à ueteribus illis amicis abeſſe ꝑpetuo nequis,licebit quidem & iſtos interdū reuiſere, ubi ociū erit, at ita, ut ualē te nō conuictorē exhibeas. Eſt enim apud iſtos mulier illa barbara,ſed uultu honeſtiſſimo, quam tu raptam ubi capillos ungueſq; ſecueris, ex ſcorto tibi legitimam coniugē facies. Habes igitur arcana ac multa ſacræ ſcripturæ uolumina, habes monimenta prophetarū, apoſtolorū, interpretū,doctorū:habes philoſophorū ac Poetarū ſcripta,nō ei fugiēda,qui nouit inter aconita ſalubres herbas legere. Quid? Inter hæc ſummo ocio,ſumma libertate uacuū curis uerſari, an

Studia ſacra.

non

non id est deliciarũ paradisum incolere? Quis in tãta uarietate fastidio locus? Quid hic non uoluptatis plenum? Quàm læto gramine campi uirent, & blanda florum uarietate picta nitent gramina, hinc rosis formose rubẽtibus, hinc niueis liliis placide candentibus, hinc purpureis uiolis arridentibus, hinc fuluis thymis suaue spirantibus. Nec desunt formosa nemora comis luxuriantibus umbrã gratissimam texentia, qua meridianos æstus defendamus. Adde arborum genus innumerum, fructuum ferax, sapore dulcium, atque (quod pluris est) salubrium. Has iuxta liquidissimus ille amnis dulci murmure labitur irrigãs omnia, ille inquam amnis profundissimus, quem superari nõ posse demirat Propheta. In his amœnissimis pomariis spaciari, errare, atq; (ut ita dicam) lasciuire quoties libet, licet. Quid tale uestræ habent choreæ? quid popinæ? quid balnea? Ad hæc te Iodoce, ut hominẽ & eruditũ & studiosum uoco. Ad hæc te ut amicissimũ inuito. An quicquam postea est, quod te istic remoari, aut hinc deterrere possit? Habes quàm mortiferæ, quàm etiam acerbæ sint mundi illecebræ, quæ (ut ait Seneca) ad hoc nos amplexãtur, ut strangulent. Opes item quàm nihil habeãt boni, nihil solidi, audisti. De honoribus in quas calamitates hominem præcipitẽt, satis, ut arbitror, demonstratũ est. Præterea de mortis inexorabili necessitate adiectũ est. Postremo, ista

Epilogus

uita

uita quàm plena discriminis, quibus sit erumnis obnoxia, cómemorauimus. I nunc & contare utrũ in istis malis hærere, an ab istis euolare malis. Contra hæc nihilominus, qua libertate, qua tranquillitate, qua uoluptate, qua spe hic uiuatur accepisti, & nondũ etiã aduolas? Adhuc hæres, adhuc tecum deliberas, adhuc cótaris Aegypto suas carniũ ollas relinquere, ut manna te pascat eremus? At durũ est inquis à charissimorum consuetudine distrahi, amicorũ peruincere affectus. Eia Iodoce durum uocas, uide ne tu mollis potius sis. Caue ne pueri ac puellæ, quibus ista res minime dura uisa est, his tibi uerbis insultent. Tu negas te posse, quod nos potuimus? Et quo tibi barba, quo uiri nomen, quo anni, quo eruditio? Tu uero tibi persuade, ñs amicis nihil esse inimicius, qui salutem tuã aut impedire, aut remorari moliuntur. Qui si errore peccant, aut amore insaniunt, num tu cupis una cum eis insanire? Sin cõsulto, atq; prudentes officiunt; qui tandem amici iudicãdi sunt, quũ tibi nõ optime cupiãt? Sed in carne inquis angelũ agere, humanis maius est uiribus. Postremo non licere hominẽ suo more uiuere, sed omnia ex aliena sententia, uel potius libidine agere, dictu est quàm factu procliuius. Istud quidem non abnuo, neq; enim me latet, militiam esse uitã hominis super terrã. Sed si quid negotij est, id omne propemodum in ipso tentandæ rei aggressu cõsistit, quẽ

si strenue perruperis, euasisti. Iam olim uulgo dicunt, Is medium opus confecit qui recte cœpit. At hic certe, cœpisse, propemodū perfecisse est. Sed primi te terrēt aditus. Habeo quo istam tibi trepidationē eximam. Aegre ab seculi uoluptatib⁹ auelleris? æternas delitias cogita. Nostrum institutum triste ac durum uidetur? perpetuos cruciatus aspice. Nihil te cruciabit, quo perpetuos effugias cruciatus: nihil uoluptuariū erit, quo cœlestes uoluptates amittas. Postremo nihil erit arduum, quod sibi uehementer imperarit animus, nihil desperandum quod opitulante Christo moliaris.

CAPVT XII.

TAM dudum uideo te cōponere sarcinas, induere talaria, quo mox ad nos accurras. Verum ne nimium calidum hoc sit, paucis etiā mihi præmonendus es, ne tibi ueniat usu quod hodie multis uidemus accidere, quos ideo pœnitet suscepti instituti nostri, quod in hunc ueluti puteum, unde reditus non est, non descendūt, sed præcipitant sese. Ad Christi professionem nemo cogitur, sed ab hoc nunquam resiliendū, sine quo nulla omnino salutis spes. Cæterum in reliquis uitæ institutis, quæ pro tempore reperiunt homines, quando tanta est corporum atq; animorum uarietas, tanta rerum humanarum omnium mutatio, fortassis non expedit quenquā sic astringi, ut referre pedem non liceat, modo quod mutatur

tur,magis faciat ad illius qui mutat salutem. At quando aliter uisum est his, quorum arbitrio gubernatur mundus, hoc circumspectius est aggrediendum negocium, quod semel aggresso liberum non sit mutare quod instituit. Olim monasteria nihil aliud erant, & secessus quidam bonorum uirorum, qui uel tædio uoluptatum ac uitiorum,quibus id temporis hoc magis erat contaminata uita mortalium,quod adhuc promiscue uiuerent Ethnici cum Christianis, uel offensi sæuitia persecutionũ, relictis urbibus, in inuios montes se subducebant, angelicã quandã uitam meditantes. Cultu uili,uictu tenui, quem facile quæuis terra suppeditabat, quibus omne tempus aut sacris hymnis, aut sanctæ lectioni,aut cœlestibus colloquijs,aut pijs precibus,aut charitatis officijs, quibus ægroti aut hospites refocillabant,aut innoxijs operis, quibus egentes subleuabant,dabatur. Nec aliud tũ erat monachus, quàm pure Christianus. Nec aliud monasterium, & grex ultro cõspirans in purissimã Christi doctrinam. Aberat imperiũ,ultro præuolabãt oẽs,& freno magis erat opus & calcaribus. Extremũ illis suppliciũ erat, amica fraterna & correptio. Nunc proh dolor pleraq; monasteria medijs mũdi uisceribus admixta sunt, nec aliter extra mũdũ sunt, & renes extra corp⁹ animãtis. In quib⁹ adeo nõ uiget disciplina religionis,ut nihil aliud sint, & scholæ impietatis, in quib⁹ ne liceat quidẽ

esse puros & integros. Quibus titulus cultus & religio nis, nihil aliud præstat, & ut impunitius liceat quic/ quid libet. Et quorum prudentiæ mundus non crede/ bat suas culinas, his creditur, imò proditur ecclesiæ ne gotium. Est autẽ & inter ea, in quibus uiget religionis disciplina, nonnihil discriminis. Aliud uitæ institutum alijs atq; alijs magis congruit. Prius igitur teipsum ex plores oportet, ut tibi notus, iudicio deligas uitæ ratio nem non ignotam, & iuxta Pauli doctrinam omnia probes, qd̄ bonũ est tibi, teneas. Bona pars hominũ nó ob aliud suscipit religionis professionẽ, & ut uiuat cómodius, uentri suo consulens, nó animo. Itaq; quos in mundo frugalitatem & industriam docebat inopia rei familiaris, ñ in monasterijs ocio luxuiq; indulgent. Quiq; in mundo tenues erant & humiles, in pauper/ tatis professione satraparũ ac regũ luxum strepitũq; imitantur. Et quibus unica uxore cótentis ferenda fue rant incommoda matrimonij, nunc gratis ac licenter uolutantur per omnia stupri genera. Quosq; prius le/ gum publicarũ ac magistratuum metus cohercebat à flagitijs, hoc præstat cuculla titulusq; religionis, ut ex/ empti à ditione episcopi ac magistratuũ, peccent licen/ tius. Ita ficta paupertatis professione pau pertatẽ effu giunt, ficta castitatis professione libidini suæ consulũt, ficta obedientiæ professione perficiũt, ne cui cogantur obedire. Deniq; sunt quos casus aliquis cõijcit in hoc

uitæ

uitæ genus:aliũ quia puella uehemẽter ambita potiri nó cótigerit,aliũ quia in tẽpestate,morbo,alióue periculo metu ꝓculsus, tale quippiã uouerit. Nónullos sodalis ante charus pertrahit ad uitæ cõsortiũ. Quidã im probis hortatibus, ueluti bubali naribus pertrahũtur in foueam. Quidã etiam huc protrudũtur à parẽtibus impijs,aut tutoribus,quo se sumptu curaq; leuẽt,ij potissimũ insidiantur ætati simplici, cuiq; facile imponitur.Ego uero in totũ dissuaserim, ne rudis ætas inuoluatur instituto unde nõ possit explicari.Mature oportet esse Christianũ,sero monachum, quãquam abunde monachus est, quisquis pure christianus est. Neq; pauci sunt,quos superstitio,aut etiã stulticia deducit in monasterium,ignaros quibus in rebus sita sit uera religio,ac pulchre sibi monachi uidentur, si cingulum aut cucullam gesserint.Hos si conspicis sceleratiores esse in professione religionis, q; fuerint in uita priore,mirum uideri nõ debet.Itaq; tu mi Iodoce simul ac cognoris, quid sit uera religio, ubi tuum ingeniũ,corpus & animum exploraris,ubi genus uitæ dispexeris tuis rebus accõmodum,ubi nactus fueris sodalitiũ,quod unanimiter cõspirarit in Christũ,eò te conferas,sed domi relictis omnibus huius mũdi cupiditatibus. Alioqui frustra mundũ reliqueris,si mundũ tecum in ipsum attuleris monasterium. Nihil omnino tecũ efferas Ægyptiarum delitiarũ, si properas ad terrã lacte ac melle

manantem. Multi se credũt Antonios ac Paulos esse, quia non scortantur, non saltant, nõ inebriantur, cum toti madeant intus odio, liuore, cum scateãt obtrectatione ac uirulẽtia linguæ, cum omni fastu turgeant, cũ morosi sint & intractabiles, cum sui sint amantes, cum sui cõpendij gratia, palàm adulentur principibus, scientesq; ac prudẽtes sinant Christi gloriã obliterari quo suæ gloriæ consulant. Infame crimẽ est incestus, quanquã isti nec ab his absunt uicijs, sed hæc adulatio superat sexcẽtos incestus, & huius pernicies latissime patet in uniuersum genus mortalium. Iam fortasse mihi dices, tibi displicere monasteria omnia, nec usquam reperiri apud hos gregẽ qui synceris animis conspirarit in Christum. Proinde tu sic mundũ fac relinquas, ut innocentissimis quibusq; te adiungas, & in monasterio te esse puta ubicũq; uersaberis, inter eos qui ueritatẽ, qui pudicitiam, qui sobrietatẽ, qui modestiam amant, qui crepant, qui moribus exprimunt. Nec imagineris tibi quicq; in uotis deesse, si uotum quod Christo professus es in baptismo, præstiteris. Neq; desideres Carmelitanum, aut Dominicalẽ cucullum, si candidam uestem in baptismo traditã, conseruaueris incontaminatam. Neq; tibi displiceas si nõ sis de grege Benedictinorum aut Guilhelmæorum, modo sis de grege uere Christianorum. Bene uale nepos optime.

DO BIETRICIO PAROCHO BV/RENTRVTENSI S. D.

INEPTIO iam toties in gratiã tuã amice Bietrici, restim etiam opinor, in medio foro ducturus, aut cyclopem saltaturus si tu iusseris: at interim abs te nõ impetro, ut ex uetere psalta, fias nouus Ecclesiastes. Vbiq; gentium omni genere musices, ac diuersis musicorũ organis obstrepitur sanctissimæ Virgini, quæ quotidie audit angelorum choros, aliquãto, ni fallor, modulatius canentes nobis. Sed non aliunde uenit, quod in pagis & nonnullis etiam oppidis uidemus tantam hominũ ruditatem, tantã inscitiam rei Christianæ, quàm quod uocum & organorum strepitus frequẽter audiant, sermonem euãgelicum aut nunq; audiant, aut perquàm raro. Atqui hæc demum est musica, quæ nobis paulatim excantat huius mundi spiritum, & Christi spiritũ inserit. Si tantum potuit Amphion sono testudinis, si tãtum ualuit Orphei cithara, ut saxa moueret & quercus, quanto plus ualebit cithara Dauid, qui modulis suis spiritũ malum depellere solitus est à Saule, quanto erit efficacior euangelica testudo? Fateor bonã Ecclesiastæ partẽ præstitit, qui sobria castaq; uita præluxit ouibus suis. Verum ut hac in parte nihil in te desiderem, excusantur quidam mi Theobalde, qui morũ

insigni

insigni sanctimonia, linguæ pẽsant infantiam, quum utrunq; præstare nequeãt,& habet ipsa quoq; uita linguam,ut ita loquar,suã. Sic excusatus est Valerianus episcopus Hipponensis,qui lingua utens aliena,dimidium suæ functionis cessit Augustino. At ego te qui potes utrunq; præstare, non patiar dimidiatũ esse pastorem. Ita demum uirgo mater putabit sibi florere suum Lauretum, si quàm plurimos allexeris ad amorem filij. Quãquam fortasse iam dudum hoc facis,ad quod te hortor. Adieci conciunculam, ne non esset integra Liturgia. Bene uale. Basileæ quarto non. Maias, Anno M. D. XXV.

INTROITVS.

LAurus odore iuuat,specioſa uirore perhenni,
Sic tua uirgo parens laus omne uirebit in æuum.

VERSVS.

TRahe nos post te uirgo Iesse Maria. Curremus in odore unguentorum tuorũ. Gloria patri,&c̃.

COLLECTA.

CONditor, instaurator, & gubernator omnium deus,qui in sanctis quidem tuis omnibus gloriosus, peculiariter tamen in filij tui genitrice Maria,æditis per eam,quum in uniuerso terrarũ orbe,tum præcipue apud tẽplum Lauretanum innumeris miraculis, glorificari gaudes:da quæsumus,ut qui te in filio & fi-

lium

lium in te pie colũt, quiq; filiũ in matre, & matrem ob filium uenerantur, cœlesti præsidio à malis omnibus liberẽtur. Per eundem dominũ nostrũ Iesum Christũ.

LECTIO EZECHIELIS C. XLIIII

ET cõuertit me ad uiam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientẽ, & erat clausa. Et dixit dominus ad me, Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & uir non transiet per eam, quoniam dominus deus Israël ingressus est per eam, eritq; clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea ut comedat panem coram domino. Per uiam portæ uestibuli ingredietur, & per uiam eius egredietur.

Vel Esaiæ XI. Egredietur uirga de radice, usq; ad, Et erit in die illa, adijciet.

GRADVALE.

EGressa est uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdit, & requieuit super eũ spiritus domini.

ALLELVIA.

SOla uirga Aaron sine satu germinauit, sola uirgo Maria sine cõplexu uiri, produxit florem immarcessibilẽ, Iesum, q coërcuit querimonias populi Israël. Numeri 17.

SEQVENTIA.

SVme nablũ, sume citharã, uirginũ decens chorus, Virgo mater est canenda, uirginali carmine.
Vocemq; referent accinentes angeli.
Nam uirgines amant & ipsi uirgines.

Iunget cármina, laureata turma,
Vitæ prodiga, ſanguinisq́ quondam.
Martyr carnificem uincit, & edomat
Carnem uirgo, decet laurus & hunc & hanc.
Cœlitum plaudet numeroſa turba,
Virginem ſacram canet omne cœlum,
Nato uirginis unico,
Nulla eſt cantio gratior.
Vt cedrus inter arbores, quas Lybanus ædit, eminet,
Sic inter omnes cœlites, uirgo refulget nobilis.
Vt inter aſtra lucifer emicat,
Sic inter omnes lucida uirgines.
Inter cunctorum ſtellantia lumina florum
Lilia præcellunt candore, roſæq́ rubore,
Nec gratior ulla corona
Ieſu niueæ genitrici.
Inter odoriferas non gratior arbor ulla lauro,
Pacifera eſt, dirimens fera prælia, fulmen arcet ardẽs,
Baccas habet ſalubres,
Iugi nitet uirore.
Eſto uirgo fauens, qui modulis te celebrant pijs,
Iram auerte dei, ne feriat fulmine noxios.
Laurus eſto, gaudeasq́
Vſq́ Lauretana dici,
Licet in uaſti finibus orbis,
Plurima paſſim fumiget ara.

AMEN

EVANGELIVM.

NVptiæ fiebãt in Cana Galileæ,& erat mater Ie/ſu ibi. Vocatus eſt autẽ & Ieſus,ac diſcipuli eius ad nuptias. Et ubi defeciſſet uinũ, dicit mater Ieſu ad eum, Vinũ non habent. Dicit ei Ieſus, Quid mihi tecũ eſt mulier? nondum uenit hora mea. Dicit mater eius miniſtris, Quodcunq; dixerit uobis, facite. Erant autẽ ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationẽ Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ter/nas. Dicit eis Ieſus, Implete hydrias aqua. Et impleue runt eas uſq; ad ſummum. Et dicit eis, Infundite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt. Poſtquam autẽ gu/ſtaſſet Architriclinus aquã in uinum uerſam, neq; ſci/ret unde eſſet, ſed miniſtri ſciebãt, qui hauſerant aquã, uocat ſpõſum, & dicit ei, Omnis homo primo loco bo num uinũ ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod eſt deterius. Tu ſeruaſti bonũ uinũ uſq; ad hoc tẽpus.

CONCIO

IX oratione conſequi queã fratres ac ſo rores in Chriſto dilectiſſimi, quãto gau/dio perfundatur animus meus, quum ui/deo uos tam frequẽtes, tantaq; cum ala/critate ad ſolennem Virginis matris commemoratio/nem conueniſſe. Affectus hic in matrem, pietas eſt in filium. Mos quidem eſt ab antiquis traditus, ut in fe/ſto die ſplẽdidius aliquod epulum exhibeatur. Vtinã

autem ego,qui pater ſum ac paſtor,uobis filiȷs & ouiȷ/
bus meis in domino, è lautiſſimo diuinarum literarũ
penu depromere queam cibum qui non perit,ſed ſagi
nat ac uegetat animos in uitam æternam:depromere
uinum ſpiritus,quod ſobria temulentia exhilaret cor/
da ueſtra,ut in mediȷs etiã huius mundi malis ſemper
cantetis ac ſpiritualibus hymnis pſallatis domino:qui
quum in ſanctis omnibus glorioſus ſit,in matre tamẽ
Inuocatio. peculiariter diuitias gloriæ ſuæ declarauit. Communi/
bus itaque uotis imploremus illum ſpiritum, qui ſu/
peruenies in Mariam, uirgineum ipſius pectuſculum
conſecrauit templum diuinæ triadi, & eiuſdem illiba/
tum uterum officinam fecit admirandi partus,qui no
bis prodidit omnibus ſeculis expectatum ſeruatorem
Diuiſio. totius mundi Ieſum Chriſtum. Primũ illud non igno
rat charitas ueſtra,ſanctiſſimæ uirginis cultũ quatuor
in rebus potiſſimum conſiſtere,in laudibus, in hono/
ribus,in inuocatione & in imitatione. Quorum poſtre
mum adeo præcipuum eſt,ut illa ſine hoc ſint infrugi
fera,& hoc unũ cætera quoq; in ſe complectatur. Satis
enim laudauit Mariam,ſatis honorauit, ſatis inuoca/
uit,qui Mariæ ſobrietatem,qui pudicitiam, qui mode
ſtiam pro uiribus imitatur. At qui præpoſtero iudicio
ſine fine Mariæ laudes canunt atq; exaggerant,qui ce
reis,qui donariȷs, qui templis ac delubris illam hono/
rant,qui prolixis & ambitioſis precibus illius opẽ fla/
gitant

gitant,de imitando quã prædicant, ne cogitantes qui/dem,in periculum ueniunt ne audiant à matre , quod Iudaicus cultor apud prophetã audit à patre: Hic po/pulus labijs me honorat,cor autem eorũ procul abeſt à me.Rurſum quod in Euangelio audit à filio : Non omnis qui dicit mihi,domine,domine , intrabit in re/gnum cœlorũ,ſed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt.Sit igitur uobis chariſſimi prima cura,mo ribus ac uita quantũ licet imitari uirtutes Mariæ : Ne & ipſa dicat de nobis:Hic populus cantionibus, fiſtu/lis,tibijs,cereolis & corollis me honorat,cor autem eo/rum in his rebus eſt,quas ego ſemper odi cũ filio meo Ieſu,in diuitijs,in uoluptatibus,in luſibus ſceleratis,in turpibus fabulis,in faſtu & ſuperbia.Dant mihi prin/cipem locum in templis & aris,in pectore illorum nul lum mihi locum concedunt . Occinunt mihi: Regina cœli,domina angelorum,uita,dulcedo,& ſpes noſtra. Salutor undiquaqꝫ titulis honorificentiſſimis , ſed nõ omnis qui dicit mihi,domina domina , intrabit in re/gnum filij mei,ſed qui illius exemplum ſequentes ob/temperant præceptis dei, quiqꝫ meum exemplum ex/primere ſtudentes,filij gratiam ambiunt,in imitanda matre , in qua quicquid imitatu dignum eſt , filij do/num eſt . Ne credamus igitur ſanctiſſimam uirginem hiſce ieiunijs delectari,quibus nõnulli illam certis die/bus honorant,in hoc tantum ieiunantes , ut poſtridie

copioſius inebrient, aut his cantionibus deliniri, quas illi quidã occinũt libidine luxuq; corruptiſſimi, aut eorum donarijs capi, qui ſcortis & adulterijs undiq; cõſpurcati ſunt. Non quod clementiſſima uirgo peccatores auerſet, ſed quos pudet pigetq; ſuæ turpitudinis, iam peccatores eſſe deſinunt. Quicquid ingratũ eſt filio, nõ poteſt placere matri. Scio nõnullis in locis oſtẽdi Mariæ delubrũ, ſericis, argẽto, auro, gemmisq; diſfertum, ut qui illic adorant uirginẽ, mammonã adorare uideantur. Quanto gratius eſſet Mariæ, ſi iſtæ opes erogarẽtur, & impenderent ſubleuãdis Chriſti membris, in quibus unà cũ filio quodã modo uel affligitur uel refocillatur mater. Si placet ſimulachrum uirginis, tale fingatur, qualis ipſa placuit deo, & qualẽ nos imitari pium ſit, pudicitia, modeſtia, ſobrietas in uultu, in totius corporis ſtatu, in ueſtibus etiam reluceat. Nunc paucis aperiam, quid potiſſimum imitari cõueniat in Maria, ſi prius illud admonuero charitatem ueſtram, à nullo neq; perfectius neq; tutius peti formam ac regulam pietatis quàm à filio, tametſi certum eſt nihil eſſe in matre quod à filij doctrina diſſideat. Hic animis attẽtis eſtote pueri ac puellæ, matronæ ac uiduæ, uiri, ſenes & anus, omnibus enim erit quod imitemini in Maria. Scopi ſunt hi, uirginea ſimplicitas, cum ſumma coniuncta prudentia, ſumma felicitas, coniuncta cum ſumma modeſtia, ſumma caſtitas in cõiugio, ma-

tris

tris ſedulitas in officio, inuictum animi robur in ſexu fragili. Quàm fuerit illi cordi uirginea puritas, uel hinc liquet, quod ad ingreſſum angeli turbata eſt, referẽte Luca. Nimirum intelligebat quàm ingens eſſet theſaurus pudicitia, ſed cõtrà quot inſidijs obnoxia, quã multæ perdiderunt priuſquam ſcirent quantum boni poſſiderent. Quantum autẽ abſunt ab exemplo Mariæ uirgines, quæ ultro procurrũt ad luſus & colloquia iuuenum, angelo longe diſſimilium, quæ nutibus, facetijs, blanditijs, munuſculis & amatorijs epiſtolis prouocant etiam unde pereat uirginitas. Maria ſponſum habebat qui cum ſub eodem tecto uiuebat, & tamen ad ingreſſum ignotæ formæ turbatur, omnia uel tuta timens. Quod ſponſo nupſerat, dedit gentis Iudaicæ conſuetudini, dedit autoritati parentum, & tamen uirginitas erat in uotis. Id aperit quũ ait: uirum non cognoſco. Nam hic uerbum præſentis temporis, animi propoſitum ſignificat. Multas ab impudicitia deterret infamia. Maria dum amore integritatis negligit infamiam ſterilitatis, utrunq; promeruit, uidelicet, ut uirgo deum progeneraret. Qua uero fronte prædicãt ſe cultrices huius uirginis, quæ in ipſa uirginitatis profeſſione nequiter laſciuiunt? quæ iam anus & effœtæ, tamen adhuc intẽpeſtiua libidine pruriũt? Iam qd' in muliebri ſexu fœdũ eſt, multo fœdius eſt in ſexu uirili. Quæ uirgines uideri uolunt, exẽplo Mariæ totæ ſint uirgines.

uirgines. Quædam enim corpus habent intactum, ſed cultus non ſine fucis parũ pudicus eſt, laſciuiũt oculi, lingua petulãs eſt, fractus inceſſus. Si uero caſtus eſt animus, reluceat huius integritas, & in his rebus quæ foris ſunt. Dixerit aliquis: Quid flagitiũ eſt, ſi uirgo ſponſum ambiat? Si uenatur quemlibet ſponſum, uirgo non eſt: ſin probum, nullum lenocinium efficacius apud bonos quàm pudor, quàm ſilentium, quàm ſimplex in cultu mundicies. Eſt & in matrimonio ſcortatio, quemadmodũ eſt & caſtitas deo gratiſſima. Imitentur coniugati Ioſeph & Mariæ coniugium, ſaltem quantum patitur carnis infirmitas. Qui cum uxoribus turpiter certant libidine, qui maiore nequicia cũ illis luſitant & confabulantur quàm ſolent cum proſtibulis, nec mariti ſunt, nec uxores habẽt pro uxoribus. In matrimonio caſto & coniugiũ uſus debet eſſe uerecundus. Nunc repperit hominum peruerſitas, ut cum uxore quoq; committatur adulterium. Simplicitatis argumentum hoc erat, quod cum adamaret unice perpetuam uirginitatem, tamen animo ſimplici uiuebat puella cum iuuene ſponſo. Nunc audite huius uirgunculæ prudentiam. Nam uirgines fatuas reiicit ſponſus. Non ſtatim reſalutat Angelum, nec exilit, ſed quieta manens cogitat qualis eſſet illa ſalutatio. Et rurſus promiſſo partu tam magnifico nec diffidit polliceti, nec geſtit inſolenti gaudio, ſed modeſte quærit ab angelo,

ab angelo,qua ratione futurū eſſet,quod promitteba/
tur incolumi uirginitatis theſauro. Viderat cōcurſum
paſtorum, uenerationē magorum,prophetias Annæ
& Simeonis audierat,& tamen nihil horum muliebri
facilitate effutit,ſed tacita colligit & conſeruat in corde
ſuo.Certiſſimum argumētum prudentiæ eſt etiam in
uiris,poſſe tacere tantam felicitatem. Vnde tantū pru
dentiæ in uirgunc̃ula,in puella tenera ac rerum imperi
ta? Sera miſeraq́ prudētia eſt,quæ diutina malorum
experiētia contingit homini.Etiam puellarum ac pue/
rorum pectus implet ſenili prudentia ſpiritus ſanctus.
Purget quiſq́ ſuum pectus à uicijs, ut immigrare di/
gnetur ille ſpiritus ſapientiæ largitor. De felicitate ue/
ro Mariæ quid attinet dicere? quis unquam ſalutatus
eſt honorificētius ab angelo? cui magnificētiora pro/
miſſa delata ſunt? Legationem ad uirginem mittit il/
le cœli terræq́ conditor. Gabriel pronubum agit, pro
mittitur proles qualis nulli promiſſa eſt, Hic erit ma/
gnus & filius altiſſimi uocabit̃, & dabit illi dominus
ſedem patris eius,& regnabit in domo Iacob in æter/
num,& regni eius nō erit finis. Quid his pollicitis ſub/
limius? eorum ut iam fides eſſet facta per angelum,
num tanta felicitas minuit uirgūculæ modeſtiā? Ne/
quaquam, ſed auxit potius,Ecce,inquit, ancilla domi/
ni.Ex tāto negocio nihil gloriæ ſibi uindicat, ancillam
tantum profitetur,obediens & ſequens quocunq́ uo/

caret domini uoluntas. Iam cœlesti fœtu grauida non dedignatur officij causa uisere cognatam anum & grauidam. Audit ab Elisabeth: unde hoc mihi ut ueniat mater domini mei ad me? Illa tamẽ sui similis accinit: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Beatitudinem suã prædicat non dignitatem, nec dicit quia promerui, sed quia fecit mihi magna qui potens est: nec dicit, & sanctum nomen meum, sed sanctum nomẽ eius. Quumque sibi conscia esset quod talem fœtum haberet in utero, tamen non fastidit maritum. Quicquid uxor obsequens præstat coniugi, hoc illa multo cumulatius præstitit Ioseph. Cum illo proficiscitur ad censum quem Cæsar indixerat, cum illo circuncidit puerum, cum illo peragit omnem purificationis ritum, hunc sequitur in Ægyptum. Iam enim angelus Ioseph apparuerat non Mariæ, ut autoritas esset penes uirũ: huic hæret rediens ex Aegypto, nec dedignatur uulgo dici coniunx fabri, nec pudet humilium fratrum ac sororum, nec moleste fert filium suũ haberi filium Ioseph, quem & ipsa patrem appellabat Iesu. Nulla unquam fuit uxor quæ reuerentius obediuit suo marito, quàm dei genitrix. Audite cultrices uirginis: quid hic dicent nouæ nuptæ, quæ forma & ætate feroculæ sponsos aspernantur suos? quid matronæ quæ dotem subinde maritis exprobrant, nonnunquam & ædibus eos exigunt, perinde quasi dominæ sint nõ cõiuges? Quid

quæ

quæ totam domum rixis ac iurgijs subuertunt? Maria religiosissime morem gerit & obseruat suũ Ioseph, nec unquam responsat aut præit marito, & uos pudet obsecundare maritis, sine quibus steriles estis & inhonoræ, & quibus uos subdidit simul & domini & apostoli Pauli autoritas? Nec dubium quin quanta obseruantia usa fuit erga coniugem, tanta sedulitate curarit filium. Ducit quotannis ad templũ, ut à teneris annis monstraret imbibendam pietatem. Desideratũ quanta solicitudine quærit? nec conquiescit donec inueniat. Quid Maria timuit filio suo? num quod leuitatis indicium uiderat in illo? Nequaquam, sed uos admonuit matres, ætati teneræ nullã satis magnam curam præstari posse: Fragilis est & in omne uicium sequax. Irreligiose colunt Mariam, quæ suorum liberorum nullam curam gerũt, quasi satis sit genuisse, imò quædam gestationis tedium ac lactandi laborẽ impijs artibus submouẽt. Necꝫ minus peccant quæ malis exemplis inficiunt imbecillem ætatem, quæ balbutientem infantiam docent nequitiã. Maria solicita est de filio Iesu, & tu prostituis ac prodis filium & filiam omni turpitudinis generi? Nimirum hinc est quod multas pœnitet fœcunditatis, quia bene natos male educant, quũ parentum officium peculiarius sit instituisse quàm genuisse. Qui possunt autem bene instituere qui uel foris agunt uel domi turpiter uiuunt, ut ex parentũ con-

uictu filij discant turpiloquium, lasciuiam, temulentiam, rixas, aleam, futilitatem, obtrectationem? Verum ingens campus sese nobis aperit, si uelimus sanctissimæ uirginis eximias uirtutes ad nostram conferre uitam, sed tamen plurimum utilitatis capiemus si nostros mores undique corruptos ad illius exemplum emendare studebimus. Superest ut de fortitudine uirginis nonnihil attingamus. Nam utrũq; magnanimitatis est indicium, nec insolescere rebus prosperis, nec aduersis frangi. Quum inclarescceret tot miraculis adorandum Iesu nomen, nusquam legimus sacrosanctã uirginem ullam laudis portionem sibi uindicasse, imò uix ulli miraculo legimus eam interfuisse, nisi quum in nuptijs aquam uerteret in uinum. Audiebat omnia, tacitaq; conferebat in corde suo, semper ancillæ personam gerens quam fuerat professa. Simili constantia tulit, quum filius unice charus ob pharisæorum insidias crebro periclitaretur, denique cum caperetur, ligaretur, cæderetur, damnaretur, duceretur. Flebant aliæ mulieres & à domino reprehensæ sunt. Quid hic sensit pectus maternum. Sensu non caruit. Doluit dolore filij, sed affectum humanum spiritus robore coercuit, compressit singultus, repressit erumpentes lacrymas, ac cæteris discipulis metu dilapsis, sola cũ Ioanne stabat iuxta crucem filij. Cõtumelioſæ picturæ sunt quæ repræsentãt eam collapsam ac syncopi stupefactam,

exanimatã

exanimatam dolore. Non eiulabat,non lacerabat capillos,non percutiebat pectus,non se clamitabat infelicem. Plus capiebat consolationis ex redemptione generis humani quàm doloris ex morte filij. Et hic ancilla se præbuit ei, cui uisum est hoc modo restituere mortaliũ genus. Et feliciter se genuisse cogitabat,quæ salutis autorem genuerat orbi,publicam felicitatẽ anteponebat dolori priuato. Vbi nũc sunt fœminæ quæ ob pecuniam amissam,aut leuius etiam malum dolore abortiũt? Vbi uiri,qui ob filiolam defunctam querimonijs ac ploratibus insanis miscent omnia? Maria spectatrix acerbissimæ mortis filij fuisse legitur, plorasse aut questa fuisse non legitur. Flebant aliæ mulieres, & præ desiderio sublati domini,quem nõdum spiritualiter amabãt, penè delirabãt:sola Maria pectus inconcussum habens tacet expectans uoluntatem altissimi. Vos fortasse suspicamini rem humilem & infirmam, esse seruam aut ancillã domini, nulla res magis est inuicta. Qui se semel tradidit arbitratui domini,nec aliò refert laudem, si quid obtigit felicitatis, nec aliunde sperat præsidium, si res aduersæ premunt,nullis satanæ technis aut terroribus concuti potest. Sed hisce de rebus fortassis aliàs fusius differẽdi dabit' opportunitas. Nunc diei solennitas postulat, ut ex euangelio quod uobis recitatum est,aliquid ad filij matrisq; gloriam ac nostram salutẽ decerpamus. Quibus iam

adeptum est matrimonium,aut qui studeant adipisci,li benter audiũt hunc honorẽ habitum coniugio, quod Christus cum discipulis & matre,uocatus ad nuptiale conuiuium nõ recusarit ire,nec dedignatus sit illud insigni miraculo cohonestare. Sed ideo dominus uirgo, & uirginis filius semel honorauit matrimoniũ, ne nos illud nostris spurcicijs dehonestaremus. Quin & hodie ubicũq; casto fideliq; cõiugio cohærẽt uir & uxor, concordibus animis, pariq; studio pietatis,non dedignatur interesse cum sua matre dominus Iesus. Nec illa grauatur pro talibus interpellare filium, si quid defuerit quod ad matrimonij lætitiã pertinet, etiãsi res familiaris fuerit angusta, si proles numerosa. Vinum enim illud quod largitur Iesus, edulcat omnia, quantumuis alioqui tristia & acerba. Iam & illud obseruandum, quod ut est pium filios obsequi maternæ uoluntati,ita decet parentum autoritatem cedere functioni euangelicæ,Siquidem hic nihil aliud spectandum est, quàm quid conferat ad dei gloriam & salutem publicam. Quod interpellans mater dicit, Vinum non habent,benignæ cuiusdã sollicitudinis est,quod cedit autoritati filij respondentis in speciem durius,Quid mihi tecum est mulier, prudẽtis cuiusdam modestiæ est. Rursum quod clàm dicit ministris,quodcunq; dixerit uobis facite, admirandæ cuiusdam fiduciæ est erga filium. Nunc quidam parentes abutuntur autoritate in

liberos.

liberos,dum eos cogunt nolẽtes inuolui coniugio, aut ſacerdotum monachorumue inſtituto,ſeu dum retrahunt à prædicatione legis euãgelicæ, dum princeps cogit filium ſuſcipere bellum exitiabile reipub. Princeps enim quoniã publicam gerit perſonam, illæſa pietate reſpondebit patri, Hic mihi pater non eris, ac magis apud me ualebit reipub. ſuſceptæ ratio,quàm priuata patris autoritas.Habet aliquis uxorẽ ac liberos domi, & mater iubet eũ proficiſci Compoſtellã, quia ſic ipſa uouerit:dicat matri,alibi mater eris,hic audiendus eſt deus, qui iubet ut meorum curã agam, propter quos pium eſt etiam parentem relinquere. Atq; hæc quidẽ iuxta ſenſum humiliorem dicta ſunt. At poſteaquàm dominus aquam inſipidæ legis uertit in uinum optimum, æquum eſt ut nos quoq; reconditiorem aliquã ſententiam eruamus. Nihil erat magni puellam uiro iungi matrimonio.Maximum eſt myſterium & ipſis etiam angelicis ſpiritibus adorãdum,ſpiritum,hoc eſt dei filium cum humana carne,naturam diuinam cum humana coniungi.Amplexus enim eſt dei filius carnẽ noſtram,& admirabili glutino factũ eſt,ut idem eſſet deus & homo. Aderat in eodem domino Ieſu ſponſus & ſponſa, aderat in eo conuiuio uterus ille felix, in quo celebratum eſt illud ineffabile coniugium, in quo ueluti ſancti ſpiritus officina formatus eſt ille tergeminus gigas,debellaturus omnẽ ſatanæ tyrannidẽ,Eſt &

aliud

aliud cõiugij mysterium:Filius dei adamauit ecclesiã, quam purificauit sanguine suo,ut sponsam haberet se dignam,nõ habentem maculam neq; rugam. Huius amore procus admirabilis descendit è cœlis, uenit in uterũ uirginis, inde trabea nostræ carnis uelatus proces sit tanquam sponsus è thalamo suo.Hæc nimirum erat illa porta quam uidit Ezechiel, spectans ad ortũ solis,unde sedentibus in tenebris & umbra mortis lux exorta est Iesus Christus, quæ clausa mansit ingredienti principi filio dei, & eundé nobis humano corpore ceu ueste nuptiali conuestitũ,illæso pudoris signaculo produxit.Ex hoc igit' egressus thalamo,duxit sponsam nouam ecclesiam. Duxit indotatam,duxit captiuam,duxit contaminatam, sed inquinatam purificauit sacrosancti sanguinis sui lauacro, captiuã redemit pretiosa morte sua, nudam spiritualibus dotibus affatim locupletauit. Cuiusq; nostrum anima charissimi, Christi sponsa est.Ingenti precio redempti sumus,ne sponte nostra reuoluamur in seruitutẽ satanæ: gratis abluti sumus,ne ueluti sues reuertamur in cœnũ uitiorum.Semel hausimus doctrinam euangelicã, & spiritum Iesu dulcissimum imbibimus,ne tantæ munificẽtiæ ingrati recurramus ad adulterum diabolũ,sed perseuerãtes in fide baptismi, qua renũciauimus satanæ, & omnibus pompis eius,semp meminerimus nos esse despõsos uni uiro, ut uirginẽ castã exhibeamus spõso

Christo

Chriſto, neque ſinamus ſenſus noſtros corrumpi ſerpẽtis aſtutia à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Merito Zelotypus eſt amator Chriſtus, qui tam chare ſibi ſpõſam aſſeruit. Demus operam ut huiuſmodi nuptijs ſpiritualibus ſemper interſimus, per fidem non fictam, & charitatem ſynceram maneamus in amplexibus ſponſi noſtri. Maneamus in uite palmites, maneamus in corpore membra, ut per ſpiritum omnia conglutinantem, quemadmodum ille unum eſt cum patre, ita nos unum ſimus cum illo. Bibat aquam ſuã frigidam & inſipidam ſynagoga, quæ ſpõſum perdidit. Bibit autem quiſquis in ceremonijs, quiſquis in rebus externis, quiſqs in uiribus humanis ponit ſalutis præſidia. Nos in ſponſi noſtri menſa accumbẽtes inebriemur uino ſpirituali doctrinæ, qd' nobis largiter effudit ſponſus, ſaginemur illius ſacroſancto corpore, potione ſacroſancti ſanguinis ſemper iuueneſcamus ſecũdum hominem interiorem, etiam ſi hic exterior homo collabitur. Qui nondum capaces ſunt ſolidi cibi, lacte fouẽdi ſunt, donec eò profecerint, ut hunc potum, ut hunc cibum ſint idonei ſumere. Non prius eſt, inquit Paulus, quod ſpirituale eſt, ſed quod carnale. Iudæi legem carnalem habebãt, quam adhuc mordicus tenẽt miſeri: nobis qui hauſto Chriſti ſpiritu ſpirituales facti ſumus, turpe eſt ſemper infantes lac ſugere, ſed turpius à guſtato uino doctrinæ cœleſtis, ad Iu-

daicam aquam reuerti. Aliorũ est à melioribus ad de/teriora delabi. Christus inuertit ordinem, qui postre/mo loco proposuit optimũ uinum, quo semper ab in/firmis proficiamus ad solidiora. Oremus autem do/minum ut sponsæ suæ donet uberrimam fœcundita/tem, hoc est, ut quàm latissime propagetur semẽ euan/gelicum, & quotidie nascatur uiua soboles implẽs do/mum dei, Nostris enim uitijs factum uidemus, ut ec/clesiæ pomeria sic in angustum contracta sint, & in his ipsis qui nomẽ ecclesiæ profitẽtur tam pauci sint, quos sponsus agnoscat. Alij alios incusamus, idiota princi/pes, populus sacerdotes. Quin illud concorditer agi/mus, ut suam quisque uitam corrigat potius quàm in/sectetur alienam? Sic florebit sponsa Christi, sic hila/rescet nuptiale conuiuium. Clamat Paulus, Viri diligi/te uxores uestras, sicut Christus dilexit ecclesiam: neq; quisquam oderit carnem suam, sed nutriat ac foueat illam, honorem deferens uasculo infirmiori, quemad/modum & Christus tulit ac tolerat sponsam suam, cõ/donans illi peccata, semperq; ad meliora pertrahens. Vicissim uxores iuxta apostoli doctrinã, subditæ sint uiris suis, sicut oportet in domino, sitq; inter eos ea au/toritatis & obsequij temperatura, ut uir infidelis ser/uetur per uxorẽ fidelem, & mulier infidelis sanctifice/tur per uirũ fidelẽ. Sic autẽ optarim omnes frequen/ter conuenire ad laudes uirginis, si dono filij & matris

exemplo

exemplo, ſuam quiſq; domum melior redeat, uitiſs aliquid detrahat, uirtutibus aliquid adiungat. Tali cultu delectatur Maria, tali gaudet filius, cui cū patre & ſpiritu ſancto gloria ſempiterna.

AMEN.

OFFERTORIVM.

QVæ eſt iſta quæ progreditur uelut aurora conſurgēs, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. *Cant. 6*

SECRETA.

IEſu fons bonorum omnium, qui ad ſuggeſtionem uirginis matris aqua uerſa in uinum conuiuas exhilaraſti, da famulis tuis, ut eiuſdē ſuffragiis adiuti, muſto tui ſpiritus ſalubriter inebriemur. Qui uiuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum.

COMMVNIO.

BEatus Mariæ uirginis uterus qui te Ieſu geſtauit iuxta carnem, ac beata ubera quæ te lactauerunt, ſed & omnes illi beati, qui diuini ſermonis cœleſte ſemen ſpiritualiter concipiunt ac retinent, donec gignat in eis uitam æternam.

COLLECTA.

DEus cuius gloria pleni ſunt cœli & terra, eam ubi uis & quando uis ad ſalutem hominū proferēs, ſupplices te rogamus, ut qui tuæ benignitati pro bene

ficijs per filiũ tui matrem, quæ apud Lauretanam eccle
siam religiose colitur, sibi collatis gratias agunt, post
hanc uitã innocenter actã, æternis gaudijs perfrui me
reantur. Per eundẽ dominũ nostrum Iesum Christũ.

ANTONIVS de Vergeyo dei & apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Besonti
nus, uniuersis Christi fidelibus in domi
no salutem. Monet nos cum ipse pietatis
affectus, qui cunctis Christi religionem professis com
muniter debet adesse, tum præcipue munus pastora
le quod gerimus, ut quemadmodum animo discrucia
mur quoties animaduertimus in grege nobis concredi
to pietatis studium refrigescere, ita uehemẽter gaudea
mus quoties cõspicimus synceræ pietatis affectum in
animis hominũ augescere dilatariq; . Atq; in hos qui
student excitãdæ augendæq; pietati hoc sumus fauo
re propensiore, quod audimus his temporibus exoriri
quosdam, qui nescio quo spiritu ducti, conantur diuo
rum ac diuarum gloriam obscurare, negantes sanctos
uita defunctos uotis fideliũ inuocãdos, quũ nihil pos
sint apud deum, negantes illis ullum deberi cultũ, quũ
nulla sint illorum merita. Nos uero Christiani popu
li exemplum tot ætatum serie ueluti per manus nobis
traditum sequentes, tum orthodoxorum longo secu
lorum consensu probatam sententiam libenter ample
ctentes.

ctentes, ſuper omnia uero diuinarum ſcripturarũ au/
toritate nitentes, religioſum ac pium eſſe ducimus, iu/
xta pſalmographi cohortationem laudare dominum
in ſanctis eius, ac iuxta doctrinam Eccleſiaſtici, qui di/
cit: Sapientiam ſanctorum narrent populi, & laudem
eorum nunciet eccleſia, toto pectore fauemus ſancto/
rum gloriæ, ſed præcipue uirginis matris, è cuius ſan/
ctiſſimo corpore Ieſus ſanctorum omnium princeps
& autor in orbem prodire uoluit. Etenim ſi pium eſt
in omnibus rebus conditis atque adeo in culicibus
& araneis glorificare dei bonitatem, potentiam ac ſa/
pientiam: quanto iuſtius eſt idem facere in ſanctis, in
quibus peculiariter expreſſit argumenta ſuæ gloriæ?
Et ſi merito ueneramur uiuos homines, in quibus emi
cat gratia diuina, quum adhuc poſſint in malum de/
flectere, quanto iuſtius eſt, uenerari memoriam iam
cum principe ſuo Chriſto regnantium: & ſi deus hic
multa largitur, interpellatus hominum piorum preci/
bus, qui & ipſi nonnunquam egent deprecatore, quan
to probabilius eſt, nec ſanctos hinc ereptos poſuiſſe
curam fratrum ſuorum, & deum ad illorum interuen/
tum, quos iam regni ſui conſortio dignatus eſt multa
donare nobis? Quemadmodum reges ſæpenumero
quæ per ſe donaturi fuerant, malunt ad huius aut illi/
us amici preces donare, ſi quem uolunt affectibus po
puli commendari. Dominus tot ædidit miracula per

ſanctos ſuos adhuc mortali corpore onuſtos, & incredibile uidet ſi per eoſdē iam gloria & honore cœleſti coronatos ædit miracula? Qui colit diuos, colit Chriſtum in diuis: q laudat ſanctos, laudat Chriſtū in ſanctis: qui imitatur ſanctos, imitatur Chriſtū in ſanctis ſuis: q inuocat ſanctos, inuocat Chriſti auxiliū p ſanctos: qui adorat ſanctos, adorat dei dona in ſanctis. Is enim eſt in omnibus & ſuper omnia, colendus, adorandus, glorificandus, inuocandus & imitandus. Manet deo ſua gloria nulli communicabilis. Verū ut non inficiamur omnem gloriam redundare in patrem & filium & ſpiritum ſanctum, uelut in fontem principalem & inexhauſtum: ita non probamus illorum conatus, qui obſtrepunt his, qui pio affectu colunt & adorant illos quos deus tanto honore dignatur. Nec ideo tollendus eſt diuorum cultus, ſi quidam eos ſuperſtitioſe colunt. Ad hæc ſicut fatemur præcipuum eſſe cultum ſanctorum amore dei, ſi quis illorū uirtutes quibus deo placuerunt imitetur: ita non dubitamus quin deo ſit gratus illorum pius affectus, qui ſanctos quos ſtudent pro uiribus æmulari, eoſdem etiam religioſis honoribus proſequuntur. Rurſus ut fatemur exempla pietatis rectiſſime peti à Chriſto, in quo perfectiſſima ſunt omnia: ita non eſt fraternæ charitatis, inſectari pios affectus populi Chriſtum in ſanctis admirantis & imitantis, Non aliter quàm ſolem admiramur in

amne

amne relucentem,& imaginem è ſpeculo redditam ef/
fingimus. Alioqui nõ ſatis pie ſcripſiſſet Paulus Apo/
ſtolus: Imitatores mei eſtote ſicut & ego Ieſu Chriſti.
Neque dubitandum eſt quin inter omnes ſancto/
rum ordines præcipuus bonos debeatur uirgini ma/
tri. Ad cuius ſolum nomen mentes piæ ſolatium ali/
quod ſentiunt. Non eſt noſtrum diſcutere quomodo
deus in his aut illis locis per ſanctos ſuos oſtendat uir
tutem & gloriam ſuã. Noſtræ pietatis eſt in omnibus
adorare dei maieſtatem, ac pro beneficijs quomodo/
cunque collatis gratias agere. His alijsq; rationibs ad/
ducti libenter approbauimus miſſam ſiue Liturgiam
in laudem eiuſdem uirginis apud Lauretum celebris
magnisq; miraculorum prodigijs inclytæ, quam nu/
per compoſuit uir de ſtudijs ac pietate benemeritus,
Deſideriũs Eraſmus Roterodamus. Volumus igitur
& aſſentimur ut quemadmodum quorundã pijs affe
ctibus interpellati ſumus, eadem miſſa ſiue Liturgia
diebus his quibus ſolet ſanctiſſimæ uirginis memo/
ria celebrari, in noſtræ diœceſeos eccleſijs in honorem
prædictæ uirginis legatur aut decantetur. Non quod
alia ſit quæ apud Lauretum colitur, quàm quæ toto
terrarum orbe ubicunque Chriſti nomen ſanctum
eſt, pijs omnium ſtudijs celebratur & inuocatur, Sed
quod deus pro ſua benignitate diuerſis locis per ge/
nitricem ſuam, profert ſuam in homines munificen/
tiam

tiam & misericordiam, quo illius memoriam nobis reddat modis omnibus sacrosanctam, & quo spiritualibus præmijs magis prouocemus hominum studia ad cultum sanctissimæ uirginis, omnibus qui dictis diebus hanc missam religioso affectu celebrauerint omnipotentis dei misericordia eiusque sanctissimæ matris ac beatorum Ioannis apostoli & Stephani protomartyris suffragijs confisi, quadraginta dies de iniunctis ipsis pœnitentijs, misericorditer in domino relaxamus. Datum in oppido nostro Gyaco sub sigillo paruo cameræ nostræ, die uigesimo mensis Aprilis. Anno domini 1. 5. 24.

A. de Vergeyo

Per dictum dominum reuerendissimum.

ILLVSTRISS. PRINCIPI GVILHELMO
duci Cliuensi, Iuliacensi, Montensi, Comiti Marchiæ, & in Rauenspurg &c. Erasmus Rot. S. D.

o s in opacis saltibus clarissime princeps, nos in uetustis bibliothecis uenari solemus, in quibus nuper nacti sumus duos libellos, titulo quidem diuum Ambrosium autorem præferentes, sed ipsa phrasi, Ambrosianæ dictionis æmulum, uerum ita feliciter æmulum, ut dotibus aliquot præcurrat. Nam & explicat dilucidius, & minus à re digreditur, nec apte pariter ac dense citandis scripturarum testimonijs, nec pietate sententiarū, nec allusionum gratia, nec aculeorum acrimonia, Ambrosio tot suspiciendo nominibus inferior, mea quidē sententia. Huius arbitror esse libellos duos, quos habemus Ambrosij titulo de uocatione gentium. O nos felices, si theologi, quorum bona pars nūc sophisticis argutationibus insenescit, huiusmodi progymnasmatis, in adytis arcanarum litterarū ad Ecclesiasticas conciones exercerentur. Sic enim nemo loqui potest, nisi qui scripturas diuinas omnes, penitus excusserit, imbiberit, concoxerit, tantoq; usu contractarit, ut in naturam abisse uideant. Habes ornatissime Princeps duos heroas, eximiæ pietatis exemplа, quorum alterum deus in graue crimen prolabi passus est, ut in eo cun-

ctis quidẽ hominibus,ſed præcipue principibus oſten deret pœnitentiæ remedium:alterum facultatibus uni uerſis exutum,liberis ac nepotibus orbatum,diris etiã corporis ulceribus excruciari paſſus eſt,ut in hoc æde/ ret omnibus inuictæ tolerãtiæ formam. Grauior erat Dauidis calamitas,quàm Iobi.Hic enim externis tan tum ſpoliatus eſt,incolumi poſſeſſione omnium opti ma,bona mente.At is qui ab amore numinis excidit, plus iacturæ fecit quàm ſi mundum uniuerſum unà cum uita corporis amitteret.Proinde Dauid tam mi/ ſere,tam ſine fine plorans,nos admonet, quàm adui/ gilandum ſit,ne quid huius poſſeſſionis nobis pereat. Iobus gratias agens,docet hominẽ,nec in ſumma re/ rum proſperitate tollendos animos,nec in quamlibet grauibus fortunæ procellis exanimari oportere,mo/ do hoc ſit incolume,quod unum beat hominẽ,nec no bis niſi noſtro uitio poteſt eripi.Confido futurum, ut Chriſto tuam eximiam indolem moderante, nec in Dauidis lachrymas,nec in Iobi calamitatem incidas: expedit tamen ſapiẽtis animum ad omnes caſus qui poſſunt homini accidere,præmunitum atq; inſtructũ eſſe. Bene uale.Datum apud Friburgum Briſgoiæ. Calend.Iulijs,Anno M. D. XXIX

D. AMBROSII LIBER DE APOLOGIA DAVID.

ORTASSE plerosq; psalmi titulus offẽderit, quẽ audistis legi: quod uenit ad Dauid Nathan propheta, cum intrauit ad Bethsabee: simulq; etiam non mediocrem scrupulum mouere potuit imperitis, euangelij lectio quæ decursa est, in quo aduertistis adulteram Christo oblatam, eandemq; sine damnatione dimissam. Nam profecto si quis ea auribus accipiat ociosis, incentiuum erroris incurrit, cum legerit sancti uiri adulteriũ, & adulteræ absolutionẽ: humano propemodum diuinoq; lapsus exemplo, quod & homo putauerit adulterium esse faciẽdum, & deus censuerit adulterium non esse damnandum. Lubrica igitur ad lapsum, uia uel ueniæ uel concupiscentiæ. Accedit illud, quod ipsas faces iuuenilis lasciuiæ uidetur accendere: quia adulterium suum non erubuerit, non celauerit, sed quadam diuini carminis prædicatione uulgarit. Quid ergo tam impudens, tam improuidus sanctus Dauid fuit, ut ipse suum cantaret opprobrium: maxime cum ipse in alio quoq;, qui hodie decursus est psalmus, dixerit: Vsq;quo peccatores domine, usquequo peccatores gloriabũtur? Alios de peccato gloriari pro

hibet,& ipſe etiam ſacrato carmine gloriatur? Quo/
modo iſta diſtinguimus? Eſto tamen, Dauid petulan
ter errauit. Nunquid & Chriſtus errauit, ut putemus
eum non rectum habuiſſe iudicium? Bene ergo quaſi
ad eos Dauid hodie prophetauit dicens: Intelligite in
ſipientes,& ſtulti aliquando ſapite. Quomodo enim
Chriſtus potuit errare? Fas nō eſt, ut hoc ueniat in ſen
ſus noſtros. Qui plantauit aurem, non audit? aut qui
finxit oculum, non cōſyderat? Qui corripit gentes, nō
arguet, qui docet hominem ſcientiam? Chriſtus ergo
interrogare culpam,& accuſationē iuſtam audire ne/
ſciuit? Chriſtus petulantiam potuit approbare? Chri
ſtus qui corripit gentes, arguendam adulteram non
putauit? Chriſtus qui nouit uniuſcuiuſq; cordis inter
na,& ſcientiam docet legis: aut falli potuit errato, aut
contra legis ſeriem iudicare? Et quomodo ipſe dixit:
Non ueni legem ſoluere, ſed adimplere? Chriſtus qui
condemnat occulta, potuit diſſimulare uulgata? Chri
ſtus qui fecit tēpora, poteſt neſcire tempora? Qui no/
uit cogitationes hominum uanas, non nouit etiam cri
minoſas? Et ideo ſatis illis reſponſum ſit, qui cum crea
torem negare non poſſint, negant tamen potentiam
creatoris: qui cum ſapientiam fateantur, inſipientiam
aſſerunt obiiciendo,& imprudentiam futurorum. De
quo poſſemus latius dicere, ſed alius propoſitus no/
bis uidetur eſſe reatus: & licet diuerſarum ſeries decur/
ſa ſit

ſa ſit lectionum, in eandem tamen aſſertionem profi-
ciunt, & maxime pſalmi titulus & euãgelica lectio. Sed
quamuis conueniat una aſſertio, tamen iuxta ordinẽ
lectionum ſit ordo tractatus: & ideo de titulo pſalmi
prius tractãdum uidetur. Propoſita eſt hiſtoria, quæ
adulteriũ habeat & homicidiũ. Nam ita repperimus
in libro ſcriptum eſſe regnorum: quia Dauid rex, cum
deambularet in domo ſua, lauantem ſe Vri uidit uxo
rem, amauitq; illico, & iuſſit accerſiri. Deinde uirum
eius innocẽtem (ut ſcriptura inducit) bellatoribus obꝛ
ci iuſſit acerrimis: ut ui opprimeretur hoſtili. Hæc fa-
cta ſunt: nec negantur. Quomodo igitur defendũtur?
Bene admonet euangelica lectio, etiam cum peccatũ
appareat ſubreptum, tamen debere eſſe iudicis iudi-
cium: ac memorem unumquẽq; eſſe oportere ſuæ con
ditionis & meriti. Sæpe enim etiam & in iudicando
maius iudicium eſt, quàm peccati ipſius de quo fuerit
iudicatum. Nam ſi præſcriptum eſt à quibuſdam ſa-
pientibus mũdi, ut in iudicãdo caueatur ne maior pœ
na quàm culpa ſit, idq; ſeruatur: quanto magis id ſer-
uandũ uidetur, ut unuſquiſq; de alio iudicaturus, de
ſeipſo prius iudicet, nec minora in alio errata conde-
mnet, cum ipſe grauiora cõmiſerit? Quis es igitur tu,
qui Dauid ſanctum uirum iudicas? Gentili dico, Iu-
dæo dico, Chriſtiano dico: & ideo tripertito mihi di-
ſtinguendus eſſe uidetur tractatus, unus aduerſus

Gentiles,alius aduerſus Iudæos,tertius apud Chriſtianos.Primus ergo aduerſus Gentiles mihi ſermo eſt, qui plerunque obiectare conſuerunt: Ecce quomodo Chriſtiani innocentiam ſequuntur, fidem præferunt, religionem uenerantur, caſtitatem docent, quorum principes & adulteria feciſſe produntur.Ipſe Dauid de cuius genere (ut dicitis, inquit) naſci Chriſtus ſe elegit, ipſe & homicidia ſua & adulteria decantauit. Et quales poſſunt eſſe diſcipuli, quorum tales magiſtri ſunt? Quid igitur? Negamus factum an repudiamus magiſtrum? Nihil horum. Sed qui ſpeciem obĳcit,communitatem conſyderet. Speties facti eſt: communitas naturæ. Nihil ergo mirum,ſi intra generalitatem ſpecies eſt.Agnoſco enim hominem fuiſſe Dauid,& nihil mirum:agnoſco cõmune ut homo peccet. Nec enim noua infirmitas conditionis humanæ,magiſq́ mirum uidetur ſi homo peccato careat,quàm ſi peccatum iniquitas fecit. Igitur peccat ſanctus Dauid.Nullo ambiguo uos tenebo:fecit adulterium,commentus eſt homicidium: & commentus eſt, & peregit. Peccauit, quod ſolent reges:ſed pœnitentiam geſſit & fleuit,quod non ſolent reges. Rogauit ueniam,non arrogans poteſtatis:ſed infirmitatis ſuæ conſcius, proſtratus in terram cilicio ſe operuit,oblitus imperĳ, & memor culpæ.Quem mihi tu huiuſcemodi reperias uirum, qui

in

in poteſtate conſtitutus non magis peccata ſua dili/
gat, culpam prædicet, crimina defendat: qui putet
ſibi quod non decet non licere, qui ſe legibus obſtrin/
gat ſuis: & quod per iuſticiam non licet, nec per po/
teſtatem licere cognoſcat? Non enim ſoluet pote/
ſtas iuſticiam: ſed iuſticia poteſtatem. Nec legibus
rex ſolutus eſt: ſed ſi peccat leges ſuo ſoluet exem/
plo. An fieri poteſt, ut qui de alijs iudicat, ſuo ipſe
ſit liber iudicio: & in ſe ſuſcipiat, in quo alios aſtrin/
git? Bonus ergo Dauid: & multo admirabilior qui
poteſtatem uicit, quàm qui amorem. Caſtitas enim
corpori nonnunquam defertur, frequenter errori: po/
teſtas deo ſubditur, & facilius reperias qui ſe in amo/
re cohibeat, quàm in poteſtate moderetur. Non ergo
ignoſcis quod minus eſt, in quo maiora miraris?
Lubrica in omnibus hominibus, & prona natura pec
candi: lubrica etiam in bonis moribus licentia pote/
ſtatis, & oblatio facultatis. Non enim diſtat ira re/
gis ab ira leonis: ſed qui ſtimulat illum & admiſce/
tur, peccat in animam ſuam. Caue ergo ne ſtimu/
let aliquis poteſtatem, ne caſſibus anima irretita, cor/
poris uitium non poſſit exuere. Non ergo mirum, ſi
etiã Dauid ſpecie lapſus eſt poteſtatis, ſed multo am
plius admirandũ, quod fidei cõtemplatione reuocat.
Videtis igitur quod poteſtas hæc ſecularis frequenter

nihil

nihil prosit,& plerũq; obsit.Sæpe enim culpæ exitus, in autoritatem est potestatis.Noli igitur tu, quicunq; es rex,de potentia & facultate præsumere. Cor enim regis in manu domini.Noli tibi de populorum subiectione blandiri,quia non saluabitur rex per multitudinem uirtutis suæ:nec gigas saluus erit in multitudine uirtutis suæ.Non enim in altis tabernaculorum fastigijs preciosoq; tectorũ culmine:sed super timentibus eum beneplacitum est domino, & in his qui sperant super misericordia eius.Lubricam igitur uidemus aduitia potestatem,nec tamen semper inflexam dixerim:quoniam regali potestate sublimem & Dauid, legimus cultus auxisse diuinos,& Salomonem templum deo consecrasse. Nunc illud quod perstrinximus asseramus,facultatem imperandi incentiuum esse peccandi: & secundum historiæ seriem prosequamur.Non adulterasset Dauid alieni ius thori, & fœderati pacta coniugij, nisi nudam & lauantem mulierem de domus suæ interioribus uidisset. Et ideo bene scriptum est:Non intendas in mulieris speciem:& non concupiscas mulierem. Ait alibi: Ad omnes inreuerentes oculos caue:nihil de continentia tua & uirtute præsumas. Etenim fornicatio mulieris in extollentia oculorum,& in palpebris illius agnoscetur:& ideo causam primo peccati fuge: Nemo enim diu fortis est.Neq; fragili tantum,sed omni homini dicitur,

citur, non te uincat concupiſcentia formæ: ſi non uis uinci, nõ cõgrediare peccatis, nec de te uitia coronent: neq; capiaris oculis, neq; abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier uidet ad preciũ, ſed ad uitiũ appetibilis eſt: quia mulier uirorum precioſas animas capit. Difficile eſt itaq;, ut quiſquam libidinis irretitus illecebris immunis euadat. Nec mea tantum hoc ſententia difficile iudicatur: ſed etiam ſancti Salomonis prouerbijs impoſſibile iudicatum eſt, qui ſuo ductus exemplo ait: Ligauit quis ignem in ſinu, ueſtimenta autem non cõburet? uel ambulauit quis ſuper carbones ignis, pedes autem non comburet? Caue ergo & tu, ne intra ſinum tuæ mentis ignem libidinis & amorem accendas: ne corporeum ueſtimentum illo animi conſumatur incendio, ac perpetuitatem reſurrectionis amittas: uel certe ueſtigium tuæ mentis uratur, ſi per libidinum faces tibi putaueris eſſe gradiendũ. Nam qui uritur corde: comburitur corpore. O mĩbus igitur modis, laſciuæ mulieris uitandus occurſus eſt. Et ideo prudentiam diſcipulam adquire tibi, inquit, ut te cuſtodiat ab uxore aliena & fornicaria: ne te laqueis labiorum ſuorum teneat obligatum, & criniculis erroris inuoluat. Itaque unde debeas cauere meretricem, propheta te docuit: ut à feneſtra caueas eius ingreſſus. A feneſtra enim domus ſuæ intrat. Feneſtra eius, eſt oculus: & ideo ad omnes inreueren

tes oculos caue,ne per feneſtram introëat amor, libi/
do penetret. Etenim mulier fornicaria inlicit uiſu a/
matorem:& niſi petulãtem obtutum mentis animiq̃
compeſcas,mors ingreditur per feneſtram. Non eſt
deſidioſa petulantia meretricis, non ocioſa laſciuia:
quæ facit iuuenum uolare corda, ut propriæ men/
tis nequeant tenere conſtantiam:& huc atque illuc fer
uido amore rapiantur. Caue ergo huiuſcemodi mu/
lierem quæ pedibus non quieſcit, foris errat, inſidia/
tur per angulos, oculis ligat, uerbis inlicit, inſtitis
lectum intexit ſuum, & tapetis ab Ægypto ſtratis.
Neque enim de cogitatione diuina, ſed de ſecula/
ri illecebra aſſumit ornatum:quæ merito uirum ſuum
dicit abſentem,quoniam non poteſt adultera omnis
Chriſtum habere præſentem. Vides igitur quantis re
tibus etiam ſanctorum corda capiantur:& ideo ne mi
reris ſi etiam ſanctus Dauid captus eſt, uir quidem
magnus, & qui allophylum immanem corpore, ar/
mis quoq; bellicis inhorrentem,fide uicerit:ſed utinã
ſe ipſe uiciſſet,utinam ſicut illum aduerſarium ſtrauit,
ſic potuiſſet interiorem aduerſarium ſuum ſternere ac
ſuperare. Grauior eſt pugna eius qui intus:quàm illi/
us qui foris dimicat.Sed quid de ſolo Dauid loquor?
Accerſamus etiam alios ad tractatum huiuſmodi,ne
imbecillitatem Dauid magis, unius ſcilicet hominis,
putemus,quàm corporeæ conditionis fuiſſe infirmita
tem.

rem. Sampſon ualidus & fortis, leonẽ ſuffocauit: ſed amorem ſuum ſuffocare nõ potuit. Vincula ſoluit hoſtium: ſed ſuarum non ſoluit nexus cupiditatum. Meſſes incendit alienas: & unius ipſe mulieris accẽſus igniculo, meſſem ſuæ uirtutis amiſit. Solomon templum deo condidit: ſed utinam corporis ſui templum ipſe ſeruaſſet. Verũ ad ipſum à quo diſceſſit reuertat᷑ oratio. Triũphauit Dauid in decẽ milibus, ſed errauit in uiginti & amplius milibus: & quia errauit hominẽ ſe eſſe cognouit, cõfeſſus eſt culpã: ueniã deprecatus eſt, dicens ad dñm: Dñe ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. Miſerere mei dñe, quoniam infirmus ſum. Si Dauid infirmus, tu fortis es? Si Solomon lapſus eſt, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes primus eſſe ſanctorum? Ergo ſi errauerunt iuſti, errauerunt tanquam homines: ſed peccatum ſuum tanquam iuſti agnouerunt. Si iuſti pœnæ atrocioris exceperunt ſententiam, tu quemadmodum tibi ſpem impunitatis proponis: cum ſcriptura dicat: Si iuſtus uix ſaluus fit, peccator & impius ubi parebit? Aduertitis ergo filij, quàm plerunque etiam bonum propoſitum ſubruat cauſa mœchandi: & ideo cauſas ipſas primo fugere & uitare debetis. Non uis amore capi, noli in ſpeciem mulieris intendere: quia oculi tui cum uiderint alienam, os tuum loquitur peruerſa, & iaces tanquam in

corde maris, & ſicut gubernator in magno turbine. Magnam enim faciũt tempeſtatem multitudines cupiditatum: quæ uelut in quodam freto corporis nauigantem hinc atq; inde perturbant, ut gubernator ſui, animus eſſe non poſſit, die ac nocte caliginem amoris ignorans. Oculis igitur excæcatur libido: ſed ebrietate ſuccenditur. Omnis enim ebrioſus & fornicator, pauper fiet. Nec tibi de potentia blandiaris potandi. Noë ebriatus eſt, & qui nõ inebriatus eſt diluuio, inebriatus eſt uino. Sed ille naturam uini ignorabat (nõ em̃ ante potauerat) tu in illo didiciſti, cauere quid debeas. Loth per ſomnum deceptus eſt: & tu ſi nõ uis decipi, ſomnum mentis tuæ diſcute, ne ebrio illudat filius, aut filia dormienti. Non pietas illic, ſed ebrietas ridetur: nec pater illic, ſed dormiens circũſcribitur. Vis non aduri? Noli ad ignem accedere. Vis non præcipitari? Nutantia fuge, prærupta euita, caue caduca, declina labantia. Vides igitur in illis qui iuſti eſſe meruerunt, non alteram fuiſſe naturam, ſed alteram diſciplinam. Poſt primi hominis lapſum, iuſtamq; ſententiam, cum in uno carnis damnatus ſit appetitus, uitium traxit conditio, infecit culpa naturam, ſed naturæ ipſius uitium, fides temperauit, & deuotionis intentio mitigauit offenſam. Conuertimini igitur ad dominum gentes, ſcitote quoniam dominus eſt deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Scitote quoniam caro ſumus

& pul

& puluis.Relinquamus ergo quæ fecimus: & ipſum noſtri ueneremur autorẽ,qui uitã dedit,peccata donauit:qui ſolus poteſt dicere,egoſum,ego ſum qui deleo iniquitates ueſtras, & memor nó ero.Magnus planè & miſericors deus: qui beneficiũ cõfert, nec beneficij munus exprobrat . Miramini quod Dauid regẽ fecit, uictoremq; multarũ gẽtium? Sic ſeruulos ſuos cõſueuit euehere.Non auarus munerum,nec beneficij parcus,nec gratiæ anguſtus & frugi:ſed opulentæ largitatis,quos redemit à peccato,auget in præmio.Hæc aduerſum Gentiles.Sed quoniam tripertitam diuiſionẽ tractatus huius polliciti ſumus,unam aduerſus Gentiles,aliam aduerſus Iudæos, tertiam apud eccleſiam: nunc contra Iudæos uidetur eſſe tractandum. Aduerſus Iudæos quid igitur nobis propoſitum ſit recenſeamus. Titulus,inquit,pſalmi,Dauid intellectus,cum uenit ad eũ Nathan propheta:cum intrauit ad Bethſabee. Nempe hiſtoria hæc & adulterum Dauid inducit & homicidam,& hunc uos Iudæi dicitis eſſe dei filium:ſed deus uirtutum eſt,non criminum. Et de hoc dicit deus pater: Thronus eius ſicut dies cœli. qui dolum fecerit,peccata nõ uicerit? & quomodo ſcriptum eſt:Nemo ſine peccato,niſi unus deus? Si igitur non poteſt non eſſe deus qui dei filius eſt, utiq; dei filius, arbiter iuſticiæ,non eſt obnoxius culpæ. Qua autem opinione uel Dauid dei filiũ iudicatis,uel Solomonẽ

putatis? An quia scriptū est, Deus iudiciū tuū regi da, & iusticiā tuā filio regis? & quia titulus psalmi, in Solomonē psalmū septuagesimū dicit esse compositū? Sed quē Solomonē dicat aduertite. Solomon em̄ pacificus est: hoc habet interpretatio. Psalmus in eū dicitur, quē uere scimus esse pacis autorē. Quomodo aūt Solomō pacificus? Nō hoc Ioab sanguis ostēdit, quē inter altaria tēpli iussit occidi: nō Adoniæ pœna, quē affectatæ affinitatis regiæ reū pertulit, nec matris obsecratiōe ab indignatione reuocatus. Quomodo aūt in Solomonē Dauid filiū existimatis cōuenire quod scriptū est: quia ꝑmanebit cū sole & ante lunā in secula seculorū, cū ille breuis uitæ adeptus usuram, angustis terminis uiuendi spaciū trāsegerit? Quō autē de eo dicitur: dn̄abitur à mari usq; ad mare, cū ille intra Syriā cōstitutus, hoc est intra unius regionis prouinciā, circū scriptos fines habuerit imperij: solus aūt Christus usq; in orbis terminos suū ꝑpagarit imperiū? Solus enim iste est, de quo bene psalmi series ꝓphetauit, quia reges Arabū & Saba dona adducēt, & adorabūt eum om̄es reges terræ: omnes gentes seruiēt ei. Hūc em̄ nouimus gentibus uniuersis & nationibus imperantē: in circūscripto imperio, intermina potestate. Nō ergo Solomō dei filius. Sed qua ratiōe eū dei filiū putauistis? An quia sapiēs fuit? Sed hic sapientiā postulauit: quā quia nō habebat, orauit ut acciperet, accepit. Christus

ipse

ipſe ſapiẽtia eſt,naturaliter in uniuerſum habẽs,quod in rebus humanis Solomõ accepit per gratiã. Deniq; quod accipitur ex tẽpore,in tpe poſſidetur. Solomon eñ ſapientiã nec principio ſui habuit:nec in fine poſſedit.Neq; eñ habere ſe credidit quod popoſcit:& poſtea auerſus à dei cultu,nõ quaſi ſapiẽs,ſed quaſi inſipiens lapſus eſt,ut offẽderet.Offendit intantũ,ut etiã quod meruerat amitteret.Cur igit hunc dei filiũ credidiſtis? An quia templũ deo condidit? Sed hinc dñm & deũ non eſſe credere debuiſtis,quia ſcriptũ eſt:Niſi dñs ædificauerit ſibi domũ,in uanũ laborauerũt qui ædificant eam.In uanũ laborauit,qui ædificauit id tẽplũ,quod ſubiectus ignis exuſſit.An quia Dauid patri ipſius dictũ eſt:Non tu ædificabis mihi domũ:ſed cũ tu dormieris,excitabo ſemen tuũ poſt te? Verũ ibi quoq; templũ,nõ corporale non materiale ꝓmittitur (neq; eñ deus in manufactis habitat)ſed templũ eſt ſancta eccleſia,quæ utiq; nõ humana ſed cœleſti uirtute fundatur.Nam ſi præſtãtioris licet, ſed humanæ tamen uirtutis opa miremur,multos huiuſcemodi repe riemus,quos cũ Dauid & Solomone cõparare poſſimus.Et ideo ubi operis æqualitas eſt,nõ eſt excellẽtia poteſtatis.Nec plures poſſumus dicere dei filios, cum unũ dei filiũ legerimus:ſed nõ ex beneficijs ſuis quæ in parentes noſtros cõtulit,facienda eſt iniuria dei filio. Multi eñ præclari uiri:ſed per unũ Ieſum Naue ſtetit,in-

tit,inquit,ſol contra Gabaon. Videtis eum ultra Dauid regis proceſſiſſe uirtutem. Terrenis enim Dauid, non ſyderibus imperauit. Videtis etiam ſolem miniſtrum eſſe non dominum:qui etiam uoci ſeruierit humanæ.Stetit tamen:quia in Ieſu & typũ futuri agnoſcebat,& nomen.Neq; enim in ſua uirtute, Ieſu Naue,ſed in Chriſti myſterio cœleſtibus luminibus imperabat.Deſignabatur enim dei filium in hoc ſeculũ eſſe uenturũ:qui mundani luminis concidentis & iam uergentis in tenebras, uirtute diuina differret occaſum:lucẽ redderet,inueheret charitatẽ. Enoch quoq; raptus eſt ad cœlum:ſed tamen ille raptus eſt, hic, regreſſus. Raptus eſt ille, ne malitia mutaret cor eius: ipſam malitiam ſeculi hic aboleuit . Helias curru atque equis aſcendit ad cœlum,Chriſtus autem deſcendit è cœlo: nec curru & equis, ut ille conſcendit: quia ille aliter nequiuit, hic autem, propria uirtute remeauit.Heliſeus in Iordanen leproſum lauare præcepit, ut ab omni contagione mundaretur:hic, in Iordanen totum diluit mundum.Moſes ipſe cui crediti ſunt populi Iudæorum , aquam diuiſit:& ille quidem diuiſit elementa,quia non diuiſit potentiam trinitatis.Separauit moles aquarum:quia patrem non ſeparauit à filio. Videtis quanti uiri:& qualium documenta operũ dereliquerint.Quemadmodũ igitur quos pares Dauid regi uel Solomoni uirtute cognoſcitis,conditione

impa

impares iudicatis:ut Solomonẽ Dauid filium putetis ad dei ſedere dexteram,præſertim cum ipſe Dauid euidenter de quo dictũ eſſet expreſſerit? Neqꝫ enim de filio ſuo diceret:Dixit dñs dño meo,ſede ad dexteram meã.Quomodo enim filiũ ſuum dñm nominaret? Lex prohibet,repugnat religio,abhorret fides: ut ad dexteram dei omnipotentis mortalem hominem loces. Alius eſt ille qui ſedet ad dexteram, qui corpus ſuſcepit,non qui cœpit à corpore:qui ante luciferum genitus eſt,id eſt ante omnium luminum claritatem:quoniam ipſe creauit uariorum luminum dignitates.Nam Solomon utiqꝫ poſt luciferum eſt, Solomon ſacerdos non fuit:& ideo dici ei à domino omnipotente non potuit:Ex utero ante luciferum genui te? Dici ei non potuit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech:maxime cũ illo tempore quo Solomon fuit,ſecundum ordinem Aaron, nõ ſecundum ordinẽ Melchiſedech,fuerint ſacerdotes. Adhuc enim ſacerdotes,ſanguinem hircorum atqꝫ taurorum pro peccatis plebis & erroribus, offerebant. Poſtea uero cꝫ Chriſtus aduenit,qui ſemetipſum pro ſalute obtulit mundi(ut quos taurorum ſanguis lauare non poterat,Chriſti ſanguis abluere t)ſemetipſos cœperunt offerre pro hoſtĩs ſacerdotes:itaqꝫ una quæſtione dominus noſter Ieſus Chriſtus omnium hæ-

reticorum ora sepsit, sacrilegia concluſit. Non ſolum enim Iudæos, ſed etiam Photinianos & Arianos, & Sabellianos hac redarguit quæſtione: & ideo nobis (quoniã Iudæos defeciſſe iam cernimus, & illam execrabilem perfidiam imminutam) iam de Arianis qui non multum à Iudæis differunt, Photinianisq; & Sabellianis, aliqua in iſtius quæſtionis tractatu perſtringenda ſunt. Taceat ergo Photinus, qui Chriſtum Dauid filium, non dei dicit: & taceat, damnatus uoce cœleſti. Quomodo enim dicit Chriſtum filium Dauid eſſe, cum ipſe Dauid dixerit in libro pſalmorum: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum? Si Dauid, inquit, dominum illum uocat, quomodo filius eſt? Non ergo Dauid filius, ſed dei filius Chriſtus. Taceat etiam Sabellianus, cum leget dominum domino dixiſſe. Intelligat non eundem & ipſum eſſe, cui dicit, & cui dicitur. Nec enim ſibi pater dixit: Sede à dextris meis, nec ſibi dixit, Ponam inimicos tuos: & aliquando intelligant omnes, filium eſſe qui à dextris ſedet: & hanc diſtinctionem inter patrẽ filiumq; cuſtodiant, ut ſit diſtinctio patris & filij: quod alius pater, alius filius: quia una in ſede, una maieſtate potiuntur. & ſedent, non pro diſcerniculo dignitatis, nec pro ordine poteſtatis, ſed p copula charitatis: in quo

unam

unam patris & filij intelligant potestatem:in quo & Arius conticescat,qui contraria Sabellio erroris urget uestigia. Audiat dominum domino dicere,audiat ad dexteram patris filium sedere: & desinat de sermone atq; ordine hominum diuinitati facere quæstionem. Nec argumentetur hic,quia pater dicit, sede: legimus enim & alibi,etiam sine patris dicto,sedere filium, sicut scriptum est: Et sedet ad dexteram dei. Et alibi. Amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram dei. Ipse est enim cui dicitur, sede. Qui filius hominis nominatur, audit quasi homo: sedet, quasi dei filius. Quid hac potest dici præcellentius potestate,quæ etiam carnẽ hominis ad dexteram dei collocauit? & infirmũ illud conditionis humanæ(postq̃ tamen uerbum caro factum est)diuinitati copulauit æternæ? Sed quid hoc est? Posteaquam Photinus obmutuit,Arius conticuit,Sabellius uocem perdidit:adhuc hæreses tamen diuersa contra ecclesiam exercentes ora conspicio:nam ecce Manicheus & Valentinianus,& omnis diriuatio Manicheorum meo telo obnititur quo alij sunt perempti: fidei præiudicium fidei testificatione molitur. Ait enim detestanda hæresis. Ecce negauit Christus filium se esse Dauid: & ideo, inquit, credendum est quod non susceperit carnem. Quibus apertissime, in ipso principio euangelij, scriptura respondet, cum dicit: Liber ge-

nerationis Iesu Christi filij Dauid. Cur igitur aut ali/
bi Dauid filius dicitur, aut alibi Dauid filius negatur:
nisi ut intelligas aliud esse, secundum substantiam di/
uinam esse filium: aliud secundum carnis susceptio/
nem? Nam secundum substãtiam diuinam, dei filius
est: secundum carnem, filius Dauid. Itaq; ubi genera/
tio secundum carnem describitur saluatoris: Dauid fi
lius nominatur. Vbi uero plenitudo confessionis exi/
gitur (cum designatur generatio saluatoris) non uult
se Dauid filium, sed dei nominari. Designatam enim
maiestatis eius naturã, interpretatur tractatus apud
Christianos. Sed iam redargutis scæuorum interpre/
tationibus, ad ecclesiam sermo uertendus est. Verum
quod sæpe titulum quinquagesimi psalmi repetimus,
non præsumptionis sed infirmitatis exemplum est.
Vno enim die, uel per angustias ingenij, uel per fra/
gilitatem uocis, omnem seriem non possum explere
tractatus. Et ideo quoniam priore die, aduersus Iu/
dæos noster sermo directus est, quos quidem eo us/
que documenta fidei subegerunt, ut Christus in cœ/
lesti solio collocaretur: quod utiq; in hominem non
potest conuenire. Neque enim alium nisi dei filium
ad dexteram dei sedere, credibile est, Non alius utiq;
nobis sedere ad dexteram patris nisi dei filius (remo/
tis omnibus ambiguis) æstimandus est. Rursus quo/

niam

niam ſcriptura habet:Ex fructu uentris tui ponam ſuper ſedem meam, idem utique dei filius carnem ex Maria ſuſcepiſſe credendus eſt,in qua prophetici fructus eſt uentris:ut uere ſucceſſionem originis recognoſcas,illumq́ dei filium (factum poſtea filium hominis,per ſuſceptionem ſcilicet carnis) in patris throno cœleſti ſedere non dubites. Neque enim Chriſtus ſedem aliquam regalem, hoc habuit in ſeculo:ut putes aliam Dauid ſimilem eſſe promiſſam, cum ipſe maxime dixerit dominus:Regnum meum non eſt de hoc mundo. Concluſi itaque undique, eò perfidiæ ſuæ temptamẽta deriuant,ut incredibile eſſe aſſerant, quod deus ſuſceperit carnem. Qua ratione autem nõ potuerit ſuſcipere,explicare non poſſunt. Quæro eñ, utrum impoſſibilitatis an iniuriæ cauſa exiſtiment, carnem à deo ſuſcipi nequiuiſſe. Si impoſſibilitatis, aliquid ergo impoſſibile deo. Nihil uero eſt quod facere uoluerit & facere nequiuerit. Supereſt ergo ut aut uoluiſſe aut noluiſſe doceatur. Quod autem maius indicium uoluntatis, quàm quod ipſe dixit: Palam apparui non quærentibus me, expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi? Si ergo uoluit & potuit,an putamus eum cauſa iniuriæ noluiſſe? Et quam diuinitas ſui ſenſit iniuriam? Expers enim eſt contumeliæ, neque ſubiecta noſtris eſt paſſionibus. Neque enim caro uel de-

trimentum diuinitati afferre potuit uel augmentum. Qui tamen hoc obiiciunt, quod dei filius carnem ſuſcipere non potuerit? Si Gentiles, quur deos ſuos, quoniam homines fuiſſe negare non poſſunt, humana ſpecie uiſos eſſe teſtantur? An rex eorum, quem illi ſuis diis omnibus anteponunt, prodigiales formas potuit pro amore ſuſcipere: Chriſtus carnem hominis, quem ad imaginem ſuam fecit, atque illud præſtantiſſimum opus ſuum ſuſcipere pro mundi ſalute non potuit? & pulchrius illis uidetur, propter adulterium alieni thori, quàm propter redemptionẽ omniũ ſpeciem carnis aſſumptam? Quod ſi Iudæus hoc obiicit, quomodo legit: Ecce uirgo accipiet in utero & pariet filium, & uocabitur nomẽ eius Emanuel: quod eſt interpretatum, nobiſcum deus? Quomodo legit: Ecce qui loquebar aſſum? Quomodo autem lectum aſſerit: Ecce ſicut panthera & ſicut urſus aporiatus occurram eis? Dei ergo filius carnem ſuſcipere non potuit pro redemptione omnium, cum ipſi negare non poſſint, quod pro noſtrorum ſupplicio peccatorum, affectum quendam deus ferinæ crudelitatis induerit: ut qui natura pius eſt & miſericors, noſtrorum tamen ſcelerum atrocitate commotus, aſſumat etiam quandam ſæuitiam beſtiarum? Sed iam quia & ſuperiore die & hodie Iudæis ſatis reſponſum arbitror: apud uos mihi fratres dilectiſſimi prophe-

tici

tici facti ratio præstanda est. Etenim cum primum legeretur hic psalmi titulus, quod uenerit Nathan ad Dauid, cum intrauit ad Bethsabee: diximus plu/rimos serie historiæ huius confundi, & ideo tracta/tum eius adsumpsimus tripertitum. Diuisionémque tractatus ita putauimus esse faciendam, ut apud Gentiles lapsus conditionis non negaretur, correctio erro/ris astrueretur: apud Iudæos autem ideo lapsum esse sanctum Dauid doceremus, ne amplius perfidia claudicarent, eumq; uel dei filium desinerent credere, quē uiderent cōmuni conditione obnoxium peccato: Christiani uero, surgentis ecclesiæ mysteria possint aduer/tere. Tripertita ergo diuisio facta est: una secundum naturam, alia secundum fidem, tertia secundum gra/tiam: nec infirmitas excludit à uenia, & fides excusat à culpa: gratiam quoque promissam iam dudum sacra/menta conciliant. Peccauit Dauid, ne totus mundus erraret: peccauit sibi, ut nobis omnibus emendaret: postremo peccauit in corpus suum (qui enim fornica/tur in corpus suum peccat) peccauit in corpus suum, ut in Christi corpore redimeretur. Ecce, quem uix de/fendendum putabamus: iam cernimus prædican/dū. Quis enim est qui nolit diuina in se magis mune/ra, q̄ humana opera prædicari? Arbitramur enim secundum Apostolum iustificari hominē per fidem, sine operibus legis. Iustificetur ergo ex fide Dauid,

qui

qui per legem peccatum agnouit,ſed peccati ueniam ex fide credidit. Iuſtificet Dauid,quia in peccato eius ſurrepto, eccleſiæ myſteria refulſerunt. Dicit aliquis. Qua ratione & adulterium & parricidium cõmiſerit, dominici generis autor electus à deo? Aliud dico. Talis autor dominici fuit corporis eligendus. Quid eſt enim corporatio,niſi remiſſio peccatorũ? Et ideo exſors peccati eſſe non potuit,ut diuinam gratiam & exemplo præferret & nuncio. Deniq; ea diſpoſitione Bethſabee & Thamar matres autores dominici generis computantur:quarum altera adulterium fecit,altera commiſit inceſtum. Ea diſpoſitione & Achab & Iechonias(ſicut Matthæus euangeliſta deſcripſit)adnumerantur maioribus Chriſti: ut omnes homines redempturus,beneficium à ſuis maioribus inchoaret:ſimul ne quis ſubiectus corporis paſſioni nobilitatem captaſſe immaculatæ originis uideret. Hominũ enim iſta iactantia eſt,non alienam gloriam ſed ſuam quærere:& tamen inter ipſos homines maior uirtutis q̃ nobilitatis eſt gratia. Simul edendum exemplum fuit,ut intelligerent omnes,maiorum probra non poſſe poſteris eſſe dedecori:quodque unuſquiſque ſucceſſionis maculam propriæ merito poſſet abolere uirtutis. Vides quantos & quàm grauiter criminoſos dominicæ generationis ſeries cõprehendat:de quorũ origine propter te naſci Chriſtus nõ erubuit. Et hæc,ſi

credas

credas,diuinæ miſericordiæ munera ſunt:& hoc cœleſtis inſigne eſt poteſtatis.Superabũdauit enim peccatum,ut ſuperabũdaret gratia.Non fuit igitur Dauid exceptus a culpa,ut eſſet electus ad gratiam.Sed iam myſteria ipſius recẽſeamus hiſtoriæ,& ex ipſis ſcripturarum fontibus hauriamus.atq; ut omnẽ ſeriem myſteriorũ introſpicere poſſimus,textũ ipſius repetamus hiſtoriæ,Sic nempe in libro Regnorũ meminimus expreſſum,eo quod Dauid lauãtem uidiſſet Bethſabee Vriæ uxorem adamauerit:deinde domũ uenire præceperit,quũ abſens eſſet uir mulieris.Non multo poſt maritum eius regreſſum eſſe,nunciantẽ euentum belli,religioſum ſane & deuotum uirum,qui belli tempore non putauerit ſibi ingrediẽdam domum,quum ſocios uideret prælio intentos,nec domeſticis in tabernaculis,ſed in præliaribus tentorĩjs excubantes. Poſtea iuſſu Dauid in bella reuocatum,ſub ea præceptione,ut obĩjceretur aduerſarĩjs bellatoribus,quo morte uiri liberam copiam potiendæ mulieris rex haberet. Et hic nonnulla eſt peccati uerecũdia,& pudor culpæ, quod latebrã quæſiuit erroris:& iniuſtæ necis nec autoritatem ſibi iure regiæ poteſtatis aſſumpſit:ſed inuidiam declinauit,culpam fatetur.Sed tolerabilior eſt quæ premitur uerecundia,quàm quæ inſolentia prædicatur.Mortuus eſt igitur Vrias bellatoribus obiectus,ſed poſtea ĩjdem qui eum peremerunt,iuſſu Da-

uid (expugnata urbe) sunt interempti. Hæc est histo/
riæ series, in qua profunda licet spectare mysteria. Et
quoniam Dauid non defendendum (neque enim
meo eget auxilio) sed excusandum recepimus uel po/
tius prædicandum, ne in tanto mysteriorum profun/
do uacillem, iustum est ut eius ore utar, cuius utor hi/
storia. Vtar ergo responsorio prophetico dicens, Cor
mundum crea in me deus, spiritum rectum innoua in
uisceribus meis. Nemo enim sine spiritus sancti infu/
sione, tãta diuini recessus potest spectare mysteria. Et/
enim si ille tãtus propheta, spiritus sancti petit sibi mu
nus infundi, quid facere infirmus debeat, quũ præser
tim apostolus sanctus populi quoq; se putet precibus
adiuuari, ut aperiatur ostium ad loquendum mysteri
um uerbi? O si meo ori ostium illud Christus digne/
tur aperire. Pulsemus tamen. Solet enim exaudire pul
santes, quia ipse dixit, Pulsate, & aperietur uobis. O si
mihi se ipse reseraret, quia Christus est ianua. Ipse in/
tus, ipse extra: ipse uia quæ ducit, ipse uita ad quã con
tendimus peruenire. Veni ergo domine Iesu, & aperi
nobis fontes tuos, ut bibamus de aqua, quã qui bibit
non sitiet in æternũ. Vel si de fonte adhuc tuo haurire
nõ possumus: dignare cõcedere ut de puteo saltẽ hau/
rire possimus, unde potum Samaritanæ illi, dubitan
ti adhuc mulieri polliceris. Et tu quidem de fonte o/
mnibus polliceris: sed dubitantibus, ut illi Samarita
næ, fons

næ,fons tuus adhuc altus eſt puteus.Bibamus & nos aquam cœleſtiũ ſecretorum. Et quoniam ad fontem tuum meruimus peruenire,liceat nobis imaginem ſaltem myſteriorum uidere cœleſtium. Itaque,niſi fallor, per prophetam ſpiritum ſanctum intelligimus:per adulteram autem,licet ſynagogæ fornicationes uarias æſtimare.Et ideo multo ante cernimus reuelatum ex ſpiritu ſancto,ex familia Iudæorum (quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem) dominum Ieſum eſſe generandum,qui quidem quaſi Iudæus ex adultera familia natus eſt ,ſed quaſi immaculatus ex uirgine . Erat ſub lege,erat quaſi ſub uiro familia Iudæorum.Abolenda fuit legis obſeruantia,ut ueritas ſubſtitueretur & gratia,Habemus unum myſterium, accipite & aliud:ita tamen,ut memineritis ex prima conceptione Bethſabee natum eſſe paruulũ qui mortuus eſt,poſtea natum eſſe Solomonem.Illum paruulum,ex conceptione furtiua:iſtum uero Solomonem, iam ex profeſſione cõiugij.Licet igitur per Dauid intelligi prophetam,per prophetam populum prophe ticũ:ex quo & ex ſynagoga primus ille qui natus eſt, quoniã degenerauerat à maioribus ſuis,per flagitia formatus,& per uitia concretus populus Iudæorum, ad reſurrectionis æternitatem peruenire non potuit, nec in uirum perfectum creſcere , ſed in exigua ſenſuum paruitate,& quadam uirtutis defecit infantia.At

uero ille qui postea ex legitima conceptus est copula, populus Christianus, ille sapiens atque pacificus (hoc etiam Solomonis interpretatione referatur) ad inca nam longæuæ resurrectionis ætatem, atq; ad regnum illud cœleste peruenit. Per illum autem populum lex soluta, per istum gratia reformata est. Accipite etiam tertium mysterium. Quod Dauid Hebræi dicunt, Latini humiliatum interpretantur. Quis est autem uere humiliatus, nisi ille qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo: sed formam serui accipiens humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem? Hic igitur est qui significatur Dauid, excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam: sublimis in diuinitate, sed mitis in corpore. Itaq; ubi humiliatus, ibi obediens. Ex eo enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, & in eo desinit. Quum enim obediens dicitur factus usque ad mortem (mors autem non diuinitatis, sed corporis fuit) non utique obedientia diuinitatis fuit illa, sed corporis: nec humilitas maiestatis illa, sed carnis. Itaque quantum ad susceptionem corporis spectat, apostolica lectio, in quo Christi fuerit humilitas declarauit: quod uero ad naturam spectat diuinitatis, euangelica lectio reserauit: quam pio prosequuti estis assensu, quum audiretis legi, dicente dei filio, Ego & pater unum sumus. Vnum enim diuinitate sunt filius & pater: sed non unum sunt, corporis sacramentum,

nentum,& diuinitatis æternitas. Nec ſolus tamen apoſtolus humiliatum dixit eſſe dominum, ſed ipſe quoque ſe humilem eſſe memorauit, dicens, Tollite iugum meum,quia leue eſt,quoniam mitis ſum & humilis corde. Et tamen non ſola interpretatione,ſed etiam manifeſta appellatione ſignatum eſt, quia ſcriptum eſt,Inueni Dauid ſeruum meũ,in oleo ſancto meo unxi eum.Et infra dicit,Pater meus es tu: &,Ego dicam illi,filius meus es tu.Ergo Dauid quem quærebamus inucnimus:ſeruũ quidem ſpecie,ſed dominum in ueritate.Hic ergo Dauid,intra domum deambulauit ſuam.Quæ domus eſt,utique Chriſti,niſi illa de qua dicit, Quia apud patrem manſiones multæ ſunt? In illa ergo regia ſitus,humanam conditionẽ nudam uidit,& miſeratus adamauit.Erat enim adhuc nuda uirtutum,quia per inſidias ſerpẽtis,genitalibus erat naturæ ſuæ exuuiis deſtituta.Neque enim uerisimile uidetur,ut ante domum regis mulier nudaretur, ante domum regis fœmina ſe lauaret: quaſi locus lauacro oportunior alius eſſe non poſſet,Non quadrat, non congruit,non cum fide conuenit. Diſtat à uero, abhorret à ſenſu. Talem rex tam petulantẽ,tam procacem,horrere potuit,non amare.An illa ſi non uiros uerecũdari,nec regios ſaltẽ uereri potuiſſet aſpectus? An illam prius quàm rex uideret, nec miniſtri arcere potuerunt? Ergo ſi hoc cum fide non poteſt conueni *Deſtruit hiſtoriam.*

re,quæramus quæ iſta ſit. Nuda uidelicet humana cõditio,omnibus ueſtimentis exuta,naturæ carens amictu,immortalitatis & innocentiæ ſpoliata uelamine. Nudus eſt enim,qui peccato nudatur & culpæ. Denique ille primus noſtri generis peccator(atque utinam ſolus)antequã peccaret,nudum ſe eſſe non ſenſit:poſteaquàm peccauit,nudum ſe eſſe uidit:& ideo tegendum foliis putauit,quia nudum ſe eſſe cognouit. Factus eſt igitur ille ſibi nudus, poſteaquàm factus eſt reus culpæ. In illo nudata eſt omnis humana cõditio, per ſucceſſionem naturæ,non ſolum culpæ,ſed etiam erumnæ obnoxia. Ergo ille ſe nudum ſenſit & uidit. Vnde ita eſt omnis noſtra conditio,ut qui ſe nudum putauerit,nudum & uideat & ſentiat. Denique qui diuitias concupiſcit,nudus eſt:qui contemnit,opulentus eſt. At uero ſuus cuique ſenſus erumna eſt,& ſua cuique uirtus expers iniuriæ eſt. Ergo humanã conditionem primo per legem ſibi Chriſtus in coniugium uindicauit,quam repudiauit poſtea. Vnde & ait, Quis liber repudij matris ueſtræ, quo dimiſi eam? Hoc igitur genere Chriſtus familiam ſuam nudam uidit,& amauit. Amauit enim ſanctam Chriſtus animã. Denique amabat Ieſus Lazarum & Mariam. Amabat Chriſtus eccleſiam ſuam,quamuis nudam, quamuis nullo adhuc uirtutum decore ueſtitã, Denique ut ſciamus propoſitæ diſputationi ſcripturarum ſeriem con

uenire,

uenire,discamus ecclesiam nudam, discamus quæren tem,festinantem,& lauãtem se ante domum Christi, quando baptizabat Ioannes in Iordane,dicens ,Ego quidem baptizo uos in aqua,in pœnitentiam:Qui au tem uenit post me,fortior me est:cuius non sum di/ gnus calciamẽta portare:Ipse uos baptizabit in spiri/ tu sancto.Ergo quando baptizabatur plebs in pœni tẽtiam,Christum utique domui eius iam uicina quæ/ rebat,ut perueniret ad gratiam.Quærebat Ioannem Christi ecclesia,dicens,Adnuncia mihi quem dilexit anima mea:ipsum causam desiderij,ipsum causam la/ uacri sibi esse commemorans.sicut habes,Fuscasum & decora, filia Hierusalem , ut tabernaculum Cedar,ut pellis Solomonis.Habes causam qua ratione se laua re gestiat,quæ fuscam se esse cõmemorat.Nam quasi interroganti Ioanni,qua ratione plebs multa concur rens gestiret lauari,respondit,Fusca sum & decora filia Hierusalem , Quia fusca est,lauari desiderat:quia de/ cora est,uideri nuda non metuit . Nolite , inquit,aspi cere me,quia offuscata sum,quia non est intuitus me sol . Ergo fuscamur quando non uidemur à Christo, sed quando uidemur albescimus. Vidit ergo eam il/ le cui nuda sunt omnia,& interna pectoris occulta esse nõ possũt,quia scrutator est renis & cordis.Nihil huic tectum,nihil est inuolutum.Vidit ecclesiam suam nu dam,& uidit & adamauit.Vidit nudam dilectam,&

quasi

quasi filius charitatis adamauit. Videte quemadmo dum inuitet, quẽadmodum uocet. Non hic adulterij opprobria, sed mysteria castitatis sunt. Tota es, inqt, formosa amica mea, proxima mea, & reprehẽsio non est in te. Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Liba no. transibis & pertransibis à Libano fidei. Et bene à principio fidei. Ergo ubi fidem habes, adulterium ti mere non debes. Fides enim coniugij est, fraus adulte rij. Sed ut adesse possit à Libano, ante præmisit di/cens, Exurge, ueni proxima mea, formosa mea, colum ba mea, perfecta mea. Proxima mea, utique fidei desi derio: formosa, decore uirtutis: columba, gratia spiri tuali. Pennæ enim columbæ deargentatæ, æternam il lam significant potestatem. & columbæ uolatus, san cti spiritus præsentiam declarauit. Vocat igitur ad se eam Christus ut ueniat, quoniam spiritualibus iam precijs dotata ueniebat, Quia ecce, inquit, hyems præ/terijt, imber abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra. Videte quemadmodum sancta inuitetur ecclesia. Hy/ems, inquit, discessit sibi, ne hyemem nuda formidet: hyemem, non temporis sed infirmitatis, quæ agrũ ani mæ fœcundum omni flore dispoliat. Est enim nostra hyems terreni solis: est hyems mentis, quando animo frigus inlabitur, quando uapor animi euanescit, quan do soluitur uigor sensus, quando nimius humor exun dat & mentem grauat, quando interior caligat aspe/ctus. Et

ctus. Et ideo ait dominus. Videte ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato. Bonum est ut tunc dies iudicij uel mortis adueniat, quum uiget animi blanda temperies, quum cœleste mysterium serena luce resplendet, quum cor nostrum ardet in nobis. Tunc enim Christus est præsens, sicut testantur in euangelio, dicentes, Ammaon & Cleopas: Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis in uia, quum aperiret nobis scripturas? Viget autem animus, quando etiam flos uidetur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui dixit, Ego flos campi, & lilium conuallium? De quo & in Esaia scriptum est, Et exiet uirga de radice Iesse, & uirga ex radice eius ascendet, & flos ex uirga exiet. Radix utiq; familia Iudæorum est, uirga Maria, flos Mariæ Christus. Qui quãdo nostra resplendet in terra, & in agro animæ redolet, uel in ecclesia sua uernat: nec frigus posse timere nec pluuiam: nec uereri sed expectare iudicij diem. Et ideo ecclesia ut hunc florẽ uideret, omni studio festinabat, sicut ipsa testatur dicens, In cubili in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea. Quæsiui eum, & non inueni, uocaui eum & non exaudiuit me. Exurgam itaq; & introibo in domum, in forum & in plateas, & quæram quem dilexit anima mea. Quæsiui, & non inueni eum. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, & me percusserunt, tule-

runt pallium meum. Videtis quemadmodum quærat quæ desiderat inuenire, ut non timeat uulnerari. Sed hæc uulnera non metuenda sunt, sed optanda: quia uulnera charitatis sunt, sicut ipse dicit, Vulneratæ charitatis ego sum. Bona charitatis uulnera. Denique utiliora uulnera amici, quàm uoluptaria oscula inimici. Merito ergo nuda, quia pallium perdidit: aut fortasis ideo nuda, quia nonnunquam uirtutis est opertum non habere pectus, cor non habere uelatum. Denique uelatam illam, hoc est synagogam, quæ habebat uelamen in lectione ueteris testamenti, quod modo reuelatur quoniam in Christo euacuatur: uelatã in quam synagogam Christus despexit & spreuit: unde hodieq; uelamen supra cor Iudæorum est positum. At uero eam quæ tota ad dominum mente conuertitur, ut gloriam Dei speculantes uidere possimus, Christus suscipit atque amplectitur. Denique etiam alibi, nudam esse, uirtutis indicium est, quia scriptum est, Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quam igitur tunicam exuerit, & non inuenerit quemadmodum induat eam: de scripturis si possumus reuelemus. Est enim quædam tunica corporalis, sunt cupiditatum quædam intexta uelamina: & ideo interdum melius est nudum esse corpore, quàm corde uelatum.

Vnde

Vnde etiam Paulus nos admonet expoliari multo es se melius quàm superuestiri,dicens etiam alibi,Expo/ liantes uos ueterem hominem cum actibus suis,indui te nouum qui renouatur in agnitione,secundum ima ginem eius qui creauit eum , Ergo quæ expoliata est, & pedes lotos habet,& ideo quæ lauit,nescit quemad modum inquinari possint.Obliuiscitur enim per gra/ tiam,quod hauserat per naturam.Magnus igitur hic & iustus amor mulieris,ante Dauid regiam se lauan tis.Sed non solum lauit,sed etiam uocauit,ut in eo/ dem accepimus libro,dicente sancta ecclesia,Veni fra ter meus,exeamus in agro,requiescamus in castellis, diluculo surgamus in uineas,uideamus si floruit ui/ tis.Non solum igitur lauat,sed etiam Christum ad se uenire prouocat & inuitat, dicens,Tibi dabo ubera mea.Nec sua tantum,sed etiam noua ac uetera polli cetur,sicut habes,Noua & uetera frater meus seruaui tibi.Et quasi amoris impatiens,quærit adminiculũ ali cuius,à quo Christus rogetur ut ueniat.Videte æstuã tem,uidete desiderantẽ.Quis dabit,inquit,te frater mi lactantem ubera matris meæ. Et qua ratione quærat, & qua gratia inuitet,& quemadmodum possit tene/ re demonstrat,quemadmodum foris morantem ex/ pectet ostendit, & ut domo sua egrediatur implo/ rat , dicens,Inueniens te foris osculabor te,assumam

te,& adducam te in domum matris meæ,& in ſecre/
tum eius quæ concepit me. Vides quẽadmodum nu/
da ſit,quæ non poteſt tectum habere ſecretum inte/
meratæ utique naturæ, ſecretum intimæ conſcientiæ,
non deſignatum aliqua temeritate uitiorum . Hortus
enim clauſus,eſt eccleſia ſancta & immaculata uirgini
tas,quæ ideo hanc gratiam meretur à Chriſto,quia
uerbum dei quæſiuit,deſiderauit,inuenit, aduigilans
ante oſtia ſapientiæ,ſicut ipſa dicit,Beatus uir qui au/
dit me,& homo qui uias meas cuſtodierit,aduigilans
meis oſtijs quotidie,cuſtodiens poſtes mei introitus.
Exitus mei,exitus ſunt uitæ. Sic eccleſiæ ſuæ Chriſtus
ſpeciem concupiuit,& parauit ſibi eam uxorem adſci/
re.Sed quia erat ſub lege (ſub lege enim Petrus,Ioan/
nes,cæteriq; apoſtolici uiri)prius nos obſeruantiæ cor
poralis uinculis relaxandos putauit . Quamuis enim
lex religioſa, lex iuſta , ſicut Vriæ perſona inducitur
(qui tam religioſus & caſtus fuit,ut regreſſus uxorem
non recognoſceret nec intraret ad eam) tamen qui:a
Vrias in Dauid,hoc eſt,uiro humili,copulam cogno/
uit eccleſiæ,à ſynagogæ coniunctione diſcedens, lo/
cum futuris nuptijs præparauit. Vnde & Ioannes ty/
pum accepit legis,qui quamuis eſſet ex patribus,para
ri uias domini nunciauit,& eccleſiæ copulam prophe/
tabat:& ideo occiſus inducitur,ut defectum legitimæ
obſerua/

obſeruationis oſtenderet. Lex enim & prophetæ uſq; ad Ioannem. Ergo etiam Vrias occiſus eſt in typo legis, ut ſynagoga legis laqueis ſolueretur, quoniã quæ ſub uiro eſt mulier, uiuente uiro, ligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit uir, ſoluta eſt à lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, ſi iuncta fuerit alteri uiro. Ergo non adultera humanæ conditioni, quæ licet ſub lege fuerit, tamen oblita eſt legis, quod amodo obſeruantia legis in gratiam uindicata eſt. Legis autem obſeruantiam non Chriſtus aboleuit, unde & Vrias non Dauid occidit, ſed occidi à bellatoribus paſſus eſt, hoc eſt, prophanari ritum obſeruantiæ ex lege uenientis, per incurſionem barbarorum & captiuitatem Iudæorum paſſus eſt Chriſtus: Denique Vrias, lux mea dicitur. Qui autem Chriſti lux, niſi lex & euangelium? Si enim crederetis Moſi, crederetis & mihi: de me enim ille ſcripſit. Quia lux Chriſti in lege præceſſit, cuius poſtea in euangelij gratia quaſi in heptamyxo ſeptiformi ſpiritu uniuerſa mundi huius impleuit. Hinc ergo legi carnem ſuſtulit, uel eccleſiam, & ſibi coniunxit, cuius legis lumen populus hoſtilis imminuit, quando legis ſancta uiolauit. Imminuta ergo lux dei eſt in populo Iudæorum, quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Supereſt ad-

huc quartum mysterium,quod quæso placidis accipiatis auribus,& mentem nostram non uerba pendatis: non enim in uerbo est regnũ dei,sed in uirtute. Adulterium factum est,& homicidium factum est. Hoc est quod dictum est ad prophetam,Sume tibi baculum nucinum. Et alibi, uirgam nucinam legimus, per quam intelligimus ius quoddam & summam prophetiæ,quæ more nucis foris amara in cortice,dura in medio testa,tenera intus est fructuosa. Et si igitur in historia amariora auditis,in typo dura cognoscitis, sperate tamen in mysterio fructuosam. Adulterium, inquam,in typo salutis est factum,non enim adulterium omne damnandum est. Denique ad prophetam dictum est, Vade, accipe tibi uxorem fornicariam. Dominus iubet,cum ea quæ fornicaria fuerit, esse coniugium:cuius coniugij (ut supra diximus) partus est Christus. Nanque filio qui ex fornicatione natus est,à domino nomen impositum est Iezrahel, quod est,diuina generatio. Si ergo pia illa copula fornicaria,etiam ista utique pia societas adulteræ copula est. Sed illa de Iudæis:de diuinis autem non audeo,licet pium,adulterium nominare,ne quem uel sonus sermonis offendat,licet sensus uenerationis in promptu sit: quod potest tamen cautius dici,etsi non expressius,ex disparibus copulis contubernium pium factum est:uer/

est:uerbum scilicet caro factum est. Non sunt enim legitima consortia diuinitatis & carnis: nec ut quo/dam fœdere conueniente naturæ,caro animæ & ani ma carni,ita etiam diuinitas & caro iusti seruant quo/dammodo thori legem. Suscepit carnem Deus,as/sumpsit animam,per inusitatam nec legitimam incar nationem consortium fecit esse legitimum,ut sit Deus omnia in omnibus.Denique ut scias esse mysterium, interpretare uocabula. Dauid enim accipis in typo Christi.Bethsabee,filia sabbati,aut filia plena,uel pu teus dicitur iuramenti.Quid igitur expressius, quàm quod filia sabbati caro Christi est? quia misit deus fi/lium suum factum ex muliere,factum sub lege. Ea/dem plena,quia in passione eius legis est plenitudo, uel quia plena spiritus sancti.Iesus enim plenus spiri/tu sancto regressus est à Iordane. Eadem etiam pu/teus iuramenti,hoc est,religionis & fidei.Et bene pu/teus,quia flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hanc ergo assumẽs sibi deus uerbum,copulam fecit esse legitimam,quod mysteriũ illæ nuptiæ designarũt quæ sunt in canticis canticorũ,quibus Christo ecclesia, & spiritui caro nubit. Et ideo circũcursabat & quære/bat ubiq; dei uerbũ,quia uulnerata,qa nuda,qa adul tera in omnib⁹ (etsi immaculata in Christo)quærebat caro misera redemptorem.Hanc sibi Christus iunxit,

ut imma/

ut immaculatam redderet:hanc sociauit,ut auferret adulterium.Et quia sub lege erat, moriendum fuit ut liberaretur à lege,ut per illam mortem,uelut quoddam legis & carnis matrimonium solueretur. Mortua est igitur in Christo caro,ut nos mortificati legi per corpus Christi (sicut Apostolus dixit) essemus alterius qui ex mortuis resurrexit,& passiones cupiditatesq; carnis,& cogitationes peccatorum, quæ per legem erant in membris nostris,in illa morte morerentur:nos autem soluti à lege mortis,quasi noua Christi copula,in nouitate spiritus resurgeremus. Et tamen qui legem in Christi carne soluerunt,eamq; putauerunt esse uiolandam,omnes iussu Dauid à bellatoribus interempti sunt.Quo indicio ostenditur,id quod posteriora docuerunt,esse signatũ,quod eorum qui Christum interfecerunt nullus cuaserit. id quod euidentissime reuelatur;eos quos ante mortem assumpserat Iesus, sicut Iudæos, periisse paruulos & informes:eos uero quos post mortem adsciuit,in numero filiorũ,regno esse seruatos. Vnde iuxta hoc mysteriũ cõuenit qd primus in Iudæis fuerit partus infirm9,ut postea in Christianis fieret fructus æternus.Sed iã ad nunciũ trãseamus.Nam superiorib9 diebus,tractatus nobis de illo inuidioso adulterio & homicidio Dauid prophetæ fuit,decursisq; mysteriis,nõ solũ nihil quod condem-

condemnaretur,ſed etiã quod laudaretur,inuenimus. Nunc tractatus incipit eſſe de nuncio: quem decurſi pſalmi titulus iam ſæpe repetitus oſtendit. Sic enim eſt, Pſalmus Dauid intellectus,cum ueniſſet ad eum Nathan Propheta:cũ intraſſet ad Bethſabee. Itaq; & hæc pars hiſtoriæ retexẽda eſt, quæ huiuſmodi eſt. Diues,inquit, & pauper intra unam erant ciuitatem. Diuiti multa armenta,multæ oues, pauperi una ouis, quæ de pane & uino pauperis alebatur, & in ſinu eius requieſcebat. Venit hoſpes ad diuitem, diues neq; de armento ſuo,nec de gregibus ſuis aliquid abſtulit, ſed unam ouem pauperis occidit. Hoc ubi cognouit Dauid:Morietur,inquit uir ille, & reſtituet quadruplum. Reſpondit Nathan: Tu es. Deinde aperuit ei cœleſte mandatum,dicens mandaſſe dominum,quod multa illi bona ſublato de paſtorũ numero cõtuliſſet, quodque in eum ſuam miſericordiam profudiſſet, & ideo quoniam peccato exaſperaſſet dominum,abducenda eius omnia,rapienda ab hoſtibus, depopulandã domum. Tunc ait ille:Peccaui.Et reſpõdit Nathan:Quoniam peccaſſe te confiteris, remittet tibi dominus peccatum,ſed filius tuus qui natus eſt ex Bethſabee, morietur.Hoc filio ægrotante, Dauid fleuit,humi iacuit, cilicio ſe operuit,ieiunauit:ubi mortuum cognouit,ſurrexit,lauit,cœnauit,alios conſolatus eſt. Videte quàm multa.Primo omnium, quod deus pius & miſericors

eſt,& quæ nobis aduerſa contingũt, pro precio noſtri erroris excipimus. Didicimus igitur captiuitatẽ preci/ um eſſe peccati, hæc enim decernitur pœna pro crimi/ ne. Deinde illud aduertimus,quod regum lapſus, pœ na populorum ſit. Sicut enim eorũ uirtute ſeruamur, ita etiam errore periclitamur. Vnde optandum eſt nobis, ut regem glorioſum atque perfectum habere poſſimus. Nos ergo qui regem nolumus habere per/ fectum,dominũ uolumus habere perfectũ? An uero illi poſſunt uelle hominẽ eſſe perfectũ,qui deũ nolunt eſſe perfectum? Illud etiã breuiter textus operatur hi/ ſtoriæ, ut aduertamus ꝙ cito ueniæ ſpes ſequuta ſit. Non mediocre autem, quod Nathan denunciauit ei: hoc eſt inferior Propheta. Grauis enim uerecũdia pu dorꝙ delicti, ab inferiore reprehendi. Videtis quod culpa gratiã minuat? Sciebat Nathan, quod Dauid neſciebat, adeo caligat animus,obumbratus quadam nube uitiorum. Deinde hic eſt Nathan,qui in ſuperio ribus Dauid acceptum domino prophetauit, ut dole/ ret eodem redargutum eſſe peccatũ, quo prophetan/ te meritum fuerat prædicatum. Sed iam myſteriũ re/ quiramus. Duo,inquit, uiri erant in una ciuitate,unus diues & alter pauper. Quis eſt hic diues aut pauper, niſi forte unus populus Iudæorum, & alter, populus Chriſtianus? Ille diues in lege, diues eloquijs dei ſibi creditis,diues Prophetis,diues oraculis: hic uero pau/

per

per. Sed nolite hanc refugere paupertatem, quam sequitur regnum cœlorum. Scriptum est enim: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cœlorũ. Bona paupertas, quæ quod habuerit non amittit. Bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamẽ thesauros scientiæ atq; sapientiæ. Nolite filiũ quasi uilem despicere paupertatẽ. Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum. Nolite quasi magnis inuidere diuitijs. Diuites eguerunt, & esurierunt. Sed si uultis habere bona, dominũ quærite. Inquirentes eñ dominũ, non deficiẽt omni bono. Ergo nolite recusare omnẽ paupertatẽ. Pauper erat Petrus, & quẽ donaret numulũ nó habebat, sed preciosiorem omni pecunia donabat salutem. Pauper erat ille Lazarus in euangelio, sed ille q̃ ante in ostro iacebat & purpura, optabat post exitũ uitæ stillante digito pauperis refrigerari. Quamuis ille ostro supbus regio, & purpuratis uestib9, uulnera pauperis diues fastidiosus horruerit, tamen in inferis locatus optabat eo loci fuisse quo Lazarus. Quo loco, lectio nõ uidet pecuniarũ diuitẽ pauperemq; describere, sed eũ pauperẽ, qui pro fide & deuotione uulnera corporis non horruerit, famem ieiuniumq; tolerauerit. Cum igitur haberet populus Iudæorum in suis gregibus plurimas copias hostiarum, tamen unam ouiculam quam populus ille pauper habebat eripuit, glorioſæ illi subijciens passioni. Vis

scire quam ouem? Sicut ouis ad uictimam ductus est. Qui pane pauperis alebatur, & potu pauperis utebatur, & in sinu pauperis dormiebat. Nostris enim alebatur alimentis, in nostri pectoris gremio quiescebat. Nam in Iudæorum sinu quiescere se non posse memorauit, dicens: Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Et uenit hospes, inquit, ad uirum illum diuitem. Quis est iste hospes, nisi miserabile peccatū? Etenim culpa in hunc mundum tanquã hospes intrauit, aliena nostræ & peregrina naturæ. Itaq; non de suis gregibus hostiam obtulit, sed accepit ouiculam pauperis, & occidit. Cuius quidem passio licet ad sacrificium salutare profecerit, tamen uidetur illis fuisse furatum alimentum, & cibus culpæ, incentiuumq; peccati. Deniq; Iudas panem accepit à Christo, & tunc magis repletus est diabolo, quia non accepit ex fide, qui tam hospitali domino proditionẽ parabat. Et iratus est Dauid ad uirũ illum. Diximus quod per prophetam Iudæorum populus declaratur, & ideo sub hac figura se ipse condemnat. Dignus est morte uir ille qui fecit hoc, & ouiculam restituet in quadruplũ: hoc est, periturum populum Iudæorum, sed cumulatioribus bonis futurum populum Christianum: quia præstabilior est præsentibus, status qui ex resurrectione debetur. Propositum mihi fuit (ut meminisse dignamini) aduersus eos qui homicidiũ adulteriũq; sancti

Dauid

Dauid arguendum putant,qualicunqꝫ meo reſponde re ſermone: & ita fauore ueſtræ unanimitatis tracta/ tus noſtri curſus euaſit,ut prædicandus ore omniū ui/ deretur,quē putabamus non poſſe defendi. Sed quo/ niam noſtro uir ſanctus auxilio non indiget, iam ipſe uobis pro ſe loquatur,& factū ſuum ipſius oratio de/ fendat.Miſerere,inquit,mei domine,ſecūdum magnā miſericordiam tuam. Noua,niſi fallor,fratres chariſſi/ mi cōiunctio iſta ſermonis,ut magna miſericordia di/ ceretur,Nō facile alibi lectum memini,& ideo quæ ſit magna miſericordia nō facile dixerimus.Legimus ta/ men magnam dei uirtutem.Et ideo cōſiderantes quæ magna ſit uirtus,conꝫcere poterimus,quam miſericor diam magnā uoluerit deſignare.Legimus enim in ſan cto Hieremia.Quis es domine? Tu feciſti cœlū & ter/ ram,in magna uirtute tua,& brachio excelſo. Virtus ergo magna cœlum fecit.Quæ eſt uirtus magna? Pa/ tris,an filꝫ? Magna utique patris uirtus eſt:ipſe enim per filium cœlum fecit & terram,ſicut habes,In princi/ pio fecit deus cœlum & terram. Tamē & filius magna uirtus eſt. Nam cum uirtutem patris filiū legeris,ſicut habes Chriſtum dei ſapientiam atque uirtutem, uti/ que cum uirtus patris filius ſit,magna uirtus eſt filius. Quemadmodum igitur omnipotens denegatur, quē fatemur magnam dei eſſe uirtutem? Hæc igitur ma/ gna uirtus cœlū fecit,& filius, ſicut habes, Omnia per

ipſum facta ſunt. Ergo ſi & pater fecit & filius, utiq; facti unitas, operationis indicat unitatẽ. Nó ergo operatio patris & filij diſcrepat. Si autẽ una opera, una utiq; operationis poteſtas eſt, & maieſtas una factorũ eſt. Hæc de patre & filio. Quid, ergo ſilemus de ſpiritu, præſertim cum ſcriptura nos diuina non patiatur ſilere? Dat enim locus oportuniſſimum teſtimonium, ad ſancti ſpiritus unitatem cum patre & filio cõprobandam, ut eius quoq; operationem ab opere patris & filij diſſociare nequeamus. Legimus enim magnam uirtutem patris eſſe, quod cœlum fecit, magnam uirtutẽ etiam filium eſſe, quoniam cœlũ fecit, nec ſolum fecit, ſed etiam firmauit. Verbo enim domini cœli firmati ſunt. Ergo ſi & feciſſe & firmaſſe cœlum, magnæ uirtutis eſt, etiam ſpiritum ſanctũ à maieſtate magnæ uirtutis ſeparare nõ poſſumus, quia ſcriptum eſt, Et ſpiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Namq; cũ cœlũ fieret & terra, ſuperferebat ſpiritus. De quo alibi ait prophe ta Dauid, Emittes ſpiritũ tuum & creabũtur. De quo etiã alibi dixit, Quoniã uidebo cœlos tuos opera digitorum tuorũ. Nó enim corporalibus digitis deus cœlum fecit & terrã, ſed ſpiritus gratia ſeptiformis: illo uidelicet digito, de quo habes in euãgelio, Quod ſi in digito dei eijcio dæmonia. Si igitur digitus dei ſpiritus eſt, quoniã brachiũ dei filius eſt, utiq; ſpiritus coopera tus patri & filio, per unitatẽ operationis cœlum fecit & terram,

terram. Ideo enim digitum filius nũcupauit, ut tanq̃ unius corporis, ita diuinitatis exprimeret unitatẽ. Itaque si magna uirtus cœlum cõdidit, utique magna sapientia cœlum condidit, quia scriptum est, Omnia in sapientia fecisti. Didicimus igit' quæ magna sit uirtus, colligamus nũc quæ magna sit misericordia. Si magna uirtus cœlos fecit, & magna misericordia debet esse de cœlo. Iusticia enim de cœlo prospexit, & misericordia uenit è cœlo. Magna ergo facta misericordia, quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ergo magna uirtus cœlos fecit, magna uirtus cœlos inclinauit, sicut legimus, Et inclinauit cœlos & descendit. Quo ostenditur nunquam diuinitatis suæ exsors fuisse dei filius, nec cum inter homines uersaretur, quoniam & si suscepit quod non erat, non destitit tamen esse quod erat. Itaq̃ cum dicitur, Et inclinauit cœlos & descẽdit, non tam uidetur cœlos inclinasse, quàm ipse de cœlo descendisse. Nam cum pater filium alloqueretur in terris, si tot angeli ministrarent, non tam mutasse uideretur sedem dei filius, quàm transtulisse. Ergo didicimus magnam esse misericordiam. Itaq̃ si magna misericordia est descendisse de cœlo, quæcũq̃ sit multitudo miserationũ tuarũ, dele iniquitatẽ meam. Non enim idẽ significat uterq̃ uersiculus, sed illud ad incarnationẽ refertur, hoc uero quod sequitur, ad eas referendum uidetur quas deus in carne suscepit iniurias, quia ieiunauit,

nauit, quia esuriuit, quia sleuit, quia uapulauit, quia crucifixus est, quia mortuus est, quia sepultus est. Hæc enim carnis, nō diuinitatis insignia sunt. Et necessariū fuit, ut erumnarū multitudinē miserationū multitudo depelleret, profutura nobis dominicæ certamine passionis. Non enim sua peccata delebat, quia peccatū nullum fecerat, sed quia peccatum factus est, nostra erant delēda peccata, sicut Dauid dixit, Dele iniquitatē meā. Quid est dele? Videamus hoc uerbum: nō enim ociosum est. Deniq; & alibi ait, Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor nō ero. Sunt profecto alte impressa quædā conscientiæ nostræ ulcera delictorū, & quædam mentiū nostrarū animorumq; uibices, quæ errorum nostrorū obducūtur ulceribus. Habet ergo culpa characteres suos & apices, quibus prodit, quod nō ingenio nostro affingimus, sed prophetica autoritate signamus. Scripta est ergo, & ubi scripta sit uide. In pectore, inquit, cordis tui. Hoc est, ibi scripta est culpæ series, ubi etiam forma uirtutis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bona sunt, non atramēto scribuntur, sed spiritu dei uiui. Quæ autem uicioſa, graphio ferreo & ungue adamantino. Talis propemodū scriptura, qualis est pœna peccati. Scribitur illa graphio ferreo, hoc uirga ferrea coërcetur, sicut scriptum est, Reges eos in uirga ferrea. Alia est illa recta uirga regni tui, quæ supplicio cohercet noxios, ac

innoxios

innoxios gubernat imperio. Ergo ſcripta eſt culpa,uideamus ubi. Non foris,ſed intus,in corde tuo,& in pectore tuo. Sicut enim prope eſt uerbum in ore tuo & in corde tuo, ſic infidelibus in ipſo corde exprimitur figura peccati,& erroris effigies. Intus igitur eſt culpa,intus eſt & uirtus, Et ideo dominus, Sentio, inquit, de me uirtutem exiſſe,ut oſtẽderet,quæ bona ſunt de interiore procedere,& contrâ, quæ mala ſunt de interiore prodire. Non enim quod intrat,inquit, in os coinquinat hominem,ſed quod exit de ore. De corde enim tuo cogitationes procedunt, & ideo caue ne de corde tuo malæ cogitationes procedant, quæ te poſteriore tẽpore arguant & accuſent. Nõ enim deus teſtimonijs ad reuincendũ te argumentisq; indiget, tua te ipſe culpa accuſat & prodit. Deinde bene in hoc pſalmo Dauid dicit,Et delictũ meũ cõtra me eſt. Væ enim mihi, quod latere cupio,& latere nõ poſſum. Quomodo em̃ latebo,q inſcripta in pectore meo gero meorũ indicia delictorũ? Nudabit̃ in illo iudicij̃ die uniuſcuiuſq; pectus,teſtimoniũ reddẽte omnibus cõſcientia ſua,& inuicem accuſantibus cogitationibus aut etiã defendẽtibus,in die qua iudicabit dominus occulta hominum. Quis pudor ille,cũ prodi omnibus cœperit quod putabamus occultũ? cum aperire ſe cœperit uniuſcuiuſq; imago delicti,ut unuſquiſq; ſui criminis ſerie reuincatur? Quis pudor, cũ illũ quẽ deſpicabilẽ in hoc ſeculo iudicabas, uideris eſſe prælatũ? cum illũ ſeruum tuũ,

illū quē iuxta ſeculi huius aſtutias ineptū & inhabilē arbitrabaris,in placitis ſibi diuitijs cognoueris honoratum? Ergo dum uiuimus,cōfugiamus ad eū q poteſt delere peccatū.Nec uereare,qđ graphio ferreo ſcriptū eſt,& ungue adamātino:hic em̄ portas ferreas adamātinasq; cōfregit,nec timeas culpam fateri.Cōfeſſus eſt Dauid,agnouit iniquitatē ſuā,agnouit errorē, & ideo ait, Quoniam iniquitatē meam ego agnoſco. Dauid agnoſcit,& tu nō agnoſcis? Dauid fatet̄,& tu negas? Paulus ſe nocentem clamat,& tu te innocentē aſſeris? Nō eſt igit̄ maximus erubeſcēdi locus,quādo cū plurimis peccati mixta cōſortia ſunt. Sequamur tamē ſtudiū corrigēdi.Neq; rurſus paueas,ne culpæ cōfeſſio teneat̄ ad pœnā:bonus enim & miſericors deus nō ſolū culpā ignoſcere cōfitentibus,ſed etiā præmia corrigēti bus impertire cōſueuit:ſi tamē unuſquiſq; ſibi donari petat,qđ intelligit nō latere.Dic ergo iniquitates tuas,ut iuſtificeris.Dei uox iſta eſt,uolentis ignoſcere:dei uox iſta eſt,promittētis q̄d tuū uelit delere peccatum. Tibi peccaui(Dauid dicit)& malū coram te feci.Hoc eſt,etſi homines nō uidēt,ſed tu uides:etſi homines me dijudicare nō poſſunt,q participes delictorū ſunt, tu tamen iudex es ſingulorū,quia expers es delictorū.Quālibet in corde intimo cogitatiōes noxiæ lateāt,corā te tamē ſunt, q potes dicere, Quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Nēpe Chriſtus hoc dicit.Qui ergo nouit quid in corde ſit ſcriptū,poteſt delere quicqd in corde cōſcriptum eſt. Cui ſe fatetur noſter Dauid non ſolū in ſe/

ipſo,ſed etiã in primo homine peccaſſe,dum præcepta diuina temerãtur. Quo licet aduertere fratres dilectiſs. quemadmodũ oẽs hæreſes,dum ſe impugnãt,in ſe re currãt. Itaq; Arriani,dum patris & filij ſeparãt poteſta tem,in eũ furioſæ exitũ diſputationis incurrũt, ut cum Manichæis eorũ cõcurrat aſſertio. Illi em̃ dicũt,alterũ deũ eſſe ueteris,alterũ noui teſtaměti. Quá prophanã aſſertionẽ eccleſia ſancta condẽnat,quæ unũ deũ legit, quia unus pater,ex quo omnia,& nos in ipſum:& un⁹ dñs Ieſus,p̃ quẽ omnia,& nos per ipſum. Vtiq; omni potẽs poteſtas & una,patris & filij declarat,ut nec pa trem à noui teſtaměti gratia ſecernamus,nec rurſus ab inſtauratione mũdi filiũ ſeparemus. Deniq; cõſidere mus utrũq; , cũ idẽ deus utriuſq; ſit cõditor teſtaměti. Nẽpe oẽs in primo homine peccauimus, & p̃ naturæ ſucceſſionẽ,culpæ q̃q; ab uno in omnes trãſſuſa ſucceſ ſio eſt. In quẽ ergo peccaui? In patrẽ,an in filiũ? Vtiq; in eũ qui mihi credidit,q̃d nõ ſeruando peccaui. Man datũ eſt homini, ut ab omnibus guſtaret quæ erãt in paradiſo, ſed lignũ ſciẽtiæ boni & mali non tangeret. Adã ergo in ſingulis nobis eſt. In illo cõditio humana deliquit,quia p̃ unũ in oẽs pertrãſiuit peccatũ. Video ſummã mihi creditã,uideo quæ præuaricatiõis æra cõ traxerim,dũ uetita & interdicta deguſto. Hinc debeo cõmiſſæ ſortis uſurã, quia creditũ mãdatorũ cœleſtiũ fœnus,intemerata fides ſeruare non potuit. Agnoſca mus etiã creditorẽ,agnouim⁹ debitorẽ. Nẽpe ius eſt ut

exigat & relaxet, & ideo idé relaxat qui ius habet exi/ gendi. Cum igitur in euangelio Christus dixerit mihi, Remissa sunt tibi peccata tua, nónne eũdem intelligo dominum sortis, quẽ arbitrum uenire cognosco? Aut si pater credidit & filius relaxauit, nõ per unitatem, ut nos dicimus, sed, ut Arriani asserunt, per distantiã po/ testatis, alius ergo deus credidit, alius relaxauit. Vnde incurrunt, ut Manichæorũ perfidiã non euadãt. Dein/ de unum dicendo bonũ deũ, aduertant quos laqueos demẽtiæ suæ incidant. Si bonus est qui credidit, quo/ modo nõ est bonus qui relaxauit? Ergo cum illis par tem habeant Arriani, in quorũ assertionẽ perueniunt. Nec mirũ si is qui semel deuiare cœpit à uero, nexibus se alieni erroris inuoluat. Et ideo una est sentẽtia, quæ hæreticorũ omniũ machinas destruat, ut unius pote/ statis, maiestatis atq; uirtutis trinitatẽ esse credamus, & ideo quod filius fecit, nõ separemus à patre, nec ab eo quod pater mandauit, filium segregemus. Ita enim fiet, ut nó alterũ deum ueteris, alterum noui testamẽti inducamus, sed per unitatem potestatis & filius in pa tre, & pater intelligatur in filio, & filius fœneret in pa/ tre, & pater relaxet in filio. Nam & pater dimittit pec/ catũ, filiũ dimisisse iam diximus. Accipite quia dimit/ tit & pater, Dimitte, inquit, nobis debita, id est, pecca/ ta nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vtiq; ex persona nostra hoc filius patri dicit. Nec ideo dicit, quasi dimittere ipse non possit: sed ideo dicit, ut

unitatem

unitatem poteſtatis intelligas. Deniq; ſi autoritatem quæris in filio: Iam uos, inquit, mũdi eſtis, propter ſermonẽ quẽ locutus ſum uobis. Dimittit ſermone, dimittit imperio: ſed cum ratione dimittit, dicens: Vade, & poſthac uide ne pecces. Habes autoritatẽ, quia uetera donauit, habes iudicium, quia futura præſcripſit.

D. AMBROSII DE DAVID INTERpellatione Liber.

MVLTI quidem deplorauerunt infirmitatem fragilitatis humanæ, excellentius tamen cæteris ſanctus Iob, & ſanctus Dauid. Ille ſuperior, directus, uehemens, & acer, & quaſi grauibus exaſperatus doloribus, maiore cothurno: hic blandus & placidus atq; manſuetus, mitiore affectu, ut uere, quẽ imitandũ ſibi ꝓpoſuit, cerui imitaret affectum. Nec te moueat, ſi tantũ prophetã feræ ſimilitudine uidear prædicare, cũ legeris ad apoſtolos dictum: Eſtote aſtuti ſicut ſerpentes, ſimplices ſicut columbæ. Sed tamen quamuis iſtiuſmodi ſimilitudines pĩjs aſtruantur exemplis, ſitq; innocẽs & mitis natura ceruorũ, illum ceruũ ad imitationẽ prophetæ propoſitũ hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ mentis aſſertor in prouerbĩjs dixit. Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarũ confabuletur tibi. Verus enim dei filius in ſemetipſo naturã quam animantibus ipſe donauit expreſſit, qui in hunc mundũ tanquã ceruus

aduenit, & cũ his se mira simplicitate iungebat, à quibus ei parabant insidiæ. Fertur em̃ huiusmodi ceruorum esse simplicitas, ut cũ se exagitari uiderint, his sese equitibus annectant, qui ministerio fraudis appositi, fugæ specie ac simulatione societatis inductos, ad retia usq; deducãt. Ita ergo dominus, tanq; ignarus periculi atq; improuidus, Iudæis dolũ sibi struẽtibus admiscebat, & societatẽ Iudæ proditoris sibi assciuit, cuius simulatiõe funesta, usq; ad crucis laqueos, & passionis retia peruenit. Vnde cõuersus ad eũ dixit. Iuda, osculo filium hominis tradis? Et hoc quidẽ modo uenit ad synagogæ retia uolens q; se induit, sed nõ implicitus est, nec instrictus, qui oẽs resoluit. Deniq; eminebat super retia. Et quia eũ sui nõ susceperãt, uocabat ecclesiã, & suam ei gratiam conferebat, sicut ipsa sancta ecclesia in canticis protestat dicens: Adiuraui uos filiæ Hierusalem in uirtutibus & fortitudinibus agri, ne suscitaueritis, & ne resuscitaueritis charitatẽ, usquequo uoluerit. Petit ergo in odore agri quẽ olebat sanctus Iacob, id est illa fide illa deuotione excitari sponsam suã à filiabus Hierusalẽ ut festinet ad sponsum, & excitari eius in se charitatẽ, aut etiã ipsũ excitari, quia charitas spõsus est. Deus em̃ charitas est, sicut dixit Ioannes. Sed ille non est passus se ab eis excitari, quia sponte properabat, egressus de thalamo, exultauit ut gigas ad currendã uiam. Vidit eum sponsa, & uocẽ uenientis audiuit: subito q; conuersa ait. Ecce, hic aduenit saliens super montes,

montes,transiliens colles.Maiores enim salit,minores transilit, ne piæ festinationis impedimenta patiatur. Similis est,inquit,consobrinus meus capreolæ hinnuloq; ceruorũ,super montes Bethel.Bonus ceruus, cuius mons est domus dei, in quam tanta celeritate currebat,ut sponsæ uota & desideria præueniret. Deniq; quem de longinquo uenientẽ uiderat,repente sibi adesse cognouit. Vnde & ait: Ecce hic est post parietem nostrum,prospiciens per fenestras, eminens per retia. Respondit consobrinus meus, & dixit mihi. Exurge, ueni proxima mea,formosa mea,columba mea, quia ecce hyems præterijt, imber abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra.Hyems, synagoga est,imber, populus Iudæorum,qui solẽ uidere non potuit:flores Apostoli sunt.Et addidit. Messis incisiõis aduenit,uox turturis audita est i terra nostra. Messis illa,ecclesiæ fides est, uox turturis,pudicitia est.Nec his solis contentus, sed etiã cerui similitudinẽ suscipit Christus, q̃a ueniẽs in terras serpentẽ illum, diabolũ sine ulla sui offensione protriuit,cui calcaneum suũ obtulit, sed eius uenena non sensit. Vnde dictum est ei. Super aspidem & basiliscum ambulabis. Simus ergo & nos cerui,ut super serpẽtes ambulare possimus. Erimus cerui,si uocẽ Christi sequamur,quæ nos & præparat ceruos, & facit morsus serpentiũ nõ timere:ac si q̃ forte fuerint uulnerati,aufert eorum doloré,soluendo delictũ. De his ceruis dicit dñs ad Iob: Custodisti partus ceruorum, numerasti

numeraſti autem menſes eorũ, plenos partus. Partus autem eorum ſoluiſti,uel enutri filios eorũ, ut nõ time ant.Audi quomodo nõ timeant filij ceruorũ talium. Doceat te Eſaias dicens: Et puer paruulus mittet manum in cauernam aſpidum, & non illis nocebunt. Et ut agnoſcas quod eccleſiæ filios ſignificare uidetur, addidit.Partus aũt eorum emittes,dirumpent filij eorum,& multiplicabuntur,in generatione,exibũt, & nõ reuertentur retro.Nemo enim mittens manũ ad aratrũ,& aſpiciẽs retro,habilis eſt regno dei.Merito ergo ceruus factus eſt dominus,ut tales ſibi ceruos dominꝰ præpararet.De quibus ait.In nomine meo dæmonia eijcient,linguis loquentur nouis,ſerpentes tollent,& ſi mortiferum quid biberint,non eis nocebit. Tollebant enim ſerpentes, cũ ſpiritu oris ſui ſancti Apoſtoli de latebris corporũ eruerẽt nequitias ſpirituales, nec uenena mortifera ſentiebant. Deniq; cum exiliẽs de ſarmentis Paulum uipera momordiſſet, uidentes barbari pendentem uiperam de manu eius, putabant repente moriturum. At ille ſtabat intrepidus,nec uulnere mouebatur,nec ueneno infundebatur. Vnde uidẽtes eum,non tanquã hominis conditione genitũ, ſed tanq; dei gratia editũ ſupra homines eſſe arbitrabantur. Vide ceruum uiperã de latebris eruentẽ,ſpiritu diuino,qui erat in naribus eius, ſicut dixit dominus ad Iob.Conuerſus,inquit, Paulus in ſpiritu,& reſpiciens cum dolore, ait ad phytonẽ: Præcipio tibi in nomine domini

domini noſtri Ieſu Chriſti,cõtinuo exire ab ea. Et exi uit eadem hora. Vide ceruum uenientẽ ad baptiſmũ, qui ſacri fontis ablutus irriguo, omnia perſecutionis uenena reiecit. Vide ceruũ dominũ Ieſum, quando ue nit ad Ioannem baptiſtam,& dicente ſibi Ioanne,ego à te debeo baptizari & tu uenis ad me,reſpondit:Sine modo.Et hoc dicto,in aquas (ſalutem ſitiens publicã) tota auiditate deſcẽdit.Sed iam ſatis nobis in exordio tractatus,ſicut in principio anni,more uulgi ceruus al luſit. Pergamus cætera. Interpellat(ut dixi) Dauid di cens ad dominũ: Sicut ceruꝰ deſiderat ad fontes aqua rum,ita deſiderat anima mea ad te deus. Sitiuit ani ma mea ad deũ uiuum,quando ueniam, & apparebo ante faciem dei. Aeſtuat ſanctus,nec ſeſe capit. Maior animi magnificentia, q̃ cuiuſlibet corporis magnitu do:& ſecurus meriti,de terrenis ad cœleſtia euolare de ſiderat,ſicut & alibi dicit ipſe. Quis dabit mihi pẽnas ſicut columbæ,& uolabo, & requieſcã? Hic enim ſunt laquei,quibus etſi non implicat᷑ iuſtus, tamen impedi tur,hic dolores & ſollicitudines,illic lætitia, ibi gratia, hic poſtremo corporis uincula, quæ Paulus ſoluere ge ſtiebat,ut omnibus exutus impedimentis,domino li ber aſſiſteret.Hoc ergo ſitiebat anima Dauid, ut iam nõ per fidẽ, ſed facie ad faciẽ deum uideret,nec ſolum peregrinaret᷑ à corpore,ſed corpore ſolueret᷑. Diſſolui eñ & cũ Chriſto eſſe multo melius, qa iuſto mori eſt lucrũ. Et grande quidẽ lucrũ carere peccato, delictorũ

illecebris nō moueri. Quis em̄ mundus à sorde, quādo nec unius diei uita hominis in terra caret delictorū cō/tagione? Viuendo ergo damna cōtrahimus innocen/tiæ, morte finē erroris adipiscimur. Lucrū ergo morte acquiriť, uitæ aūt usu tanctp miseris debitorib. usurarij nominis ad reatū fœnus augeť. Et bene sitit anima, quæ festinat ad fontē, nō aquæ istius, sed uitæ æternæ, de quo supra dixit. Quoniā apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumē. Merito ergo Dauid pro perabat peruenire & apparere ante faciē dei, cuius uultus lumen est, quia omnes quos dominus spectat illu/minat. Fuerunt, inquit, lacrymæ meæ panes die ac no/cte, dū diciť mihi quotidie, ubi est deus tuus. Ibi bene lacrymæ panes sunt, ubi esuriť iusticia. Beati em̄ q esu riūt & sitiūt iusticiā, quoniā ipsi saturabunť. Sunt igiť lacrymæ quæ panis sunt, & confirmant cor hominis. Cui disputationi etiā illud ecclesiasticū cōuenit dictū. Mitte panē tuū ante faciē aquæ, quia ubi panis cœle/stis, ibi aqua gratiæ: quoniā recte accipiunt substantiā uerbi & mysticæ rationis alimentum, quibus flumina aquæ uiuæ de uentre labunť. Similiter quoctp hic pa/nis ibi uiuꝰ, ubi aqua lacrymarū, & fletus est pœniten tiæ. Sic enim scriptū est. In fletu exierūt, & in consola/tione reuocabo eos. Beati ergo quorū panis lacrymæ, qui ridere meruerunt, quia beati qui fletis. Horum me mor, inquit, effudi super me animā meā. Sanctus col/ligit ab his quæ foris sunt, & supra se effundit animā

suam,

ſuam, ut anima ſupra corpus effuſa infirmitaté carnis abſcondat,tegat corpus ad pœnitentiã,& uirtus ubiq; animæ mentiſq; prætendat. Vnde & in poſteriorib9 dicit.Effundã in conſpectu eius orationẽ meam. Vbi effunditur oratio,ibi peccata ſunt. Quorũ autem meminit? Eorũ utiq; quæ deſiderabat,ut ueniret, & appareret in cõſpectu dei,ut eius aulã illam uideret æternã,in qua ſpaciabatur animo, & præſumpto delectabat' ingreſſu:Quoniã ingrediar,inquit, in locũ tabernaculi admirabilis uſq; ad domũ dei.In uoce exultationis & cõfeſſionis,ſonus epulãtis. Non immerito flebat,quoniã uerſaret' in terris,cui cœleſtia tabernacula debebant', & quẽ aulæ potẽtis expectabat introit9. Deniq; illã ſolã omnibus regni ſui opibus præferebat ſicut ipſe teſtificatus eſt alibi dicens. Vnã petij à dño, hanc requirã, ut inhabitẽ in domo dñi omnibus diebus uitæ meæ,&ut uideã delectationẽ dñi.Delectatio dñi in eccleſia eſt. Eccleſia eſt imago cœleſtiũ. Etenim poſtq; umbra ꝑterijt,imago ſucceſſit. Vmbra,ſynagoga eſt.In umbra lex,in euãgelio ueritas.Ideo i euãgelij lumine ueritatis imago refulget.Flebat igit' Propheta quia differebant' plena gratiæ bona & referta lætitiæ. Deniq; & in poſteriorib9 dicit.Heu me,quia incolatus meus ꝓlongatus eſt.Et ideo interpellabat dñm, quia ad meliora ꝓperabat.In ipſis tñ afflictionibus ſeculi, magna erat cõſolatio præſentiũ, ſpes futurorũ. Quis em̃ nõ erigeret animã, q poſſet ſperare in tabernaculo

cœlesti, beata illa sibi cõsortia reseruari? Sed quia infir mæ cõditioni plerũq; futura tedio sunt, præsenti uexa tione, ideo & sancti Prophetæ insurgentibus corporis fluctibus anima turbabat. Nolo enim mireris, si Pro/pheta animã suam dicit esse exagitatã, cũ dixerit ipse dominus Iesus, nunc anima mea turbata est. Qui em̃ suscipit infirmitates nostras, nostrũ quoq; suscipit affe ctum, in quo & tristis erat usq; ad mortẽ, non ꝓpter mortẽ. Mors em̃ uoluntaria mœsticiã habere nõ po/terat, in qua futura erat uniuersorũ læticia, uniuersorũ refectio. De qua & alibi dixit. Et surrexi, & uidi, & som nus dulcis factus est mihi. Bonus somnus, qui fecit nõ esurire esurientes, nõ sitire sitientes, quibus sacramen/torum dulcedinẽ præparauit. Quomodo ergo anima eius timore turbata est, qui fecit aliorũ animas non ti/mere? Tristis ergo usq; ad mortẽ, donec cõsumaretur gratia, q̃ probat ipsius testimonio, dicentis de morte sua: Baptismate habeo baptizari, & q̃modo angor, dum perficiat. Turbatus igit Dauid lubricis anfracti bus seculi dixit. Quare tristis es anima mea, quare con turbas me? Spera in deo, quoniã adhuc cõfitebor illi, salutare uultus mei, & deus meus. Ergo quando anxij sumus & solliciti, spes nos futurorũ expectatione cõfir met. Vide singula. Spera, quoniã cõfitebor, inquit. Nõ confiteor, sed cõfitebor, hoc est, tunc melius cõfitebor, quãdo reuelata facie gloriã domini speculatus, in eadẽ imagine reformabor. Subito cũ se cõsolaretur, in se re/

uersus

uersus ait, Ad meipsum anima mea cõturbata est. Id est, qui alios cõfirmare debeo, ipse conturbor. Et quia ex me nõ habeo firmamẽtũ, de autore sumamus. Propterea, inquit, memor ero tui de terra Iordanis & Hermonin. Memor est de terra Iordanis, in quo gratia memoriam deuotionis accumulat. In Iordanen Naaman Syrus ille descẽdit, & mũdus à lepra factus est. In Iordane baptizatus est Christus, quãdo formã lauacri salutaris instituit. Iordanis nomen descensionis significat, quia descẽdit dñs Iesus, qui à cõtagio delictorũ uicinos Iordanis fluminis emũdauit. Hic fluuius exit de Ægypto, & diuidit terrã repromissionis. Ergo q turbatur, si boni cõsulit, ex Ægypto exit, & sequitur uiã lucis. Hermonin etiã uiam lucernæ interpretati sunt. Exi ergo prius ex Ægypto, si uis lumẽ Christi uidere. Exiuit Chananæa à finibus gentiũ, & Christũ inuenit, cui dicebat, miserere mei fili Dauid. Exiuit ergo Moses ex Ægypto, & propheta factus est, & remissus ad populum ut de terra afflictionis populũ liberaret. Lucerna autem in Christi corpore. Hæc tibi lucerna uiam monstrat. Vnde & sanctus ait, Lucerna pedibus meis uerbum tuũ. Lucerna, quod illuminauerit animas uniuersorum, & in tenebris uiam mõstrauerit. Euangeliũ, uia lucernæ est. In umbra lucet, id est, in seculo. Vnde & alibi habes, Niue dealbabuntur in Selmon, id est, in umbratione. Iordanis quoq; Christus, qui diuidit terram. Quomodo diuidat audi. Et tuã ipsius animam

pertranſibit gladius,ad reuelandas multorũ cogitatio nes cordium,eo quod ſit noſtrarũ diuiſor animarum, qui in intima cordis ſecreta deſcendat, & cogitationes mentiũ deprehendat. Hic gladius uerbũ eſt dei uiuũ. Denicꝙ ad Hebræos ſic legis, Viuum eſt dei uerbũ & ualidũ, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetratóꝙ ad diuiſionẽ animæ & ſpiritus, artuumóꝙ & medulla/ rum.Hic eſt fons Siloa,qui dicit᷑ miſſus,quoniã Chri/ ſtus à patre dixit ſe eſſe miſſum.Eſt & illa diuiſio,quæ colligitur ex eo quod utramꝙ ripam Iordanis tribus incoluerint Iudæorũ,quoniã filius hominis qui poſte/ rioribus temporibus deſcẽdit è cœlo (uerus ille Iorda/ nis,uerus ille terreſtriũ atꝙ cœleſtiũ diuiſor)poſſeſſio/ nem diuiduã patribus dedit, unã quæ poſſideretur in terris,alterã quæ futuræ uitæ meritis ſeruaretur. Quo/ rum utrũꝙ cõuenit ſoli Chriſto, uel cœleſtia diuidere, uel occulta deprehendere. Interiora enim diuidit, qui occulta deprehẽdit, quod eſt utiꝙ diuinitatis inſigne. Deniꝙ ſic habes ſcriptum,quia dominus dixit,Læta/ bor & diuidã Sicimã. Hæc eſt illa magnifica portio, quã Iacob filio ſuo Ioſeph præſtantioré omnibus de/ putauit. Vnde ait,Ego do tibi Sicimam,magnificũ ſu per fratres tuos,quam accepi de manu Amorreorũ,in gladio meo & ſagitta. Quæ diuiſio ſoli domino debe/ tur, quæ uerbo,hoc eſt ſpirituali illo ueri Salomonis gladio comprehenditur. Quid eſt ſoli? Patri ſine Chri ſto,aut Chriſto ſine patre? Minime. Cum ſolũ dico pa

trem,

trem,& filiũ non ſeparo,quia in ſinu & ſecreto patris fi lius eſt. Cum ſolũ filium dico,& patrẽ iungo,ſicut iun/ xit & filius dicens,Ecce uenit hora,ut me ſolũ relinquatis,ſed non ſum ſolus quoniã pater mecum eſt. Sic er/ go & pater ſolus beatus & ſolus potens dicitur, ut ab eo filius nõ ſequeſtreť,qui in patre ſemper eſt.Deniq; præclare Ioannes,In principio erat uerbũ, ſed ſine pa/ tre non erat.Et deus pater erat,ſed ſine uerbo nõ erat, quia uerbum erat apud deũ . Hæc Sicima eccleſia eſt. Ipſam enim elegit Salomon, cuius latẽtem ſibi elegit affectũ . Hæc Sicima Maria eſt, cuius animã gladius dei tranſit & diuidit.Hæc Sicima,eſt aſcendẽs,ſicut in/ terpretatio habet. Quæ ſit aſcendens,audi dicentẽ de eccleſia.Quæ eſt quæ aſcendit dealbata innitens ſuper fratrẽ ſuũ? Hæc eſt actinoſa,quæ Græce ἀκτινώδης dici tur,quod fide operibusq; reſplẽdeat:cuius filius dicit, Opera ueſtra luceant corã patre meo, qui in cœlis eſt. Memor ergo eſt dei Dauid de terra Iordanis, & Her/ monin à monte modico. Quis eſt mons modicus,cõſi deremus,ne forte diuinitas Chriſti mõs magnus. De niq; cœlum & terrã cõpleo dicit dominus.Si ergo diui nitas Chriſti mons magnus eſt, utiq; incarnatio eius mons exiguus eſt. Vtrũq; ergo Chriſtus,& mons ma gnus & minor. Magnus uere,quia magnus dominus & magna uirtus eius:minor,quia ſcriptũ eſt,Minora/ ſti eũ paulominus ab angelis. Vnde & Eſaias dicit, Vi dimus eũ,& nõ habebat ſpeciẽ neq; decorẽ. Idem ra/

men

men & ex magno minor factus,& ex minore magnus factus.Ex magno minor,quia cũ in forma dei esset,se metipsum exinaniuit,& formã serui accepit. Ex minore magnus,quia dicit Daniel,Et lapis q elisit imaginẽ, factus est mons magnus,& impleuit omnẽ terrã . Lapis hic qui sit requiris,agnosce.Lapidẽ quẽ reprobauerunt ædificãtes,hic factus est in caput anguli. Idem tamen cũ & exiguus uideret,magnus erat.Cui rei astipulatur Esaias dicẽs,Puer natus est nobis,filius datus est nobis,cuius initiũ super humeros eius,& uocabit magni cõsilij angelus.Omnia propter te Christus.Lapis ꝓpter te,ut tu ædificeris:mons ꝓpter te, ut tu ascẽdas. Ascende ergo super montẽ,q cœlestia petis. Inde inclinauit cœlũ, ut tu esses uicinior: ideo surrexit in uerticẽ montis,ut eleuaret.Non immerito ergo abyssus abyssum inuocabat,ut iste mõs fieret exiguus, de quo prophera ait,Abyssus abyssum inuocat,in uoce catarractarum tuarũ.Nõ prævalebat uetus testamentũ ad istius mũdi redemptionẽ: inuocabat,& quasi ad auxiliũ arcessiebat,nouũ testamentũ. Clamabat lex, annunciãs euangelium.Erat enim semiplena,& ideo erat necessarius,ut ueniret qui legẽ impleret.Finis enim legis Christus,ad iusticiã omni credẽti,qui uenit legẽ implere nõ soluere. Quomodo abyssus lex,audi Dauid dicẽtem, Iudicia tua abyssus multa.Simul hinc intellige,utrũq; unius esse sapientiæ testamentũ, quod quasi suum uenit implere. Cataractas autem intelligimus profunda uerborum.

ἀρχή

uerborum,& uim cœleſtis eloquij:quæ fluxere nobis ſicut imber è cœlo.Ergo remedium tædiorũ omnium Chriſtus,& ſcriptura diuina:atq; in tẽtationibus unũ refugium.Deniq; ubi aduertit Dauid quod eleuatio/nes fluctuũ ſeculariũ ſuper ſe uenirẽt(quas neceſſe eſt plurimas ſubeamus in iſtius ſalo uitæ)memor dñi mi ſerationũ quas innumeris promiſit oraculis, ad precẽ conuerſus interpellat deum:ſciens quod miſericordia eius in luce mandatur,id eſt in lege,quia lex præcepta tua.In tentatiõibus autẽ,quaſi in noctis tenebris,ma/nifeſtatur. Vnde tanq; uiator qui repatriare deſideret, & peruenire quò tendat,cõfragoſo tamen uitæ huius itinere fatigatus, ducem arceſſit & alleuamentũ obſe/crat.Apud me,inquit,oratio deo uitæ meæ:dicã deo, ſuſceptor meus es.Bene nota iam ſibi quærit auxilia, & promiſſi autorẽ cõuenit,atq; uſitati muneris præbi torem:ut in ſubueniendo ſi meritũ hominis offendit, diuinũ nõ offendat exemplũ.Dicũt aliqui. Quãdo ſu ſcepit eũ deus? Vt hoc aſtruamus, ueni mecũ ad ſcri pturæ ſacræ exordiũ:& uide quomodo dñs manibus ſuis de luto hominem figurauerit. Vnde & hic ipſe in poſterioribus dicit:Manus tuæ fecerũt me & plaſma/uerunt me.Quaſi figulus quidam,fabricam carnis eſt operatus humanæ.Et ad Hieremiam dicitur:Deſcen/de in domum figuli,& audies illic uerba mea. Figulo utiq; ſæpe cõtingit,ut dũ uas fingitur,cadat de mani/

bus eius:& iterū colligat lutū ut uas reformet. Deniq; & Hieremias dicit: Descendi & uidi quomodo cecidit uas,quod ipse faciebat manibus suis. Et iterū,inquit, fecit uas aliud,quomodo placuit ei.Recte ergo susce/ptor dicit̄,qui manibus suis nos ipse suscepit,ipse plas mauit.Humani figuli uasa sūt illa,alia in honorē alia in cōtumeliā.Oēs sumus uasa fictilia:& si rex sit aliqs, tñ fictile uas est. Vnde & Paulus: Habemus,inqt,the saurū istū in uasis fictilibus.Et ꝓpheta de rege dicit: Depretiatus est Iechonias sicut uas,cuius opa nō sunt necessaria.Et addidit: Terra audi uerbū dñi. Scribe ui rū istū abdicatū.Quasi patrio iure, deus noster filios solet abdicare degeneres: ideo & in terra eos scribit, quia filij terræ sūt. Vnde cū Iudæi accusarēt adulterā: dñs Iesus digito scribebat in terrā. Iusti aūt nō in ter/ra scribūtur,quibus dicit̄: Gaudete quod nomina ue/stra scripta sunt in cœlo.Suscepit ergo nos dñs,quan/do nos finxit: suscepit & qñ nos iubet nasci. Vnde & iustus ait:Suscepisti me ex utero matris meæ. Cuius matris? Priusq; te formarē in utero noui te.Quos for mat & suscipit,exeuntes quoq; suscipit.Et priusq; exi/res de uulua matris, sanctificaui te. Susceptor est qui susceperit manibus,ut generis humani operator dicit̄: & qui uisitatione susceperit, ut protegat. Vnde alibi ipse dicit propheta: Qui habitat in adiutorio altissi/mi,dicet dño susceptor meus es tu, & refugium meū.

Prima

Prima ſuſceptio eſt operationis, ſecunda defenſionis. Denique audi Moſen dicentem: Extendens alas ſuas aſſumpſit eos, & ſuſcepit eos ſuper ſcapulas ſuas: ſicut aquila ſuſcipit, quæ fœtus ſuos examinare conſueuit, ut teneat atq; enutriat, quibus ueræ indolis partus, & incorruptæ gratiã naturæ aſtipulari aduerterit: aut repellat, quibus in degeneris originis infirmitatẽ in tenera adhuc ætate deprehenderit. Quare mei oblitus es, & quare me repuliſti? Deus nõ obliuiſcitur. Impoſſibile eſt enim ut obliuiſcatur, cui omnia quæ ſunt facta & futura præſentia ſunt: ſed noſtra peccata meritum obliuionis ei infundunt, ut obliuiſcatur eos quos indignos ſua uiſitatione cognouerit. Eos enim cognoſcit dñs, qui ſunt eius. Tamen ubi aliqui iniquitatem operantur, his dicit: Nõ noui uos. Quis ergo qui poſſit deo dicere, quare mei oblitus es? Sed tamen cõmune hoc ſanctis, nobisq; inferioribus eſt. Sanctus dicit quaſi meriti ſui conſcius: & tamẽ quo ſanctior hoc humilior. Quod ſi uix ſanctus dicit, quid ego dicam peccator, niſi ad illud referã, quare operis tui oblitus es? poſtremo, quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid eſt enim homo, niſi quia uiſitas eum? Non ergo obliuiſcaris infirmum. Memento dñe quia infirmũ me feciſti: memento quia puluerem me finxiſti. Quomodo ſtare potero, niſi ſolidaturus hoc lutum ſemper intendas: ut de uultu tuo ſoliditas mea prodeat? Cum auer

teris faciem,turbabuntur omnia:si intendas,uæ mihi: non habes quod in me aſpicias niſi contagia delicto/ rum,nec deſeri utile,nec uideri eſt:quia dum uidemur offendimus. Poſſumus tamẽ æſtimare,quia nõ repel/ let quos uidet:quia emundat quos aſpicit. Ignis ante eum ardet,qui crimen exuret. Bonũ eſt ergo nobis,ut non repellamur. Ideo queritur Dauid,quia repulſum ſe credidit,qui fuerat ante ſuſceptus. Deniq; in poſte/ rioribus dicit: In te confirmatus ſum ex utero. Sed & ſupra ſcriptũ habemus: In te proiectus ſum ex utero: de uẽtre matris meæ deus meus es tu. Bonũ eſt & p̃ñ/ ci,ſed in deum. Deniq; ex perſona Chriſti,hoc in XXI pſalmo dicitur:qui uere in patrem de utero proiectus eſt uirginis. Non enim terrena eum excepere morien/ tem. Vnde in cruce poſitus,cum emitteret ſpiritũ, ad patrem ait: In manus tuas dñe cõmendo ſpiritũ meũ. Non ergo addant dñe,ut pſaltæ faciũt,quod neq; in latino codice inueni meo,neq; in Græco,neq; in euan gelio,quod eſt euidentius. Denique ſupra dixerat. Pa ter dimitte illis hoc peccatũ. Et ideo tanq̃ patri in ma nus eius cõmendare ſe ſpiritũ ſuum,in cuius ſinu ſem per eſt filius:quanq̃,&ſi addant quod dixerit dñe,cõ ſiderẽt quod quaſi homo in morte poſitus hoc loqua tur. Ergo proiectus de utero eſt in patrem, de uentre matris ſuæ:hoc eſt,definiuit quod ille uterus qui proie cit eum,uenter eſt matris. Pater autẽ dixit, Ex utero

ante

ante luciferū genui te. Non proiecit utiq; pater filiū, à quo nunq; digressus est filius, sicut ipse ait: Traditus sum, & nō egrediebar. Non proiecit eū, cui eiusdē substantiæ unitate cōnectitur. Potest ergo & sic legi. In te proiectus sum ex utero de uentre matris meæ: ut sequatur, deus meus es tu, ne discedas à me. Potest & sic. De uentre matris meæ deus meus es tu, quoniā & in utero positus à te nunq; recessi: tecū eram, qui tanq; in utero ceti positus, te pro populo deprecabar. Et uere de matris suæ uētre cū deo erat: secundū quod scriptū est: quoniā priusq; sciret puer bonū aut malum, elegit quod bonū est. Et anteq; patrem uocaret aut matrē, uirtutē Damasci & spolia Damasci deprædatus est: ut gentibus euocatis regnum patri piæ deuotionis adquireret. Videamus cætera. Quare me, inquit, repulisti, & quare tristis incedo? Dū affligit me inimicus, cō fringit ossa mea: exprobrauerūt mihi qui tribulāt me inimici mei, dum dicitur mihi quotidie, ubi est deus tuus. Quare tristis es anima mea? Et reliqua. Prima interpellatio querelā habuit: cum perendinarentur bona quorū iam fructus desiderabatur. Secunda interpellatio, quod expectatus prudentibus Christi differebatur aduentus, quem lex desiderauerat, quem prophetæ pollicebantur: & eo impatientius æstuabant corda iustorum, quoniam ad redemptionem cognouerant esse uenturum uniuersorum, quibus euangelico tra-

mite uiam uirtutis aperíret,bonorumq́ operum ſemi tas demõſtraret:ſicut ipſe dixit in prouerbĩs: Domi nus creauit me principiũ uiarum ſuarum. Ideo ergo dicebatur ei,ubi eſt deus tuus:quia adhuc nõ uenerat Chriſtus,ſed ſperabatur. Sæuiebat ergo diabolus,ut obtereret quos ſciebat in aduentu domini credituros: & diuerſis afflictabat exitĩs. Interpellat ergo Dauid, ut morantẽ excitet,& queſtu prophetico feſtinare ur/ geat,ammoneat ſubuenire. Habemus ſimilitudinem huius interpellationis etiam in poſterioribus:ubi dicit idem propheta: Vt quid repuliſti nos deus in finem? Et ibi aperte,quod congregationis ſuæ oblitus ſit, & uirgam hæreditatis ſuæ abiecerit, flebiliter deplora/ uit:& quod in plebem dei inſurrexerint eius inimici, de quibus ait:Et gloriati ſunt qui oderunt te, in me/ dio feſti tui. Forte hic uerſiculus uideretur Aſſyrios de clarare,qui triumphauerunt populum Iudæorum:ni/ ſi ſequeretur,poſuerunt ſigna ſua ſigna:& non cogno/ ui. Signa ſemper in bello ſunt,quæ præliaturos præire conſueuerunt,& agmen ducere militare. Vnuſquiſq; numerus aut legio,ſigna ſua ſequitur. Et ſi diſperſi fue rint bellorum tumultu:eo ubi ſigna ſua proſpexerint eſſe,quamlibet longe poſiti, reuertuntur. Vnuſquiſq; ductor hæc ſigna cõſtituit,& ſequenda præſcribit, Sed ſunt etiã alia ſigna,quæ uictor hoſtis imponit,& tan/ q̃ captiuis obſeruanda decernit:ſed qui fidelis eſt mi/

les,pro/

les,propria signa sequitur,non agnoscit aliena. Quæ sint aliena signa,intentius & impensius cõsyderemus. Signum suum posuit deus in frontibus singulorum. Ibi quoq; Antichristus sua signa ponet, ut proprios recognoscat:sed qui in occulto Iudæus est,ille uerus cõfessor dicit:Posuerunt signa sua signa,& non cognoui. Posuerũt diabolus & ministri eius:sed ego nesciui illa: quia non consensi artibus eius,non acquieui imperijs eius.Posuit Assyrius Nabuchodonosor signa pueris Hebræorũ,& mutauit illis nomina:& præcepit ut adorarent imaginem eius,& recederent à solennibus patrum suorum, ritusq; Chaldæos posthabita dei lege sequerentur. Constituit hoc rex:sed statuit Daniel in corde suo, ut regalis mensæ contagia declinaret. Recte ergo ei conuenit dicere: signa non cognoui aliena. Iussum erat ut Hebræi pueri adorarent imaginẽ regis.Responderunt ei.Non adoramus imaginem tuam.Aperte dixit unusquisq; eorũ, posuerũt signa sua signa,& non cognoui:id est non sum expertus,nõ ullo consensu recepi,non aliqua societate in me transtuli. Vnde & de dei filio legimus: quod peccatũ nõ cognouit.Et alibi habes,quoniã qui custodit mandatum,nõ cognoscet uerbũ nequã:cũ liquido clareat, quia non cognitio improbitatis,sed societas criminosa sit. Ipse etiam Dauid in posterioribus dicit:Declinantes autem malignos à me,nõ cognoscebam. Vbi autẽ

uoluerint

uoluerint hæc ſigna aduerſarij deponere: declarat. Sicut in uia, inquit, ſummũ, quaſi in ſylua lignorũ, ſecuribus conciderunt ianuas eius in idipſum, in bipenni & aſcia deiecerũt illud. Quid hoc ſibi uult, niſi ut oſtẽdat quia fides noſtra non quaſi in uia eſſe debeat, ne ueniant uolucres cœli, & auferant eam: ſicut uerbũ illud, quod legis in euangelio non debere circa uias & ſemitas ſeminari? Ergo ſancti uolentes fidem huiuſce aduerſarij eradicare, qui non uident ſigna ſua in corde eius, tentauerunt quaſi in uia, id eſt in peruio collocare. Cor autẽ in ſummo eſt: quia oculus ſapientis in capite eius. Et poſuerunt ſigna quaſi in ſylua lignorum: quæ cito exurũtur igni, aut ſecuribus concidũtur. Exit enim ignis de ſyluis, & exurit etiã cedros Libani. Hoc autẽ faciendũ putauerunt, ut polluerent diuini nominis tabernaculũ, quod eſt in nobis. Sicut enim templũ dei ſumus, ita ſumus & tabernaculũ dei, in quo feſta dñi celebrantur. Ergo tu ô homo ſummum tuum cuſtodi: ut conquaſſes capita inimicorum uerticem capilli perambulantiũ. In ſuperfluis enim perambulant, non in ſanctis. In uertice capilli, non in uertice deuotionis & fidei. Et ſi ſpiritus poteſtatem habens in te aſcendat, ut habes in eccleſiaſte: locum tuum ne derelinquas. Etenim ſuperiorem te Chriſtus cõſtituit, quẽ ad imaginem dei fecit. Tene ergo ſuperiorem fidei & pietatis locum, quẽ accepiſti: ut ſuperior factus, aſcendentem

dentem de inferioribus,hoc eſt,de terrenis & ſeculari/
bus,ſpiritum nequam facile repellas,& ſigna eius non
ſuſcipias in pectore tuo,non occupet animæ tuæ ueſti
bula,nec introitus mẽtis tuæ,& quaſi in ſylua lignorũ
ignibus ſuis caduca & fragilia populet̃,aut ſecuribus
ſuis ianuas tui cordis excidat. Sit igitur in nobis non
ſylua ſed uinea,ſit porta noſtri oris & cordis clauſa di
ligẽtius,ne hoſtis introeat.Cito deĳcit ianuam,ſi patẽ
tem eã inuenerit.At uero Chriſtus pulſat,non deĳcit,
qui confortauit ò Hieruſalẽ ſeras portarũ tuarũ.Chri
ſtus manu pulſat ut aperias,aduerſarius ſecuribus con
cidit:& ideo ſcriptũ eſt,ne ſecuris & malleus in domũ
dei intret.Foris debet eſſe ſupbia & fallacia,non intus.
Foris enim pugnæ,pax intus,quæ ſupra omnẽ intelle
ctum eſt.Nõ ſcindatur ferro anima tua,ſed ut anima
Ioſeph ita anima tua per ferrũ pertrãſeat,ne principa
le tuum,uelut quoddam tabernaculũ uerbi,in ipſo fi/
dei principio & doctrinæ ſpiritualis diruat̃ ingreſſu.
Fundatus enim uſu atq; exercitatiõe,immobilis perſe
uerat,nec locũ dat ei qui in ſummũ(quaſi trãsfigurans
ſe in angelũ lucis)conatur aſcẽdere:qui ſi in nobis ſua
ſigna non uiderit,autoritatẽ reſiſtendi habere non po
terit.Ergo ne affligat nos inimicus,ne oſſa noſtra con/
fringat,nõ deficiamus perſeuerare in Chriſto,ut dicat
de nobis,Triduũ habent quod perſeuerãt mecũ,& di
mittere eos ieiunos nolo,ne deficiãt in uia. Beatus cui

ipſe cordis dederit firmamẽtũ,ut deficere non poſſit in iſtius uitæ tramite cõſtitutus.Nó deficit qui ſperat in domino,atq; ei intimo cõfitetur affectu,quãdoquidẽ etiã eques ille cuius equi calcaneũ ſerpens momordit, etſi retro cecidit,deceptus tamen non eſt,quia ſalutem expectauit à dño. Tertia quoq; interpellatio,quod in medio hominũ nequitias exercẽtiũ cõſtitutus,cauſam ſuam ab eorũ cõtagio cupiat ſeparari.Quod multi ad dñm Ieſum referendũ putãt,eo quod ipſius ſolius eſt non timere iudiciũ,qui uincit quũ iudicat. Habet em̃ à uiro iniquo iudiciũ,in quod uolẽs Chriſtus ingredit, ut habes ſcriptũ,Populemeus qd feci tibi,aut in quo cõtriſtaui te? Cæterũ cum omne iudiciũ illi dederit pa ter,nó quaſi infirmo utiq; ſed quaſi filio,ut omnes ho norificẽt filiũ,ſicut honorificant patrẽ, Pater honorat filiũ,& tu dijudicas? Hoc eò poſuimus,ne quis nos ar bitraretur quaſi metu quæſtionis in locũ dñi ſubroga re perſonã prophetæ,quũ ſanctus Dauid præuidens ſpiritu,inſurrecturos Iudæos aduerſus dñi paſſionẽ, iudiciũ dñi nõ pertimeſcit.Diſcerni quoq; cauſã ſuam à perſequutorũ gente depoſcit,ne malis generis ſui & poſteritatis hæredibus, ꝓpfapia totius Iudaici generis implicet. Non immerito ergo turbatur, qui uidet ſibi aduerſus carnẽ & ſanguinẽ eſſe luctamẽ,atq; in ſeipſo ſibi graue eſſe naufragiũ,& in ſuo corpore tẽpeſtatem quã ſuſtinere nõ ualeat,niſi cœleſte auxiliũ ſuffraget. Nemo em̃ grauior homini hoſtis,q̃ domeſtici eius.

Quid aũt tã domesticũ ꝙ sibi homo,& suæ carnis in/
firmitas? Et iõ festinat ꝓpheta,& toto p̃cat affectu,ut
Christ⁹ adueniat fortitudo uniuersorũ,q̃ suscipiat oẽs
ifirmitates & faciat utraq; unũ,cũ cõpugnãtes sibi mẽ
tis & carnis inimicitias,sublato soluerit pariete,q̃ inter/
nũ(q̊ min⁹ in cõcordiã cõueniret)diuidebat affectũ. Er
go q̃a i seipso sibi erat pugna,erat & à ꝓximis,q̃ legis
& æq̃tatis imemores,laq̃os fraudis & isidias præpara
bant,speratũ ꝙ differebat remediũ,repulsũ se arbitra
bat,quasi recusaret uenire q̃ ꝓmiserat remedio se futu
rũ. Et tãꝙ ab spe lucescẽtis diei in tenebrarũ ꝓfũda re
uocat⁹,orabat ut squalorẽ hui⁹ seculi repulsura lux irra
diaret,æterna adesset ueritas,q̃ fallacẽ imaginẽ mũdi
hui⁹ aboleret. Affuit de⁹ uotis,q̃ solet & iprouisus ad/
sistere,& nõ rogãtib⁹ se manifestare,sicut ipse ait,Palã
fact⁹ sum nõ q̃rẽtib⁹ me. Et pñs astipulat⁹ oratis,uoto
rũ seriẽ celeri p̃uenit effectu,subitoꝙ in ecclesia & in ta
bernacula sua sãctũ ꝓphetã deduxit i spũ,atq; añ ocu
los ei⁹ sacrũ altare cõstituit,i q̊ futura toti⁹ mũdi esset
redẽptio,& uniuersorũ toto orbe remissio peccatorũ.
Videṡ ergo i spũ illã dulcedinẽ sacramẽtorũ cœlestiũ,
illã mẽsã q̃ repellit atterẽtiũ isidias,sicut ipse in supiori
bus dixit,Parasti in cõspectu meo mẽsã,aduersũ eos
q̃ cõterũt me,ait,Et introibo ad altare dei mei,ad deũ
q̃ lætificat iuuẽtutẽ meã. Pulchre dixit q̃si Adã,& itroi
bo. Eiecti eram⁹ de paradiso dñi,ex quo Adã peccati

sui conscius uultum domini declinauit. Decore quoq; addidit, Et introibo ad altare dei, quasi in conspectu dei rediret. Auersus enim erat muneribus nostris, quã do Cain parricidæ illius munera non probauit. Late/bat Cain alienus à domini conspectu, furens effera ui animi, quod in fratris sui dominus respexerat mune/ra, in sua autẽ non respexerat, sub offensione proprios reliquit hæredes. Occiderat autem Abel, nõ sibi, cuius & sanguis clamabat ad dominum, sed occiderat omni bus nobis. Nullius prope iam sacrificiũ probabatur, quia non erat qui faceret bonitatem, non erat usq; ad unum, quando nec deo fides, nec fratri germanitatis pietas seruata est. Venit dominus Iesus, ut resuscitaret Adam. Resuscitatus est & Abel, cuius munera placue runt deo. Obtulit semetipsum, id est, primitias corpo/ris sui, in sanguinis aspersione, melius loquente, quàm sanguis Abel loquutus est in terra. Respexit Deus in eius munera, ex quo ipse recõciliationis diuinæ gratiã, bonis reliquit hæredib9. Recte igitur sanctus Dauid, quasi ex persona reconciliati hominis ait, Et introibo ad altare dei mei, ad deum qui lætificat iuuẽtutẽ meã. Astruamus hunc locũ si possumus etiam alterius pro/phetæ exemplo, quẽadmodũ & hominis auersatus sit dominus primum sacrificia, & postea sit eidem recõci/liatus. Habemus in Esaiæ libro scriptũ, dicente domi/no, Quo mihi multitudinẽ sacrificiorũ uestrorũ, dicit dominus?

dominus? Plenus ſum, ideſt, abundo meis, ueſtra non quæro, holocauſtomata arietum & adipem agnorũ & ſanguinẽ taurorum nolo & hircorũ, nec ſic ueniatis in conſpectu meo. Et utiq; à fœtu pecorũ obtulerat Abel ſacrificiũ in quo placuerat deo, ſed typum nõ requirebat qui expectabat ſacrificij ueritatem. Expectabatur enim paſſio domini ſalutaris. Quis eñ, inqt, iſta requiſiuit de manibus ueſtris? Calcare regiã meam non apponetis. Et infra, Quũ extẽderitis manus ad me, auertam faciem à uobis. Sed lauamini mũdi eſtote, auferte maliciam ab animis ueſtris. Iudicate pupillo, & iuſtificate uiduã, & uenite diſputemus, dicit dñs. Claret igitur quod & ante auerſatus ſit dominus ſacrificiũ hominis, & poſtea recõciliatus, ut reſpicere in noſtra ſacrificia dignaretur. Ideo ergo ſecurus intrat, qui ad domini ingreditur miſericordiã. Deniq; bono ſeruo dicitur, Intra in gaudiũ domini tui. De ſeruo aũt nequã dicitur, Tollite illũ in tenebras exteriores. Ideo & Adam eiectus de patria cœleſti & illa ſede paradiſi, in inſulã peccati eſt relegatus, Recte ergo dicit ſcriptura, Renouamini inſulæ, quia peccatorũ fluctibus, ſicut inſulæ in iſtiꝰ mũdi freto circũuenimur. Iſtæ ergo inſulæ per aduentum dñi peccatorũ remiſſiõe renouatæ ſunt, id eſt, homines in lauacro medij inter aquas quaſi inſulæ cõſtituti, tũdebantur undarũ molibus, ſicut inſulæ cõſonoris peccatorum relidẽtibus fluctibus, ſicut inſulæ in

quibus ante uelut fraudium ſcopulis erant ſimplicibus crebra naufragia,quia dolus erat in corde,in ore blādi tiæ. At uero poſteaq̄ dñs Ieſus in quo dolus non eſt, aduenies in hunc mundū,cœleſtis expoſitione doctri- næ humanarū profunda mentiū ſerenauit,& trāquilli- tatē refudit affectibus ſingulorū,auferēs ſepem diſcor- diæ,quaſi quædam portuū cœpere appropinquātibus eſſe ſuffragia,ut unuſquiſq̄ nauigiū ſuæ quietis in ꝓxi mi aut fratris cōſtituat affectu,& in receſſu quodā piæ mētis hæreat littorali. Non immerito ergo tanq̄ reno uatus clamat Dauid,Et introibo ad altare dei mei,ad deum qui lætificat iuuētutē meam,ut qui ſupra ſe inue teraſſe inter inimicos ſuos dixerat(uti in ſexto legimus pſalmo)hic ait iuuentutē ſibi ex inueterata prolapſio- nis humanæ ſenectute renouatā. Renouamur em̄ per lauachri regenerationē,renouamur per ſpiritus ſancti infuſionē. Renouabimur etiā per reſurrectionē,ſicut in poſterioribus dicit,Renouabitur ſicut aquilæ iuuētus tua. Quomodo renouemur audi: Aſperges me hyſſo- po & mundabor,lauabis me & ſuper niuē dealbabor. Et in Eſaia ait, Si fuerint peccata ueſtra ut phœniceū, ut niuem dealbabo. Recte renouatur,qui de tenebris peccatorū in lucem uirtutū mutatur,& gratiam:ut qui terra prius colluuione ſordebat,ſupra niuem albēti ni- mis fulgore reſplēdeat. Confitebor tibi in cithara deus deus meus. Habet citharā ſuā anima noſtra. Neq̄ em̄

dicere

diceret Paulus, Orabo ſpiritu, orabo & mẽte, pſallam ſpiritu, pſallam & mente: niſi haberet citharã quæ plectro ſancti ſpiritus reſultaret. Cithara eſt caro noſtra, quãdo peccato moritur, ut deo uiuat. Cithara eſt, quãdo ſeptiformẽ accipit ſpiritum in baptiſmatis ſacramẽto. Teſtudo eñ dum uiuit luto mergitur, ubi mortua fuerit tegmen eius aptatur in uſum canendi, & piæ gratiam diſciplinæ, ut ſeptẽ uocũ diſcrimina numeris modulãtibus obloquatur. Similiter caro noſtra, ſi uiuat illecebris corporalibus, in quodã cœno uiuit & uoragine uoluptatũ. Si luxuriæ moriatur atq; incontinentiæ, tunc uerã uitam reſumit, tunc ædere incipit bonorum operũ dulce modulamẽ. Dulcis ſonus eſt caſtimoniæ, dulcis ſonus timẽtium deum. Deniq; in omnẽ terram exiuit ſonus eorum. Dulcis ſonus eſt fidei, quæ annunciatur (ut ſcriptũ eſt) in uniuerſo mũdo. Hic ſonus à nobis exeat ad deum, ſicut exiuit à Theſſalonicẽſibus, ut etiam non canentes canamus, & bonorũ concentu operum dominũ prædicemus: cui eſt honor, gloria, perpetuitas à ſeculis & nunc & ſemper & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

BASILEÆ, PER HIERONYMVM FROBEnium, Ioannem Heruagium, & Nicolaum Epiſcopium, Menſe Septembri, Anno M.D.XXIX.

BIBLIOTHÈQUE DE L'ARSENAL

ROBEN.



H-S
60h